POETAE LATINI MINORES ... QUAE NOTIS VETERIBUS AC NOVIS ILLUSTRAVIT N.E...

BIBLIOTHECA

CLASSICA LATINA

SIVE

COLLECTIO

AUCTORUM CLASSICORUM LATINORUM

CUM NOTIS ET INDICIBUS

On souscrit, à Paris,

CHEZ N. E. LEMAIRE, Éditeur, boulevard Italien, n° 22, en face des Bains Chinois.

BARROIS l'aîné, libraire, rue de Seine, n° 10, Faub. St-Germ.

DEBURE frères, libraires du Roi, rue Serpente, n° 7.

TREUTTEL ET WURTZ, libraires, rue de Bourbon, n° 17.

F. DIDOT, imprimeur du Roi et de l'Institut, rue Jacob, n° 24.

ANT. AUG. RENOUARD, libraire, rue de Tournon, n° 6.

BOSSANGE père, libraire, rue de Richelieu, n° 60.

BRUNOT-LABBE, libraire de l'Université, quai des Augustins, n° 33.

MONGIE aîné, libraire, boulevard Poissonnière, n° 18.

H. VERDIÈRE, libraire, quai des Augustins, n° 25.

ARTHUS-BERTRAND, libraire, rue Hautefeuille, n° 23.

Et chez tous les Libraires de France et des pays étrangers.

POETÆ LATINI
MINORES
EX RECENSIONE WERNSDORFIANA

EXCUDEBAT FIRMINUS DIDOT,
REGIS ET GALLICARUM ACADEMIARUM TYPOGRAPHUS.

POETÆ LATINI
MINORES

GRATII ET NEMESIANI CYNEGETICA,
T. CALPURNII SICULI ECLOGÆ,
Q. ENNII, SEVERI SANCTI, BEDÆ,
SEPTIMII SERENI, AUSONII,
CASSII PARMENSIS, OPTATIANI PORPHYRII,

ET ALIORUM CARMINA,

QUÆ NOTIS VETERIBUS AC NOVIS ILLUSTRAVIT

N. E. LEMAIRE

VOLUMEN PRIMUM

PARISIIS
COLLIGEBAT NICOLAUS ELIGIUS LEMAIRE
POESEOS LATINÆ PROFESSOR

MDCCCXXIV

PRÆMONITIO NOVI EDITORIS

AD LECTOREM.

Ecce prodeunt Poetæ Latini Minores, Gallicis curis hactenus intentati; quos adeo a nostratibus eruditis neglectos haud dubie mirabitur, qui debita attentione eorum opera perlegerit. Quod autem eos scriptoribus vulgo Classicorum nomine decoratis subjiciendos judicaverim, nemo, ut opinor, indigne feret. Quamvis enim vel in hac Latinitatis inclinatæ ac labantis porticu multa sæpe elegantissima oculis adpareant, non ideo promiscue in omnes hujus ordinis scriptores elegantiæ Augusteæ famam extendere volui; sed aliquid huic, quod nunc exstruere contendo, Latinæ linguæ integerrimo monumento defuturum arbitratus sum, si pretiosas virorum eruditissimorum judicio relliquias colligere injurioso fastidio prætermiserim.

Tale propositum mire juvit, quod ducem in eo virum clarissimum Wernsdorfium habuerim, quo nullo uti nec meliore potui, nec recentiore, cuique maxime hujus operis gloriam, si qua est, deberi libenti animo profiteor. Nemo enim unquam ad istos poetas ornandos accedere potuit, sagacitate ingenii, judicii acumine, assiduo Romanarum literarum usu, et in-

defessa investigandi diligentia instructior aut paratior. Sin autem ambitum operis spectemus, materiam amplexus est tam amplam, et tantum in omnes partes studium contulit, ut si, quos ille universos, eos alii pari ratione singuli singulos edidissent, unusquisque de literis bene meritus potuisset jure existimari.

Ego vero huic, etsi optimo, duci non ita fisus sum, ut, quasi ex mea parte diligentia quævis et opera supervacua foret, Wernsdorfium repetiisse et serviliter secundis curis expressisse satis duxerim; sed et ejus observationes attento animo ponderatas, sæpe vel auxi vel illustravi; aliquando etiam, rarius quidem et semper multa cum diffidentia, refellere tentavi. Cæterum ipsos auctores editionum et commentariorum a Wernsdorfio adductos sedulo retractavi, ut, quo judicio in seligendis eorum animadversionibus usus esset, ego rursus judicarem; neque semel aut bis sensum acutissimum viri non comprobavi. Quin et observationes notasque ad calcem quorumdam Wernsdorfianæ collectionis voluminum sub nomine Addendorum et Corrigendorum rejectas, et infelicibus in locis illis exsulantes, in suam quamque sedem restitui; sic enim et Wernsdorfii propositum in hoc verisimillimum exsequebar, et lectori temporis jacturam et inquisitionis tædium prævellebam. Nostrum tamen in hoc sequutus sum, ut longiores notas, haud immerito dixerim digressiones, proprio nomine Excursus, quibus loca quædam intricatioris sensus aut ambiguæ lectionis illustrat, ex

observationum columnis segregatas poematiis postposuerim; sed tunc quoque ita lectoris commodum respexi, ut Excursum quemque carmini, ex quo pendet, sine ullo intervallo succedere juberem, neque omnes in confusam farraginem, velut apud Richteriam editionem, coacervari paterer.

Istis igitur curis in melius immutatum Nostri consilium, ut mihi, sic aliis, ni fallar, videbitur; sed cur in variarum lectionum expositione, quæ præcipue Cynegeticis et Calpurnii Bucolicis subjiciuntur, viam paullo magis diversam sim ingressus, ratio, quamquam in expedito sit reddere, tamen latius aperienda est. Scilicet viro doctissimo, Latinarum pariter et Græcarum literarum sapientissimo existimatori, mire displicebat exuberans variarum lectionum silva, quas sane cum pertinaci constantia et labore incredibili e vetustissimis codicibus collegit Wernsdorfius, sed quibus obrutus textus magis quam illustratus huic judici perito videbatur. Ipse Wernsdorfius in fine Procemii ad secundum suæ collectionis tomum, quod quidem hujus primi voluminis parti secundæ, p. 371, præfigendum censui, fatetur se, nisi variantium silvam, quas Calpurnio subjecit, ante congessisset quam sibi satis de earum familiis constaret, certe multo parciorem in iis enotandis futurum fuisse. Sed confusionis et erroris timore, quo se deterritum fuisse mox ait, quominus quidquam mutaret, ipse me liberavit, quoniam infra, hoc tomo, pag. 370, lin. 4, ordinem et familias varia-

rum editionum luculenter exponit. Ergo illius sententiam, vel quum ab illius vestigiis recessi, sequutus sum; neque timendum, ne non benigne adsentiat lector, quem tanta tot legendarum minutiarum molestia liberavi; eumque adeo his omissionibus non offensum iri persuasum habeo, ut contra, ne nimis multa me retinuisse impatienter ferat, verear. Animadvertent sane harum rerum diligentissimi me, ex recensione quam loco citato Noster exposuit, accuratissime variantium delectum exegisse, et quam paucissimas ex otiosis ac superfluis lectionibus admisisse; nam fere omnes, quas rejiciendas judicavi, mihi semper in supinas oscitantium librariorum hallucinationes transferendæ ac refundendæ videbantur. Insuper, ut in nota ad ejusdem tomi Wernsdorfianam præfationem, pag. 320, monebo, adnotationes et lectiones varias eodem contextu conjungere decrevi, quum propter affinitatem argumenti in rebus, quæ ad eumdem versum pertinentes non tanti erant momenti ut separatim legi mererentur, tum ut exempla a Wernsdorfio allegata et inutiliter utrimque repetita, semel tantum, ut æquum est, locis illustrandis subjicerentur.

Non solum mihi digna cognitione visa sunt, quæ Wernsdorfius edidit, sed quædam etiam tum ex Anthologia Latina Burmanni, tum ex aliis collectionibus vulgatiori famæ tradere placuit. At quamvis poematia prioribus adjicienda nunc argumenti similitudo, nunc maxime styli elegantia et vis poetica, nunc vero qua-

rumdam rerum explananda notitia quasi designaverit, tamen in iis parcus admodum fui, ne in immensum operis hujus moles excresceret. Quare pretiosa tantum quæque monumenta passim notavi, nec, nisi ea quorum de antiquitate mihi constitit, admisi. Alconem solum Hieronymi Fracastoris, etsi recentioris notæ, ob affinitatem materiæ Cynegeticis scriptoribus subjeci; atque ut argumentum præcipue illud paucissimorum curis apud nos delibatum quam maxime nunc opera nostra illustratum prodiret, librum singularem Caii de Canibus Britannicis, rarissimum certe et cognitione dignum, appendicis instar, prodire jussi.

Præfationes quidem et Procemia quæ singulis voluminibus et fere carminibus collectionis suæ Wernsdorfius præmisit, a me in integrum servata et edita, notis tantum et animadversionibus, ubi res poscebat, auxi. Operæ enim pretium esse existimavi, tum rationem ab ipso Wernsdorfio sui laboris redditam cognoscere, tum eruditas et subtiles disputationes perlegere, quibus literariam Romanorum historiam mira felicitate eruit, et sæpe carmina, quæ nullis aut dubiis aut incertis adhuc ferebantur auctoribus, legitimis vindicavit.

Denique Wernsdorfium, qui singulis tomis duos indices subjiciendos voluit, non sequendum per hanc viam decrevi, primo ne res vocesque similes, quæ bis aut sæpius in diversis occurrent voluminibus, usque ad fastidium in unoquoque repetantur; deinde ut ipsarum variis argumentis affinium, simul collecta-

rum in generali INDICE, quo totius operis volumen ultimum coronabitur, facilior perceptio tutiorque comparatio fieri valeat. Neque sine piaculo taceam, quam diligentem et strenuam in his omnibus recognoscendis atque illustrandis operam mihi navaverit AD. DEMERSAND, quem Academia Parisiensis olim inter universos rhetorices alumnos prima honoris palma præcellentem, et nunc inter juvenes literarum, poeseos, jurisque simul peritia commendabiles clarissimum fovet, ostentat, amplectitur.

His necessariis, ut mihi videtur, præmissis, cætera benevolus lector judicet.

N. E. LEMAIRE.

PRÆFATIO

JO. CHR. WERNSDORFII.

Suscepisse mihi non supervacuum nec rei literariæ minus profuturum laborem videor, qui minora veterum poetarum carmina in variis hinc inde libris dispersa, nunc in unum collecta, denuo edere et illustrare aggressus sim. Habuerunt præstantiores e Romanis poetæ per omnes ætates suos vindices et explanatores, et nostra memoria tantum eruditorum virorum studium in eorum editiones frequentandas incubuit, ut vix unus et alter vatum Romanorum reperiatur, quem non novis curis recensitum habeamus, aut exspectemus. At minora, quæ e vetustate Romana exstant, poemata, postquam ea Petrus Pithœus et Jos. Scaliger collecta vulgarunt, a quo tempore sesquialterum jam sæculum elapsum est, nemo fere repertus est, qui denuo juncta ederet, aut locupletaret; pauci admodum, qui quædam seorsum edita notis illustrarent. Equidem præclaram in eo genere operam posuerunt duo Petri Burmanni, de his literis excellenter meriti, quorum superior Poetas Latinos minores amplis commentariis illustratos prodire jussit; alter epigrammatibus Veterum minoribusque carminibus,

quotquot usquam reperiri potuerunt, in unum corpus conferendis, immortale opus Anthologiæ Latinæ condidit. Verum ille nihil aliud fere, quam Poetis venaticis et bucolicis paucos alios, tanquam comites, adjunxit; hic autem licet epigrammata a Pithœo vulgata reddiderit, multisque auxerit aliis, majora tamen poemata, quæ Pithœus adjunxerat, paucis exceptis, noluit in opus suum recipere. Et sunt præterea poemata Veterum singularia aliunde in pleniorem syllogen advocanda, quæ neque in antiquis illis Pithœi et Scaligeri, neque in hac recenti Burmanni collectione reperiantur. Quum itaque paulo plenior et locupletior potest collectio poetarum minorum institui, tum ea poemata, quæ in pristinis dudum collectionibus comparuerunt, partim nova editione vulgari magis, partim accuratiore studio recenseri merentur. Sunt enim pleraque eorum ex meliore linguæ Romanæ ætate profecta, prætereaque argumenti amœnitate conspicua, et digna adeo, quæ diligentius versentur; quædam vero nondum ita castigata prodierunt, quin nova recensione plus elegantiæ et lucis possint accipere. Quæ ex sequiore latinitatis ævo proferuntur, hunc certe usum habent, ut deficientis cum ætate artis et linguæ nævos ostendant, rationem antiquiores melioresque imitandi vel prosperam vel infelicem commonstrent, denique, quas lingua Romana per ætatem vel mutationes vel accessiones habuerit, haud paucis exemplis doceant. Operæ igitur pretium

me facturum existimavi, si minoribus istis ex antiquitate Romana poetis recensendis et in unum corpus conferendis, studium impenderem.

Sed quo clarius exponam rationem instituti mei, in censum poetarum minorum abs me agendum non solum eos refero, qui carmina non multa, nec magnæ molis reliquerunt, ut Gratium, Corn. Severum, Valer. Catonem, Rutilium Numat. sed alia etiam et singularia poemata, quæ antiqua quidem, sed incertis auctoribus feruntur, et passim aliis poetarum voluminibus adjuncta, partem maximam autem in P. Pithœi collectione veter. epigr. et poem. in Jos. Scaligeri Appendice Virgil. et Catalectis, et recentissime edita in P. Burmanni Secundi Anthologia Latina reperiuntur, quibus tamen haud pauca accedent aliunde repetenda. Duo autem sunt maxime, quibus institutum meum differre a prioribus, quas memoravi, poetarum collectionibus velim. Unum est, quod non epigrammata et poematia brevia, quæ isti collegerunt, sed justa carmina et majora in opus meum recipienda puto: neque enim Anthologiam Burmanni repetere animus est; tametsi nec hoc, si quis agere velit, inconsultum et inutile futurum existimo. Pauca fortasse epigrammata vel brevia poematia intersererentur, quæ vel partem ejusdem argumenti explicent, vel majorum carminum supplere defectum possint. Quæ antiquis auctoribus quidem, sed dubia fide, inscribuntur carmina, non plane proscribenda ex hac sylloge

arbitror, partim ut quibusque lectoribus judicandi de iis facultatem relinquam, partim ut iis satisfaciam, qui de eorum ingenuitate forte minus dubitent, atque hæc etiam in veterum poetarum integra sylloge legi velint. Fragmenta quoque, si qua præter majora ista poetarum carmina reperiantur, his subjicere constitui, ut unius auctoris reliquiæ omnes conjunctæ in meo opere compareant. Excipio tamen ex opusculis Veterum ea, quæ Virgilio probabiliter adscribi solent, ut Cirin et Culicem, et pleraque ejus Catalecta. Hæc enim quam opem et quem ornatum accipere e nova recensione poterant, affatim eis studium et judicium acutissimum Heynii, viri ill., in nupera editione operum Virgilianorum (1) contulit. Altera collectionis meæ dos est in ordine et dispositione carminum, qua poetas, ætate quidem diversos, sed argumento aut metro similes, in unum quasi fascem collegi, et distinctas eorum classes feci. Quæ mihi res eum usum videtur habitura, ut, quantum per diversas ætates in quaque materia, a quibusque poetis, elaboratum sit, quæque in quoque genere vel progressio facta sit, vel mutatio, perspiciatur, eoque historia tum poeseos, tum linguæ Latinæ quodammodo juvetur. Eadem ratio excusabit me lectoribus, quod in quibusdam poetarum classibus locum fecerim inclinantis ad barbariem ætatis carminibus. Etsi enim illa vix aliquam ab

(1) Vide nostram Editionem, vol. V. Ed.

ingenio vel elegantia commendationem habere possint, legi tamen merentur in serie similium carminum, ut ultima in eo genere conamina. Digesta igitur per certas classes minorum poetarum series etiam in plures dividetur tomos; quorum ordinem ut nunc aperiam, primo in tomo (1) produco rei venaticæ scriptores, Gratium et Nemesianum, quibus adjunguntur quæ ad aucupium et piscatum spectant, Latinorum carmina et fragmenta, præcipue Ovidii Halieutica et Ausonii Mosella. —Altero tomo (2) sequentur, quæ post Virgilium ex antiquitate Latina restant Bucolica; sigillatim T. Calpurnii Eclogæ XI, Severi Sancti carmen bucolicum, et quædam alia sequioris ætatis et affinis argumenti. —Tomo tertio (3) destinavi, qui dudum eo nomine editi sunt, Satyricos minores, nominatim Val. Catonem, Petronium, Sulpiciam, cum Turni, Satyrici veteris, fragmento, et Marii Victoris carmine: accedent Elegiæ variorum auctorum, et quædam Lyrica; denique Pervigilium Veneris, incerto auctore. — Quarto tomo (4) prodibunt poemata diversorum de re hortensi, rurali et villatica, quibus colligendis dudum alii præiverunt, veluti Columellæ, Palladii, Vomani, Avieni, Ausonii, Septimii Sereni, cum Moreto et Copa: his adjungetur Rutilii Itinerarium. — Quin-

(1) Qui hujusce nostræ Editionis tomi primi prima pars est. Ed.

(2) Qui tomi primi secunda pars. Ed.

(3) Qui nostræ Editionis secundus. Ed.

(4) Qui in hac Editione tomi sexti prima pars. Ed.

tum denique in tomum(1) conjiciam poemata, quorum argumentum in laude vel descriptione rerum vel personarum versatur, ut Corn. Severi Ætnam, Lucani panegyricum in Pisonem, carmen de Phœnice, Marcelli carmen de medicina, Rhemnii Fannii de ponderibus, Licentii carmen ad Augustinum, et alia. — Restant equidem plura veterum poetarum opuscula, quibus locupletari et in plura volumina produci hæc poetarum farrago possit, in primisque Aratea Cæsaris Germanici et Avieni, cum hujus Descriptione orbis terræ, et Ora maritima, denuo recenseri vulgarique merentur(2). Sed de his aliisque edendis tum constituam rectius, ubi et vitam indulserit Deus, et operam, quam prioribus tomis evulgandis impenderim, gratam eruditis fuisse sensero.

Singula poemata ad præstantissima cujusque exemplaria recensebo, et subsidiis, quorum facultas erit, diligenter utar, ut quam castigatissima edantur. In præsenti quidem, ut de primo volumine, quod nunc prodit, sigillatim dicam, in eo ordinando quasi formam sequutus sum *Venationis nov-antiquæ* olim a Jano Vlitio proditæ, ita ut non solum carmina et fragmenta ab eo collecta redderem, sed et alia adjicerem ex antiquitate conquisita, ut sunt Q. Ennii Phagesiorum fragmentum, alterum Halieutici a Columna

(1) Qui hujus Edit. tertius est. Ed.

(2) Quibus carminibus geographicis nostri tomi quartus et quintus conflantur. Ed.

editi, et quædam Ausonii poemata. In hoc apparatu carminum venaticorum instruendo videbor fortasse aliquibus modum et legem excessisse instituti mei, qui, præsertim Ixeuticis declarandis, carmina quædam e majoribus poetarum operibus decerpta hanc in farraginem contulerim. Verum non ambitiosa diligentia, sed necessitate aliqua videbar adigi, ut, quum in recensu poetarum venaticorum, alteram venationis partem, aucupium dico, non prætermittendam suaderent duo Nemesiani quæ sola supersunt fragmenta, hæc ipsa vero nihil aliud quam naturam quarumdam avium describerent, ipsius rationem aucupii ex aliorum poetarum carminibus in subsidium vocatis ostenderem. In Halieuticis vero tædium legentibus afferre poterat, quæ sola fere in fragmentis continetur, jejuna enumeratio piscium, cui optime mederi videbatur adjunctum carmen Ausonii luculentum, Mosellam dico, quod non solum accenseri Halieuticis ob maximam partem argumenti, sed et seorsum edi ob præstantiam, sicut olim editum est, merebatur. Poterant fortasse in Halieuticis quædam ex eruditorum recentioribus scitis et observationibus rectius quam olim factum est illustrari, aut Gesneri annotata, abs me adjecta, corrigi, quum præsertim hanc operam Plinianæ historiæ libro IX *de aquatilium natura* amplissimis commentariis illustrando nuper admodum præstiterit Laur. Theod. Gronovius. Sed necdum ad manus meas pervenerat Gronovianus liber, quum in

Halieuticis explicandis versarer, nec futurum sperabam quemquam lectorum meorum, qui scientiæ aquatilium vel instruendæ vel amplificandæ gratia hos poetas sibi legendos existimaret. In texto Gratii et Nemesiani constituendo fundus mihi merito fuit Petri Burmanni recensio, et pauca sunt loca, in quibus deserendam ejus lectionem, auctoritate codicum adductus, putaverim. Etenim in recensendis hisce poetis eam mihi legem dixi, ut si aliam viderem a veteribus libris probari bonam lectionem, quam priores interpretes ignorassent, aut neglexissent temere, tum eam reciperem; ubi vero ingenio et conjectura æque mihi ac illis utendum esset, tum, quid mihi videretur in subjecta annotatione indicarem, et textum a prioribus constitutum relinquerem intactum. In reliquis carminibus quæ edo, quam recensionem sequutus, et quibus subsidiis emendandi et illustrandi usus sim, sigillatim expono in procemiis, quæ singulis poetarum classibus præmittuntur. Lectionis varietates, quæ subsidio emendandi essent, quanta potui diligentia enotavi; et quam in Gratio, Nemesiano et Calpurnio dudum Janus Vlitius et P. Burmannus congesserant, silvam variationum et conjecturarum auxi ex libris, quos illi non contulerant. Quanquam parum mihi fructuosum hunc laborem fuisse postea usu didici, præsertim in Gratio, cujus vix duo codices MSS exstant, et pleræque emendationes ingenio et conjecturæ debentur, tamen retexere et abjicere

quæ semel composueram, inconsultum et temerarium putavi. Silvam criticam omnem varietati lectionum inserui, subjectas annotationes soli fere verborum interpretationi et sensui explicando servavi: neque puto locum aliquem eorum poetarum temere abs me relictum esse, in quo notabilis obscuritas non sublata, pro rei et verborum ratione, æquo lectori videatur. In Gratio, quod multitudo locorum difficiliorum urgebat, ut lucem iis afferrem, sola plerumque paraphrasi utendum fuit, et doctior verborum explicatio vitanda, ne longior annotatio locum præriperet aliis. Crisin non facile admiscui, nisi ubi ipsa poscebat interpretatio, ut, quam lectionem sequerer, prius indicarem: neque sententiam poetæ indicasse contentus, subinde etiam monui, si quis elegantior locus occurreret accuratiore consideratione dignus, aut ubi eximiæ pulchritudinis in poeta oblatæ sensus meum animum percussisset. Quæ longiores observationes erant, neque tam sententiæ alicujus loci quam rei ex antiquitate et historia repetitæ explicationem spectabant, eas clarorum virorum qui veteres auctores ediderunt exemplo, Excursuum nomine ad calcem libri rejeci.

An ubique et legibus interpretandi, et instituto operis, et exspectationi legentium satisfecerim, eruditorum esto judicium. Multis in rebus abs me erratum esse, et ipse credo libenter, nec alii mirabuntur, qui cogitent esse hoc opus, quod instituo, maxime varium, conflatumque e carminibus quum multiplicis

argumenti, tum auctorum ætate, ingenio, doctrina, stylo valde dissimilium, quorum interpretatio et variam eruditionem, et judicium multa lectione et exercitatione subactum, quæ mihi vix ausim tribuere, requirant. In hac igitur si quando forte aberraverim a vero, id spero posse imbecillitati humanæ et nostræ bene de literis merendi voluntati æquo animo condonari. Scribebam Helmstadii, in Academia Julia Carolina, a. d. VII April. MDCCLXXIX.

GRATII FALISCI
ET
M. AURELII OLYMPII
NEMESIANI
CYNEGETICA

DE

GRATIO ET NEMESIANO

ET UTRIUSQUE

CYNEGETICO

PROŒMIUM.

Gratii nomen et ætatem, nemo est Veterum qui prodiderit, præter Ovidium, qui coævum sibi, Virgilioque proximum ponit lib. IV ex Ponto, eleg. ult. v. 33:

> Tityrus antiquas et erat qui pasceret herbas,
> Aptaque venanti Gratius arma daret.

Quo versu ipsum Gratii poema quod habemus indicat, alludens ad versum 23: *Carmine et arma dabo venanti, et persequar artem Armorum*. Jos. Scaliger (1), et Thomas Bartholinus (2), cum iisque Petr. Burmannus (3), existimant, Manilium etiam ad Gratium respexisse, quum lib. II, v. 43 scribit:

> Ecce alius pictas volucres et bella ferarum,
> Ille venenatos angues, hic nata per herbas
> Fata refert, vitamque sua radice ferentes.

Nimirum per *bella ferarum* apte putant Gratii Cynegeticon significari, quod is ipse initio poematis, v. 13, venatum vocet bellum ferinum. Neque alius Augustei ævi poeta ex-

(1) Comment. ad Manil. p. m. 104, ed. Argent. 1655.
(2) De Medicis poetis, p. 108.
(3) Præfat. ad Poet. Lat. min.

stat de venatu agens, quem Manilius spectare potuerit. Ego vero et *pictas volucres* indicare Gratii opus existimo: etenim incommode loquutus videtur Manilius, siquidem, quod Scaliger asserit, per *pictas volucres*, et deinde *venenatos angues*, duo Æmilii Macri poemata, Ornithogoniam et Theriaca, intellexit, atque ita Gratii carmen duobus Macri poematibus disjunctis interposuit. *Pictas volucres* potius ita conjungit cum *bellis ferarum*, ut unum opus exprimere videatur, atque iis vel partem venationis, h. e. plagas, retia et formidines, pinnis avium distinctas, indicat, a quibus conficiendis Gratius ipsum opus suum orditur; vel aliud Gratii carmen respicit Cynegetico affine, quod forte intercidit, ἰξευτικόν, de avium generibus et captura, quandoquidem de his etiam scribere solebant, qui universum venationis opus complecti vellent. Sunt qui mirentur Gratium poetam adeo ignotum fuisse Antiquis, ut a nemine, præter Ovidium, memoretur; eum præterea non alio quam Gratii nomine appellari, neque plures ejus nominis in historia Romana exstare fama aut facto aliquo notabiles (1). Propterea putant Gratiorum gentem obscuram admodum, ignobilem, et plebeiam fuisse. Neque illos plane falli existimo: immo mihi Gratius videtur servili conditione natus, et libertus nobilis alicujus Romani fuisse. Hoc quum ipsum

(1) Id tamen infirmari videtur exemplo Gratii, quem Cicero, in oratione pro Archia poeta, cap. 4, accusatorem istius poetæ nominat; et Gulielmius etiam putavit intelligi de Nostro posse. Sed plane obscurus est Gratius ille Ciceronis, ipsaque lectio hujus loci valde dubia, quum vetustiores editiones Gracchi nomen præferant, aliæ etiam ejus loco vocem *gratis*. Quod si etiam concedamus verum ibi Gratii nomen exstare, nihil tamen impedit quominus et hunc Archiæ accusatorem existimemus libertinæ conditionis fuisse: nam certe Gratiæ gentis nulla vestigia ætate Ciceronis exstant. Idem vero si fuerit Gratius, poeta noster, liceret inde malum hominis animum colligere, qui, quam ingenio et studiis ipse meruisset civitatem, Archiæ poetæ invidisset. Sed habere eum pro Gratio vix licet, quum is Virgilio ætate suppar fuerit, neque adeo Ciceronis ævum attigerit. Ed.

ejus nomen, tum studii genus et venationis experientia indicat. Servos suos qui in peculiari dominorum gratia erant, Romani blandis appellare nominibus solebant, ut sunt Erotis, Chresti, Evaristi, Onesimi, Charitis, Chariessæ, Philumenæ, Horææ; quorum e numero et Gratii esse videtur. Hinc in lapidibus antiquis inter libertorum nomina apparet, et gentili appositum nomini cernitur. In corpore Inscriptionum Gruteri invenitur Tib. Clavdivs Avg. lib. Grativs (p. 582, 2; p. 652, 8), Q. Jvnivs Grativs (p. 876, 4), et L. Vitellivs L. lib. Grativs (p. 1114, 4). Si loco nominis gentilitii invenitur, fere semper tale cognomen habet, quod servile aut peregrinum, certe minime Romanum videatur, ut intelligi possit, hos homines aut libertini generis fuisse, et Gratii nomen a majoribus, qui serviissent, accepisse, aut, quod ipsi serviissent, Gratii nomen, quasi servis solenne, conjunctum cum alio proprio habuisse. Tales sunt apud Gruterum (p. 324, 7; p. 913, 6 et 7) L. Gratius Glaucus, L. Gratius Eutiches, et Q. Gratius Xanthius. Quum Tib. Claudius Gratius, Augusti libertus, et Liviæ Augustæ quondam servus a potione, antiquo in marmore memoretur, cujus ætas ac status apprime convenit cum Nostro, suspicor, hunc ipsum Gratium fortasse Cynegetici auctorem, aut certe alium ejusdem ætatis et familiæ Cæsareæ fuisse, qui nomen Claudii in gratiam Tib. Claudii Neronis acceperit, cujus e conjugio Livia transierat in Augusti domum. Nobiles Romani in fundis et villis suis inter operas rusticas habebant aucupes, piscatores et venatores, qui mensas dominorum quotidianis epulis instruebant (1). Sallustius diserte servilibus officiis accenset venatum (2), tametsi ipsi domini haud raro voluptatis caussa venationi studebant. Hanc operam fortasse Gratius præstiterat hero suo, atque exercitatione assidua tantum artis et gratiæ

(1) Horat. Epist. I, 6, 56. — Martial. Epigr. III, 58, 26. — Pignorius, de Servis, p. m. 270.

(2) Catil. cap. 4; Edit. nost. pag. 13. Ed.

acquisiverat, ut non solum Gratii nomen mereretur, sed et literis et liberalibus studiis institutus et manumissus auderet artem, quam exercitaverat, carmine composito explicare. Hoc ipsum Gratius putatur, alludendo ad nomen suum, significasse, Cyneg. v. 74:

> Exige, si qua meis respondet ab artibus ergo
> Gratia, quæ vires fallat collata ferinas.

Ne igitur miremur Gratium uno tantum gaudere nomine: nam si civis Romanus non fuit, nec adeo gentem habuit, plura gerere nomina non potuit, nisi voluit patroni, qui manumiserat, usurpare. Comparemus Phædrum, Augusti libertum, et fabularum elegantissimum scriptorem. Similiter Columellæ nomen olim dicitur servorum fuisse, et, si Donato ad Terent. Phorm. III, 1, 57, fides habenda est, columellæ dicti sunt servi majores domus. Hinc L. Junius Moderatus, ille rei rusticæ scriptor, haud dubie generis libertini fuit, cujus auctor quondam fuerit columella, sive servus Junii Moderati, et ab eo manumissus domini nomen acceperit. Falisci cognomento primus Gratium Casp. Barthius ornavit e codice suo, quem tamen nemo alius vidit, et patriam suam ipse indicasse hoc versu existimatur, v. 40:

> At contra nostris imbellia lina Faliscis.

Ipsum ejus carmen, nisi me fallit opinio, auctorem prodit, qui a natalibus, educatione et disciplina non eam ingenii et doctrinæ elegantiam nactus sit, qualem in aliis Romanis, felicius natis, observare licet. Quanquam dictio ipsa pura est, et felicissimo Romani sermonis sæculo digna, structura tamen et contextio versuum sæpe durior et asperior est, nec materiam in qua versabatur poeta austeriorem, tanta emollire arte, tantis exornare luminibus valuit, quantis Virgilium in simili argumento potuisse novimus, cui *molle* et *facetum annuerunt gaudentes rure Camenæ* (1). Falluntur

(1) Horat. Serm. I, 10, 44.

propterea, et nimia Gratii existimatione ducuntur, qui cum Wasio, præfat. in Gratium, putant ideo Virgilio junctum ab Ovidio esse, quod huic proximus ingenio sit, et secundum a Virgilio locum inter poetas mereatur. Ut singulare nec ab aliis tractatum argumentum sibi sumpsit Gratius, ita singularis ejus dictio est, ut necesse sit, multo usu familiarem eum poetam habere, qui recte intelligere et interpretari velit. In multis locis vix ab alio petere interpretationem, quam ab ipso, possis. Peculiares in primis ei sunt permutationes temporum, præsertim usus præteriti pro præsenti, mutatæ turbatæque constructiones, frequens σύγχυσις et βραχυλογία in præceptis sæpe molesta (1). Præterea singulares, saltem insolentiores quorumdam vocabulorum significatus amat. Lectiones ejus plures adhuc corruptæ, et propter defectum codicum MSS solo ingenio interpretum emendandæ : quæ omnia tantas sæpe difficultates pariunt, ut, quamvis tibi sensum aliquem reperisse videare, dubitare tamen possis, an verum inveneris. Sed hæc incommoda, quæ subinde Gratii interpreti objiciuntur, minime impediunt, quominus ipsum poetam egregium atque omni existimatione dignum habeamus. Quum enim ipsa hæc rariora, quæ adduximus, usum habent ad ampliorem linguæ notitiam, tum ei non desunt alia verborum et sententiarum ornamenta, quibus placere perito lectori possit, præsertim in digressionibus quibusdam, ubi ad exempla vetustatis et merita priscorum celebranda excurrit, quibus ut nihil est elegantius, ita magnum poemati lumen accedit. Videtur etiam in multis antiquiores poetas imitatus, et Lucretii maxime Virgiliique exemplum ante oculos habuisse. Quod autem ad rem venaticam attinet, Xenophontem quidem,

(1) Scriptor quidam anonymus in Observ. Miscell. vol. II, p. 79, ad Stat. Achill. lib. I, 459, monet poetas sæpe perfecto tempore pro præsente uti, et in continua oratione verba præteriti et præsentis temporis conjungere, idque pluribus locis poetarum firmat; sed nemini tamen hic mos tam frequens et perpetuus et pæne familiaris est, quam Gratio. Ed.

ut ex locis haud paucis apparet, sequutus est, alia tamen habet quæ videtur ex aliis scriptoribus nunc deperditis petiisse. Tale est illud, quod de Dercyli Arcadis et Hagnonis Bœotii inventis in arte venatica memorat, quorum memoria apud Xenophontem nulla exstat. Tanto majus est Gratii meritum, qui de originibus venationis ea servaverit, quæ apud alios ejus argumenti scriptores frustra quærantur. Etiam illud fere mirandum est, quum primus venationem carmine celebrare aggressus sit Gratius, nec ipse habuerit quem imitaretur, sic sequutos esse posteriore ætate inter Græcos et Romanos, qui eamdem quidem rem susciperent, Gratium tamen ignorarent. In Græcis præcipuus est Oppianus, qui venationem carmine describendam tanta felicitate ingenii aggressus est, ut absolutus in eo genere poeta habeatur. Reliquit Cynegetica libris IV, et Halieutica libris V, optime quidem olim edita et illustrata a Conr. Rittershusio, Lugd. Bat. 1597, nuper autem novis castigata curis a Jo. Gottlob Schneidero, V. C. Academiæ Viadrinæ nunc Professore celeb. Ixeutica, quæ pariter scripsisse dicitur, nemo recentiorum se vidisse affirmat, paraphrasis tamen eorum prosaica Eutecnii Sophistæ, qua olim jam usus est Conr. Gesnerus, nostra ætate græce edita et latina versione donata est ab Erasmo Windingio, Hafniæ, 1702 et 1715. Præter hunc poetis venaticis e Græcis accensendus est Christodorus, Thebis Ægypti oriundus, quem ἰξευτικὰ sive de aucupio versibus scripsisse, Suidas tradit; hujus tamen nihil ætatem tulit (1). Oppianus vero Gratium ita ignorat, ut statim a principio poematis dicat, asperam se viam ingredi, quam nemo ante mortalium suis carminibus triverit (2).

(1) Præter Epigrammata quædam in Anthol. Græca: sed Epigrammata quæ sub Christodori nomine leguntur, illius esse Christodori videntur quem Suidas et Eudocia in Violario dicunt e Copto Ægypti urbe oriundum, sub Anastasio Imper. floruisse, atque inter alia poemata tres libros Epigrammatum scripsisse. Ed.

(2) Cyneg. lib. I, v. 20.

Equidem hoc per se haud mirum est, Romanum poetam ignotum fuisse Græco homini, quum sciamus Romanos haud æque lectos a Græcis, ut Græci a Romanis solebant; sed tamen insunt Oppiano sententiæ adeo similes Gratii, quæ vix videantur sic temere convenire, et a nulla imitatione profectæ, ut nesciam quanta fides assertioni Oppiani habenda sit. Sed libentius absolvimus Oppianum, ubi videmus, Nemesianum adeo, qui unus e Latinis Cynegetica post Gratium scripsit, hunc principem sui operis ignorare: nam idem fere, quod Oppianus, initio carminis versu 8 pronuntiat:

> ......ducitque per avia, qua sola nunquam
> Trita rotis.

et versu 11 : *intacto premimus vestigia musco.* Apparet Cynegeticon Gratii ignotum fere Antiquis mansisse, et raro descriptum a librariis, ut mirum sit, exemplar ejus poetæ, cujus memoria fere nulla per tot sæcula et omnem medii ævi barbariem superfuisset, servari ad nostram ætatem potuisse. Fuit autem initio sæculi XVI talis codex, qui Gratii et Nemesiani Cynegeticon cum Halieutico Ovidii continebat, apud Actium Sannazarium, quem e Gallia asportatum in Italiam, sibique ostensum Neapoli a Sannazario, Gyraldus in historia poetarum testatur (1). Atque hunc codicem deinceps a Joanne Lucretio Æsiandro descriptum, Georgius Logus, e Silesia, additis Nemesiani et Calpurnii Bucolicis primum edidit Venetiis, 1534. Repetiit eodem anno Steynerus Augustæ Vindelicorum, et Gryphius Lugduni 1537, addita Hadriani Cardinalis Venatione. Halieuticon Ovidii, quod tum una prodiit, in alio etiam codice Thuaneo, eidem Gratio, sed mutilo, junctum reperit Janus Vlitius (2). Exstare Gratii Cynegeticon MS sæculi X, codice 8071, num. 17,

(1) Primus hæc poemata ab Actio reperta memorat Petr. Summontius in præfat. ad Joviani Pontani Dialogum, qui Actius inscribitur, in Pontani Opp. tom. II, p. 187, edit. Basil. Ed.

(2) Gratius in codice Thuaneo desinebat in versu 159. Ed.

Bibliothecæ Regiæ Parisiensis, indicat ejus bibliothecæ catalogus. Quod diversum a Thuaneo, an idem sit, nunc non inquiro. Jurene autem Halieuticon Ovidio tributum, an potius alii tribuendum sit auctori, quod Vlitio videbatur, alio loco accuratius disquiremus. Nunc de Nemesiano, alterius Cynegetici auctore, agendum est.

Is integro nomine fronti poematis in exemplari antiquo inscriptus est M. Aurelius Olympius Nemesianus, poeta Carthaginiensis. Apud Vopiscum in Numeriano tantum Olympius Nemesianus dicitur, et medio ævo ab Hincmaro Remensi Carthaginiensis Aurelius salutatur. Præcipuum nomen Olympius fuisse videtur, Nemesianus cognomentum familiæ, a patria majorum ortum : nam Olympius est Vopisco, et hoc solo nomine aliquando citatur a Lactantio, scholiaste Statii, ad Theb. V, 389. Ad Olympium, Comitem Africæ, scribit Augustinus, epist. 124 et 129. Idem Magister officiorum fuisse sub Honorio an. 408 videtur, ut apparet ex Cod. Theodos. leg. 42 de hæret. Olympius, Hispanus Episcopus, a Gennadio, libr. de S. E. cap. 23, Augustino in libris contra Julianum Pelag. et Paulino epist. 37 laudatur. Nemesiani dicti videntur ab oppido Marmaricæ Nemesio (1), de quo Cellar. Orb. Ant. P. III, p. 107, unde forte auctores ejus generis orti et honoribus aucti, nomen posteritati suæ fecerunt : nam in Africa præcipue celebres fuerunt Nemesiani. Fit mentio Nemesiani inter Episcopos Numidas duabus epistolis S. Cypriani, LX et LXX, atque ille in Concilio Carthaginiensi (2), item ab Augustino (3) *a Thubunis*, oppido Mauretaniæ Cæsareensis, cognominatur. Ad eumdem postea martyrem, ad metalla cum aliis damnatum, epistola Cypriani, consolandi caussa scripta, cum responsione Nemesiani ex-

(1) Malo nunc existimare, non a Nemesio oppido, sed a Nemesiorum nomine, quorum multi occurrunt, Nemesianum nomen esse derivandum, ut a Claudiis Claudiani, a Tiberiis Tiberiani, etc. Ed.

(2) Op. Cypriani p. 360, edit. Pamel.

(3) Lib. VI contra Donat. cap. 12.

stat (1). Hunc Nemesianum, episcopum Thubunensem, non dubito gentilibus Olympii nostri accensere. Alius Nemesianus, vir militaris, inter conscios cædis Caracalli Imper. nominatur a Spartiano (2). Nemesianus, Comes largitionum sub Constantio occurrit Cod. Theod. leg. 5, de exactionibus: igitur non temere affirmat Crinitus, Afrum genere, patria Carthaginiensem fuisse Nostrum. Et patre usus videtur splendidis honoribus, aut magistratu aliquo in ea provincia functo. Quod enim in magna gratia et familiaritate apud Carum et Numerianum Imperatores fuit, ut Vopiscus innuit, id ille non ingenio solum et studiis literarum, sed etiam dignitati a natalibus debuisse videtur. Immo, si Vlitii hac de re conjecturæ credimus, id cognationi fortasse debuit: hic enim conjicit, M. Aurelii gentile nomen Nemesiano ex cognatione cum Caro ejusque filiis fuisse, qui passim in nummis et monumentis Marci Aurelii omnes vocantur (3). Quæ de vita et scriptis Nemesiani hodie novimus, fere omnia ad auctoritatem et testimonium Vopisci redeunt, qui eum memorat (4) cum Numeriano Cæsare, literarum et eloquentiæ studiosissimo, sæpe versu contendisse, scripsisse ἁλιευτικὰ, κυνηγετικὰ et ναυτικὰ, atque *omnibus coloniis*, sive, ut recte emendat Casaubonus, *coronis illustratum emicuisse*. Quibus verbis confirmat magnam Nemesiani ex eruditione et facultate poetica existimationem fuisse, adeo quidem, ut in omni genere poematum, certamine instituto, victor discesserit, et coronam adeptus sit. Apparet hinc, sub Numeriano Cæsare, magno fautore ingeniorum, et ipso eloquentissimo, commissiones poetarum et agones publicos, olim a Domitiano institutos, valde revixisse, magnoque studio agitatos esse, excitatis hinc inde nobilioribus poetis qui de præmio certarent. E quibus non solum Vopiscus Nemesianum et

(1) Op. Cypr. epist. 77 et 78, edit. Pamel.
(2) In Carac. cap. 6.
(3) Vlitius, Comment. ad tit. Cyneg. Nemes.
(4) In Numeriano, sub initio.

Aurelium Apollinarem, iamborum scriptorem, nominat, sed Calpurnium etiam fuisse, ex hujus Bucolicis haud temere colligitur : hic enim quum pastores suos aliquoties vel carmine certantes, sedente arbitro et præmiis propositis, vel alios de aliorum voce et cantu altercantes inducit, ut Ecloga II et VI, haud obscure ad agones illos poeticos alludit. Et judicem aliquem poetarum, vel commissionum præsidem, qualis Horatii ætate Metius Tarpa fuit, Calpurnius in Thyrsis persona sistere videtur, Ecloga VIII, v. 11 :

> Nam dum lentus abes, lustravit ovilia Thyrsis,
> Jussit et arguta juvenes certare cicuta.

In primis Melibœum, tanquam præcipuæ dignationis inter poetas, celebrat, eumque certantibus præmia distribuisse significat, ut Ecloga VIII, v. 15 :

> Te nunc rura sonant; nuper nam carmine victor
> Risisti calamos et dissona flamina Mopsi,
> Judice me; mecum senior Melibœus utrumque
> Audierat, laudesque tuas sublime ferebat.

Et eadem Ecloga, v. 60, de Meliboœo :

> Nec segnem passus nobis marcere juventam,
> Sæpe dabas meritæ non vilia præmia Musæ.

Sub Melibœi nomine Nemesianum laudari a Calpurnio, docti viri qui in hujus Bucolica scripserunt, tantum non omnes existimant, inducti maxime inscriptione eclogarum, quæ in quibusdam antiquis exemplaribus invenitur, easque scriptas perhibet *ad Nemesianum Carthaginiensem*. Meliboœo vero ipse Calpurnius passim in eclogis, sub Corydonis persona, non solum carmina sua diserte tradit et commendat (Ecl. I, v. ult. et IV, 158), sed eidem etiam ut patrono et amplificatori fortunæ suæ Ecloga IV et VIII amplissimis verbis gratias agit. Non inficior, satis aptam hanc esse rationem Nemesiani in Meliboœo inveniendi; sed vereor, ut fundamento satis firmo nitatur : nam inscriptio illa *ad Nemesianum*, quæ in pluribus aliis, iisque antiquissimis, exem-

pluribus non invenitur, potius glossema recentiorum Grammaticorum videtur, qui patronum Calpurnii statuebant non alium esse, quam, qui a Vopisco ut nobilis poeta ejusdem ætatis et Numeriani Cæsaris familiaris laudatur, Nemesianum, ideoque versibus Calpurnii quibus Melibœo sua carmina commendat, inducebantur, ut dedicationem ad Nemesianum titulo eclogarum apponerent. Præterea, quæ Calpurnius de Melibœo, et Vopiscus de Nemesiano prædicat, non plane conveniunt. Ille non solum poetam et poetis faventem Melibœum, sed maxime etiam honoribus illustrem et officio sacri Palatii functum esse indicat. Sic enim Ecl. IV, v. 158:

> Fer, Melibœe, Deo mea carmina; nam tibi fas est
> Sacra Palatini penetralia visere Phœbi.

Magistratum vel officium juris dicundi ei tribuit Ecl. VIII, v. 51:

> ....Plenum tibi ponderis æqui
> Pectus erat; tu ruricolum discernere lites
> Adsueras, varias patiens mulcendo querelas.
> Sub te ruris amor, sub te reverentia justi
> Floruit, ambiguos signavit terminus agros.

Præterea *honorati* ejus Manes dicuntur v. 22, quod verbum de nobilibus et magistratu functis dici solet (1). Denique favorem Melibœi et beneficia prædicans Calpurnius, talem in se esse agnoscit, qualem olim Virgilius expertus sit Mæcenatem, Ecl. IV, v. 160, eique parem honoris gradum ac Mæcenati tribuit. Quod si hæc omnia Melibœo tributa accipienda de Nemesiano sunt, vix dubitari potest, eum summo honore aut Præfecti Urbis, aut Magistri officiorum, aut Comitis sacri Palatii functum esse apud Carum Imperatorem: enimvero Olympium tales honores gessisse Caro imperante nusquam legitur. Vopiscus eum ut poetam carmi-

(1) Ut potissimum locus Velleii Paterculi demonstrat, lib. II, 88, 2, ubi de Mæcenate: « Non minus Agrippa Cæsari carus, sed minus honoratus; quippe vixit angusto clavo pæne contentus ». Ed.

nibus celebrem laudat, magistratum ejus et honorum titulos plane tacet, quod fieri ab historico in viro illustri commemorando non poterat, nec debebat. Proinde totum hoc, quod de Nemesiano Calpurnii patrono, eique dicatis ab hoc eclogis, narrari solet, ut incertum et dubium, ampliandum censeo.

Scriptorum Olympii hodie nullum exstat, præter Cynegeticon et carmen de laudibus Herculis, quod huic tomo primo, post scriptores venaticos, adjunximus : nam quæ illi vulgo tribuuntur quatuor eclogæ, Nemesiani non esse, certis rationibus alio loco demonstrabimus. Quæ ex libro de aucupio proferuntur duo fragmenta, Janus Vlitius quidem existimavit vix digna Nemesiano auctore esse; de iis tamen quid nobis videatur, suo loco exponemus. Libri etiam ἁλιευτικῶν, quæ idem scripsisse perhibetur, reliquias exstare in fragmento Sertorii Quadrimani, infra producendo, suspicor, de quo amplius disserendi occasio ad ipsum hoc fragmentum commentantibus erit. Alia ejusdem auctoris necdum edita, habuisse apud se Franciscum Modium putavit Casp. Barthius, optavitque, ut in suam potestatem venirent (1). Sed ipsum Modii locum, quem Barthius respicit, Novantiqu. lect. epist. XVII, qui inspicere voluerit, cognoscet, non ἀνέκδοτα Nemesiani, sed novam editionem Gratii, Calpurnii et Nemesiani, quantum eorum poetarum exstat, promitti, videri tantum ἁλιευτικῶν fragmentum Nemesiano ab ipso tribui. Cynegeticon, quod ipsum magna parte mutilum est, scripsit Nemesianus, et duobus Cari Imperatoris filiis Cæsaribus, Carino et Numeriano, ut e versu 63 sqq. apparet, dedicavit eo ipso anno, quo Cæsares isti patri in expeditione Persica mortuo successerant, eorumque adventus Romæ exspectabatur. Eadem in Cynegetici dedicatione significat, primum hoc esse majus et longius opus, quod moliatur; antea minora se tantum carmina lusisse. Sic enim scribit versu 59 :

> Dum non magna ratis vicinis sueta moveri
> Litoribus, tutosque sinus percurrere remis,

(1) Advers. lib. III, cap. 15.

Nunc primum dat vela Notis, portusque fideles
Linquit, et Hadriacas audet tentare procellas.

Eclogas itaque, si quas scripsit Olympius, ante Cynegeticon scripserit necesse est. Et tamen eclogæ, quæ Nemesiano tribuuntur, manifeste apparent scriptæ post Calpurnianas, quas certum est eodem tempore quo Cynegeticon illius, nempe Caro et ejus filiis imperantibus, esse editas: nam, qui duabus Calpurnii eclogis ut vivus et florens laudatur Melibœus, idem in ea, quæ prima Nemesiani censetur, defletur ut mortuus. Et sunt plures aliæ rationes sat graves, quæ Nemesiano eclogas, quæ feruntur, abrogandas cogant: sed has uberius exponemus, ubi de Calpurnio ejusque Eclogis dicendum erit.

Jam recensere hoc loco varias Gratii et Nemesiani editiones, et quid a viris doctis præstitum in his κυνηγετικῶν scriptoribus esset, commemorare animus erat. Quoniam vero hi poetæ inde a prima eorum editione fere nunquam, nisi conjuncti cum Calpurnii et Nemesiani Bucolicis, sæpius ante editis, prodierunt, et constitutum mihi est, tomo secundo Poetarum minorum, qui Bucolicos tenebit, integrum editionum, quibus isti vulgati sunt, recensum agere, malo nunc quidem Cynegeticorum editiones isti servare inserendas, quam his seorsum ponendis seriem recensionis turbare, aut maximam ejus partem præcipere. Pauci admodum sunt, qui Gratii et Nemesiani Cynegeticis seorsum evulgandis et illustrandis singularem operam impenderunt. Primario hic nominandus est Janus Vlitius, Archigrammateus Bredanus, qui quidem anno 1645 ex officina Elzeviriana, forma duodecima, sub indice *Venationis Nov-antiquæ* Cynegeticorum scriptoribus cum Ovidii Halieutico editis, Bucolica Nemesiani et Calpurnii adjunxit, præcipuam tamen operam Venaticis navavit, eosque non solum uberrimo doctissimoque commentario instruxit, sed et adjectis duobus Nemesiani fragmentis de aucupio, alioque Ponticorum C. Julii Solini, locupletavit. Hujus libelli unica tantum ex-

stat editio, quanquam anno 1653, mutata indicis prima pagina, et addita nova dedicatione ad Christinam, Suecorum reginam, solita librariorum fraude, quasi recentior comparuit. Curas secundas in scriptores venaticos a se recensitos Vlitius deinceps seorsum edidit an. 1655. Post hunc duo Britanni ad ornandos poetas venaticos accesserunt: unus quidem Christophorus Wasius, qui Gratium e Latino Anglicum fecit, et notis eruditis illustratum edidit Londini, 1654, 12; alter Thomas Johnson Gratii et Nemesiani Cynegetica cum variis lectionibus et notis vulgavit Londini, 1699, 8. Gratium castigavit ad editiones antiquiores, quas, præter unam, omnes se conquisivisse dicit: manuscriptis etiam usum esse, quod Fabricius affirmat, equidem non reperi. Nemesiano notas Vlitianas adjecit cum suis. Addidit præterea Hieron. Fracastorii *Alcona*, sive carmen de cura canum venaticorum, Joannis Caii libellum de canibus Britannicis, item opusculum vetus, Κυνοσόφιον dictum, quod etiam auctoribus rei accipitrariæ, Lutet. 1612, 4, editis, insertum est p. 259. Solius Nemesiani Cynegeticon nulla, ut opinor, annotatione explanatum, separatim Christianus Fridericus Schmidius evulgavit Luneb. 1716, 8 (1). Utrumque vero Cynegeticon, Gratii et Nemesiani, selectis Barthii et Vlitii, integris P. Burmanni notis instructum prodiit Mitaviæ, 1776, 8. Superest ut notas editionum, quibus ipsi in varietate lectionis indicanda utimur, breviter explicemus. Vide mox pag. 28.

(1) Sed cum Calpurnii Siculi Eclogis, ipsiusque Nemesiani, edita sunt Cynegetica ab Henrico Gottlob Schmidio, Luneburgi, literis Sternianis, anno 1746, 8: quæ editio, an eadem sit cum memorata a Fabricio editione Cynegetici Luneburgica, nescio. Primum ab eo editum est Nemesiani Cynegeticon solum, Luneb. 1716, deinde idem auctius Nemesiani et Calpurnii Eclogis, Luneb. 1746. Hoc in literis monuit Wernsdorfium V. C. Niclasius. Ed.

GRATII FALISCI

CYNEGETICON

NOTÆ

EDITIONUM

GRATII ET NEMESIANI.

A. *Aldina*, Venetiis 1534, quæ prima dedit poetas venaticos.

St. *Steyneri*, Augustæ Vindel. 1534, a Johnsonio citata.

Gr. *Gryphiana*, 1537.

G. *Germanica* ἄτοπος Barthii.

P. *Parisiensis* vel *Pithœana*, inter Epigrammata et poematia vetera, 1590.

L. *Lugdunensis*, vel Pithœana altera, a Johnsonio citata, 1596.

B. Editio *Barthii*, vel ipsius commentarii, Hanoviæ 1613.

Vlit. Edit. *Vlitii*, 1645.

W. *Wasæana*, Londini impressa.

MS. *Codex Thuaneus*, a Vlitio et Burmanno adductus, qui partem Gratii Cynegetici, et Halieuticon, ut exstat, totum continebat.

DE GRATIO

ELOGIA AUCTORUM AC JUDICIA.

I. Ovidius ex Pont. lib. iv, eleg. ult. v. 33.

Tityrus antiquas et erat qui pasceret herbas,
Aptaque venanti Gratius arma daret (1).

II. Gyraldus de poet. historia, dialogo iv.

Quod Cynegetica Gratius scripserit, Actius Sannazarius mihi aliisque pluribus asseruit, et ostendit, quum Neapoli animi recreandi gratia ex Urbe profecti essemus : se enim ex Heduorum finibus atque e Turonibus detulisse opusculum de Piscibus Ovidii, et Cynegetica Gratii et Nemesiani; id quod etiam suo scripto testatus est Pontanus, quadam sua epistola ad ipsum Actium, et P. Summontius.

Epistolam Pontani, quam Gyraldus respicit, Goldastus in Philologicarum epistolarum Centuria n.° XXIII, p. 78, vulgavit. Eam integram hic subjicimus :

(1) Ad testimonia antiquiora de Gratio referri poterat versus quidam carminis bucolici medio ævo scripti, cujus fragmentum e MS codice desumptum Vlitius ad Grat. v. 253 adducit. Laudatur in eo canis venaticus e cane et lupa genitus, inter alia hoc versu : « Fortis et acer erat, « multumque audebat in armis ». Geminum hoc est illis Gratii de Umbro cane : « Quanta fides utinam et solertia naris, Tanta foret virtus, et « tantum vellet in armis! » v. 173, seq. Quomodo et paulo ante, v. 160 : « At contra faciles, magnique Lycaones armis ». Idem de equis, v. 498 : « Non omne meas genus audet in artes », et v. 528 : « O quantus in « armis Ille meis ! » Scilicet hoc frequens Gratio et plane proprium est, ut venatum et bellicosam canum vel equorum virtutem *arma*, *velle* et *audere in armis* dicat, quam dictionem ubi ille ævi medii poeta usurpat, lectionem Gratii prodere videtur. Ed.

III. Joan. Jovianus Pontanus Actio Sincero animi firmitatem D.

Quæ ad Pudericum scripsisti, ea me mirificum in modum delectarunt: sunt enim plena pietatis tuæ erga vetustatem ac diligentiæ. Quocirca vel attentissime exspecto videre Ovidianos illos Pisciculos in Euxino lusitantes Mæotideque in palude. Quod vero ad Venationem attinet, visus est mihi vates ille lepidus, numerosus et cultus; deque eo, si recte memini, fit ab Apollinare mentio in Hendecasyllabis. (*In hoc fallitur Pontanus.*) Rutiliani illi versiculi enodes sunt et nitidi; cultus vero ipse peregrinus potius quam urbanus, ne dicam, arcessitus. Sed de his omnibus cujus erit judicium rectius aut probatius, quam tuum? Ego, ut dixi, mirifice exspecto Ovidianos illos ἁλωπας, nobis incognitos (*respicit Halieut. vers.* 97), præsertim sub Quadragesimale jejunium. Tu vale, et in isto voluntario exsilio seu potius peregrinatione, dignam nobilitate tua fortitudinem retine. Neapoli, Idibus Februariis, MDIII.

IV. Jul. Cæs. Scaliger Hypercrit. cap. 7.

Quum duo elegantes poetæ venationis præcepta poemate tractarint, Gratius et Nemesianus, alter alterius aut lima aut censor esse poterit. Igitur Nemesiani stylus candidus, nec vulgare sonans; præterea silvæ propior, atque effusus. Gratius castigatior, et longe exactius simul cum natalibus ipsis canum designat mores, animos, vires, celeritatem, sagacitatem, faciem. Et sane divini versus multi........ Ubi vero canum tum morbos, tum remedia describit Gratius, satis ostendit ætatis suæ felicitatem; sunt enim luculentissima. Omnino vero ei Nemesianus impar, atque etiam longe minor.

V. Paulus Manutius in epist. ad Antonium Merlum, lib. iv, ep. 43, p. 317, edit. Colon. 1624.

Mitto ad te Gratii poema de Venatione, paullo durius, nec omnino cum Pet. Bargæi carmine conferendum, qui hoc argumentum sex libris non minus eleganter quam copiose persecutus est.

VI. Franciscus Modius Novantiq. lect. epist. xvii.

Est hic idem ille Gratius, cujus inter cæteros Ovidius his verbis alibi meminit : *Tityrus antiquas*, etc. Quæ ideo ab ingeniosissimo poeta dicta sunt, quod plurimus hic sit Gratius, ut venatorem armis primum et ante omnia instruat idoneis; quum simile postea argumentum tractans Nemesianus maxime in describenda canum natura et patria laborandum sibi existimet.

VII. Caspar Barthius Advers. lib. i, cap. 16.

Felicissimum Latinorum sæculorum facile in Gratio agnoscas; nil enim vulgare aut ineptum inest : omnia eodem filo gravitatem et elegantiam servant.

Idem in alio ex Advers. lib. xlviii, cap. 16.

Gratium, tantarum virtutum scriptorem, ut proximus omnium superstitum Maronem accedat, solus Ovidius commemorat.

VIII. Olaus Borrichius de poetis Lat. diss. i, § 25, p. 54.

Notamus in hoc scriptore eruditionem non pœnitendam, judicium acre, lectam dictionem, sed humiliorem subinde charactere epico, neque id injuria, quum argumentum operis id deposcat.

IX. Nicol. Heinsius in epist. ad Græv. tomo iv Syllog. Burm. p. 285.

Miram medius fidius præ se fert elegantiam et suavitatem Gratius; ut continere jam olim me non potuerim, quin familiarem mihi redderem hunc poetam, et ab ejus ore frequenter penderem.

CYNEGETICI

A GRATIO FALISCO SCRIPTI

ARGUMENTUM.

Cynegeticon recte inscribitur hoc Gratii puta opus vel volumen, ut κυνηγετικὸς liber Xenophontis: etenim uno hoc libro Gratius totam venandi rationem breviter complexus est, appellavitque aliorum more a primaria ejus parte κυνηγεσία. Qua autem via eam traditurus sit, aut quas ejus partes præcipuas existimet, ipse proponit versu 23:

> Carmine et arma dabo venanti, et persequar artes
> Armorum; cassesque, plagarumque ordiar astus.

Primo enim arma venatori vult dare, hoc est, omnem armorum et instrumentorum apparatum describere, variaque eorum genera, unde et quomodo parentur, conficiantur, serventur, ostendere; tum usum eorum, et qua arte feris vel insidiandum vel congrediendum sit, docere. Ad arma venatorum refert non solum retia, formidines, laqueos, jacula et tela reliqua, sed canes etiam et equos. Singula ita enarrat ordine, ut iis artem ipsam et usum quo præstent in venatione, subjungat. Itaque post invocationem et laudem Dianæ, cæterorumque Deorum venationis præsidum, incipit dicere de retibus, v. 25, iisque conficiendis modum et materiam optimam præscribit. Lina præstantissima laudat, etiam curam et tutelam retium diligentem commendat, denique necessitatem eorum e temeritate priscorum, qui iis uti nescierunt, male multata ostendit. Retibus adjungit formidines, v. 75, atque ubi plumas iis adhibendas et connectendi modum perdocuit, ad laqueos transit et pedicas, ob quarum inventionem Dercylum Arcada magnifice laudat. Pergit v. 108 ad jacula et venabula describenda, in quibus simplicitatem et mediocritatem commendat, varia etiam lignorum

genera iis apta deligit, et quomodo proceritas silvæ hastilibus gignendis arte et cura juvanda sit, demonstrat. Accedit denique ad præcipuam præceptorum partem, quæ de canibus agit, v. 150. Horum primo patrias, diversa genera, mores, virtutes et vitia recenset, præcipue canem Metagonta laudat v. 211, et Hagnonis Bœotii meritum, qui primus τὴν ἰχνευτικὴν et usum Metagontis ostendit, cujus canis deinde officium, sagacitatem et investigandi studium amplius describit. Posthæc agit v. 263 de canum fœtura eorumque in admissura delectu, de cura fœtarum, catulorum alimonia et educatione, in qua luxum et indulgentiam dissuadet, idque pulchra digressione et exemplis gentium luxuria perditarum illustrat. Obiter describitur κυναγωγὸς vel magister canum, ejusque ad venatum exeuntis habitus, arma et instrumenta. Pergit v. 344 ad eam canum curam, quæ in vulneribus et morbis eorum sanandis versatur; et postquam vulneris curandi modum, item contagioni arcendæ et morbis quæ adhibenda sint remedia, exposuit, tum illam describit sanationem, quæ per sacra Vulcani in Sicilia fit, canibus morbosis oleo vivo ex lacu quodam ibi inveniendo perungendis, a v. 430. Attingit etiam sacrum nemorale Dianæ Aricinæ quotannis institutum, quo canes et omne venatorium instrumentum lustrantur. Devenit tandem ad equos, quorum ubi multas gentes variasque dotes recensuit, Siculis palmam venationis deferre, de colore autem nihil pronuntiare videtur. Sic absoluto omni, quod proposuerat, venationis instrumento, ipsum opus finitur, ut, quamvis detriti extremi versus sint, parum tamen deesse integritati libelli videatur.

GRATII FALISCI*

CYNEGETICON.

DONA cano divum, lætas venantibus artes,
Auspicio, Diana, tuo; prius omnis in armis
Spes fuit, et nuda silvas virtute movebant
Inconsulti homines, vitaque erat error in omni;
Post alia propiore via, meliusque profecti,
Te sociam, Ratio, rebus sumpsere gerendis.
Hinc omne auxilium vitæ, rectusque reluxit

* *Falisci* deest in A. Gr. P. *Phalisci*, G. et B. edit. — Cynegeticon puta opus, non κυνηγετικῶν ut libros suos inscripsit Oppianus. Ita Astronomicon Manilius libros suos nominavit. Ed. — 1. Carmine, inquit, exponam artes, Deorum dono concessas, quæ efficiunt ut venantibus suus labor lætus et gratus sit; idque opus tuo, Diana, auspicio aggredior. — *Dona divum* appellat, ut Xenophon, principio Cynegetici, εὕρημα θεῶν Ἀπόλλωνος καὶ Ἀρτέμιδος· *lætas artes*, ut Nemesianus, v. 1, *hilares labores*.

2. *Prius*, olim vel antiquitus tota hominibus fiducia in lacertis et viribus erat. — *Armos*, non *arma*, hic accipe.

3. *Nuda virtute*, solis viribus: virtus enim vocabulum robur designat. Sic Phædrus, I, fab. 13; *Virtute semper prævalet sapientia:* et Lucretius, lib. V, v. 964. Ed. — *Nuda virtus*, non est armis destituta, quamvis et hoc sensu dici posse haudquaquam nego, sed potius arte et dolo vacua, ut *nudus sine fraudibus ensis* dicitur Silio, I, 219; et conf. Stat. Theb. IV, 229. Infra, v. 152, *nudus Mars* distinguitur a bello, quod *ex arte ministratur*. — *Silvas movere*, i. e. silvestres feras, dixit ut v. 65 *silvas impellere*. Cæterum hanc sententiam e Lucretio expressit lib. V, v. 964, seq. — Similis locus apud Valer. Flacc. lib. V, v. 145: « Nam prius ignoti quam dura cubilia ferri Eruerent, ensesque darent, odia ægra sine armis Errabant, iræque inopes, et segnis Erynnis ». Ed.

5. *Profectu* MS.

7. *Erectusque* MS. A. Stein. Gr. *Certusque*, B. *Rectusque* Vlit. cum Turnebo in Adv. — Ratione prælucente viderunt homines, quæ vitæ auxilia, et qui rectus ordo rerum

Ordo, et contiguas didicere ex artibus artes
Proserere; hinc demens cecidit violentia retro.
Sed primum auspicium Deus artibus, altaque circum
Firmamenta dedit; tum partes quisque sequutus
Exegere suas, tetigitque industria finem.
Tu trepidam bello vitam, Diana, ferino,
Qua primam quærebat opem, dignata repertis
Protegere auxiliis, orbemque hac solvere noxa.
Adscivere tuo comites sub nomine divæ
Centum omnes nemorum, centum de fontibus, omnes
Naiades, et Latii cultor qui Faunus amœni,
Mænaliusque puer, domitrixque Idæa leonum

agendarum esset; atque hinc artes alias ex aliis invenerunt.—*Proserere* sumptum est a plantis, quæ adultæ semen ferunt serendis aliis. Similiter Manilius, I, 89: *Semper enim ex aliis alias proseminat usus.*

8. *Continuas* G.

9. *Proserere* omnes codices; quædam tamen edit. *proferre*, Johns. *Cessit viol.* B.

10. Initium et primum momentum artibus Deus aliquis dedit, easque auctoritate sua, tanquam altiore firmamento, munivit: homines sequuti, quam partem elegerant, perfecerunt industria, et ad summum perduxerunt.

11. *Fundamenta* G. quod tamen improbat B.

13. *Trepidam*. Hoc epitheton videtur apud priscos peculiare vitæ fuisse. Sic infra, v. 217, *Hic trepidas artes*, etc. Ed.—Tu, Diana, vitæ humanæ, trepidæ adhuc et sollicitæ propter assiduum cum feris bellum, eam opem, quæ prima hominum cura est, nempe salutis tuendæ, præstitisti, repertis venationis auxiliis, orbemque hoc tanto damno liberasti. Sollicitam ob metum ferarum vitam hominum amplius descripsit Lucretius, V, 980, seq.

14. *Primum* Stein. edit. quod non displicet Burm. Scal. legebat *quæ primam*.

16. *Accessere* mavult Burm.—*Nomine* omnes libri, at *numine* G. et B. Heinsio assentiente.—*Adscivere* videtur hic neutraliter accipiendum, ut sit contrarium τοῦ *desciscere*, pro *assensere*, *adjunxere se*. Sic apud Livium, I, 32, *consentio conscisco-que*. Dryades et Naiades sociæ esse dicuntur Dianæ in venando. Vid. Claudian. de Laud. Stil. III, 257; Nemes. Cyneg. v. 94.

19. *Mænalius puer* non alius, quam ipse Pan, deus Arcadiæ, cui Mænala curæ, qui venatu in primis gaudet. Vid. Theocr. Id. I, 16; Callim. Dian. v. 87, seq. Calpurn. Ecl. X, 3, et Erycii in Pana epigr. in Anthol. gr. lib. IV, p. 336. *Puer* vocatur, ut alii minorum gentium dii.—Silvanus *inculto termite gaudet*, quia silvestrium deus, et sic pingitur in monumentis vet. et describitur a Virg. Georg. I, 20.

Mater, et inculto Silvanus termite gaudens.
His ego præsidiis nostrâm defendere sortem
Contra mille feras, et non sine carmine, nisus,
Carmine et arma dabo venanti, et persequar artes
Armorum, cassesque, plagarumque ordiar astus.
  Prima jubent tenui nascentem jungere filo
Limbum, et quadruplici tormento adstringere limbos;
Illa operum patiens, illa usus linea longi.
Tunc ipsum medio cassem qui nascitur ore,
Per senos circum usque sinus laqueabis, ut omnem
Concipiat tergo, si quisquam est plurimus, hostem.
Et bis vicenos spatium prætendere passus
Rete velim, plenisque decem consurgere nodis.

21. Pleræque editiones *præsidibus*. Wernsd. sequuti sumus. Ed.

22. *Carmine lesus* MS. *Lusus* Gr. P. alii. *Sed non sine carminis usu*, G. *Sed non nisi carminis usu*, B.

23. *Et arma dabo, et venandi persequar artes*, A. Stein. *Venanti* leg. ut hinc Naso, Pont. IV, 16, 35: *Aptaque venanti Gratius arma daret.* Quo saltem probatur male vulgo distingui; *arma dabo, et venandi persequar artem.*—Locum hunc sic interstinxi, ut Ovidii huc respicientis testimonium, et ipsa ratio libelli quem nunc orditur poeta, suadebat: etenim nunc argumentum ejus proponit, cum distributione. Carmine meo, inquit, et arma dabo venanti, et quibus artibus adhibenda ea et tractanda sint, docebo: primo autem de cassibus et plagis, quibus ponendis astus inest et solertia, incipiam. Ita Xenophon etiam arma descripturus præfatur: φράσω καὶ αὐτὰ, καὶ τὴν ἐπιστήμην ἑκάστου.

25. *Nascentem fingere limbo* citat Turnebus, Adv. 29, c. 26.—*Prima* esse volunt Græcanicum πρῶτα, ἀντὶ τοῦ *primo*. Ego malim prima artis principia, prima præcepta intelligere. Hæc prima docent ante omnia *lineam* conficere, seu funem, cui ora retis annectatur: Xenophon περίδρομον appellat. Hæc ita fit, ut primum *limbus* seu funiculus ex tenuibus lini filis, inter se plexis, nascatur, et ex quatuor limbis contortis linea, quam propterea plurali numero limbos vocat.

26. *Quadruplicis* MS, non male. *Quadruplices limbos*, i. e. quadrangulis maculis inter se plexos. Vlit.

28. Tum cassem, medio retis spatio vel ore, circumlaqueare et connectere oportet per senos sinus, usque ubi angustiis suis terminatur, ut *tergo*, h. e. cavitate sua, feram, quamvis magnam et validam, complecti queat. *Concipiat* ergo est capiat: *plurimus*, magnus, violentus, ut Ovid. Met. VIII, 571: *quantusque feror, quum plurimus, unquam, Tantus eram.*

31. Vult rete quadraginta passus longum esse, altitudine vero decem nodos, vel maculas, non ex-

Ingrati majora sinus impendia sument.
Optima Cinyphiæ, ne quid cunctere, paludes
Lina dabunt; bonus Æoliæ de valle Sibyllæ
Fœtus, et aprico Tuscorum stupea campo
Messis, contiguum sorbens de flumine rorem,
Qua cultor Latii per opaca silentia Tibris
Labitur, inque sinus magno venit ore marinos.
At contra nostris imbellia lina Faliscis;
Hispanique alio spectantur Sætabes usu.
Vix operata suo sacra ad Bubastia lino
Velatur sonipes æstivi turba Canopi.
Ipse in materia damnosus candor inerti

cedere. — *Ingrati sinus* sunt casses majores, qui nullam ab arte et ratione gratiam habent; et impendia in eos facta non pensabunt utilitate, abnormes, immodici.

34. *Cyniphiæ* omnes edit. male. *Cinymphiæ* MS, et hoc quoque male. —*Cinyphiæ paludes*, quæ a fluvio Cinyphe stagnante, in regione Africæ uberrima, quæ inter utramque Syrtem est, fiunt: Straboni Κίνυφος hic amnis dicitur. Cinyphias segetes laudat Ovid. Pont. II, 7, 25.

35. *Æolia* A. Stein. Gr. P. L. Johns. *Æoliæ* MS. Vlit. Burm. — Bonum linum, quod in valle Cumana nascitur, ubi Sibylla Æolia vaticinata est Æneæ. Cumani lini præcipuum usum ad plagas et retia laudat Plinius, XIX, 1.

36. *Thuscorum*, Stein. — *Stupeam messem*, ut mox *Cannabias silvas*, vocat proventum lini.

38. *Cultor Latii*, qui terram Latii fecundat ad meliorem cultum. Sic Claudian. de Rapt. Pros. III, 373, *Apollinei nemoris nutritor Orontes.*— Et Minucius Fel. in Octavio, c. 18 : *colit Euphrates Mesopotamiam.* Quod clarius exponit Cic. de Nat. Deor. lib. II : *Mesopotamiam fertilem efficit Euphrates.* Ed.

40. *Imbellia lina*, bello ferino et retibus texendis inepta erant, et tantum vestimentis serviebant Falisca, propter tenuitatem, sicut et Sætabium et Ægyptium, quæ sequuntur. Sil. Ital. IV, 223, *Indutosque simul gentilia lina Faliscos.*

41. *Hispanæ Sætabis*, quædam edd. — Ita hunc versum constituit Vossius ad Catul. p. 35, eumque sequuti Johns. et Burm. Sætabes populus, Sætabis urbs et flumen Hispaniæ, lino nobiles. Vid. Silius, III, 373.

43. Salmas. ad Hist. Aug. rescribit *festivi.* — *Turba æstivi Canopi sonipes*, h. e. sacerdotes Ægyptii linigeri, qui per æstatis calorem in sacris Dianæ, quæ Ægyptiis Bubastis est, cum magno pedum strepitu saltant, *vix* satis *velantur lino suo*, quod tenuissimum est. — Similiter de sacerdote Jovis Hammonis Sil. Ital. III, 25 : *Velantur corpora lino, Et Pelusiaco præfulget stamine vertex.* Ed.

44. *Ipse in materia damnosus can-*

Ostendit longe fraudem, atque exterruit hostes.
At pauper rigui custos Alabandicus horti
Cannabias nutrit silvas, qua commoda nostro
Armamenta operi; gravis est tutela sed illis,
Tu licet Æmonios includas sentibus ursos.
Tantum ne subeat vitiorum pessimus humor,
Ante cave : non est humentibus usus in armis;
Nulla fides : ergo, seu pressa flumina valle
Inter opus, crassæque malum fecere paludes;
Sive improvisus cælo perfuderit imber,
Illa vel ad flatus Helices oppande serenæ,
Vel caligineo laxanda reponito fumo.

dor inerti, candorem illius in vituperat, qui longius justo lucens, prodit fraudem feris et eas terret. *Inerti* est inutili. Hadr. Junius, III, 19, intelligit de penuria lini. Ed.

45. *Exterritur hostis* A. Stein. Gr. *Exterruit* MS. et P. *Exterritat* Turnebus.—*Exterruit*, pro exterret; ut infra, v. 417, *Miscuit et summam complectitur ignis in unam.*

46. *Rigidi cust.* B. edit. — *Alabandicus*, vir ex Alabanda, Cariæ civitate, ubi optima cannabis. Plinius, XIX, 9 : *Optima Alabandica* (cannabis) *plagarum præcipue usibus.*

48. Forte (*gravis est tutela sed illis*), ut reliqua inter se continuentur; hæc autem ad v. 50 spectent. Vlit. — *Sed* et illis *gravis tutela*, magna firmitas inest, quæ majores etiam feras, quales sunt ursi Æmonii, id est, Thessalici, sustinere queant, quando densis sentibus, ubi habere cubilia solent, cassibus ad eorum aditus positis, includuntur. Silius, X, 82, de apri venatu : *Deprendit spissis arcana cubilia dumis.* — Verba *gravis est tutela sed illis* conjecerim melius explicari posse : sed multa gravisque cura iis tuendis et servandis est adhibenda. Ed.

49. Scaliger malebat *Tum licet.*

50. *Pessimus udor*, G. et B.

51. Vet. libri sic interpungunt : *armis. Nulla fides ergo*, male; adeoque recte mutavit Vlitius. Johns. — *Arma* appellat retia, ut v. 48 *armamenta.*

52. *Vallo*, G. *Presso fl. vallo*, B.

53. *Caussæque malum* MS. P. Lugd. Vlit. Unde conjecit Gronovius *clausæque malum*, ut tam paludes, quam flumina, intelligantur retibus vel indagine septa ac clausa. — *Opus* vocat Noster venatum, ut v. 48. — *Crassæ paludes*, turbidam aquam ob cœnum commixtum ferentes. Vid. Nemes. Cyn. v. 315; Mart. XI, 21 : *Quum vetus a crassa calceus udus aqua.*

55. *Flatus Helices serenæ* Gronovius, Obs. II, 13, recte exponit Borean, vel Aquilonem, qui ab Arcto spirans, nubes et imbres fugat, et siccitatem inducit. Vid. Ovid. Met. I, 262.

56. *Reponite* MS.

Idcirco et primas linorum tangere messes
Ante vetant, quam maturis accenderit annum
Ignibus, et claro Pleias se prompserit ortu:
Imbiberit, tanto respondet longior usus,
Magnum opus, et tangi, nisi cura vincitur, impar.
Nonne vides, veterum quos prodit fabula rerum,
Semideos? illi aggeribus tentare superbis
Ire freta, et matres ausi tractare deorum,
Quam magna mercede meo sine munere silvas
Impulerint: flet adhuc et porro flebit Adonim

57. Vetant messem linorum aggredi prius, quam matura et fervida æstas venerit, et messis frumentariæ tempus, quod ortus Pleiadum designat. Vid. Hesiod. Ἔργ. II, 1; Ovid. Fast. V, 599, seq.

58. *Annus* Gr. P. *Annos* MS. forte, *annum*. Vlit.

60. *Imber erit* conjicit Johns. et *si* subaudiendum putat. Forsan et intelligendum: Si imbiberit, pro, didicerit, recte uti his armis, tanto longiorem usum venationis habebit. Sed in lacunoso loco divinare otiosum est. Ed. — Abrupta hujus et sequentis versus verba, nec satis sana. *Despondet* primus induxit Vlitius, quod *imbiberit* de humore intelligebat. Optimum videtur ad editionum vet. scripturam sic constituere versum: *Imbiberint, tanto respondet longior usus*, tum autem, quod Burmanno jam visum, referre ad vers. 56, tribus proxime antecedentibus parenthesi inclusis, ut de fumo capiatur. Si imbiberint fumum retia, et probe siccata fuerint, tanto longior eorum usus erit, tanto diutius ea servabis. Alterum versum epiphonema esse puto, hactenus dictis subjectum de universo venatu. Magnum et arduum opus est universa venatio, quam sine periculo nemo attingat, nisi cura et consilio ejus difficultates superare didicerit. Hoc deinceps declarat vetustatis exemplis.

61. *Magnum opus*, in parenth. A. Gr. P.

63. Vide Excursum primum.

64. *Tractare* pro vexare aliquando sumitur: sic Cic. lib. III, in Verr. « Quemadmodum socii populi Rom. « a magistratibus nostris tractentur ». Ed.

65. *Mercede*, i. e. pœna vel damno. Phædr. I, fab. 17: *Hæc merces fraudis a Superis datur*. Vid. vers. 176. *Meo munere*, ut vers. 73, *meis ab artibus*. Neque vero hoc vult Gratius, eos ipsos, qui audaces erga Deos fuerint, a feris occisos esse, sed de toto genere Semideorum vim insolentem et audaciam prædicat, ex eoque fuisse illos, qui contra feras male viribus usi occubuerint.

66. Affert exempla eorum, qui a feris occisi, temeritatis nulla arte adjutæ, pœnas luerunt. Adonidis fabula nota est, Bionis Idyllio primo, Theocriti Ἀδωνιαζούσαις et Ovi-

Victa Venus, ceciditque suis Ancæus in armis,
Ut prædexter erat geminisque securibus ingens.
Ipse deus, cultorque feri Tyrinthius orbis,
Quem mare, quem tellus, quem præceps janua Ditis,
Omnia tentantem, qua laus erat obvia, passi,
Hinc decus et famæ primum patravit honorem.
Exige, si qua meis respondet ab artibus ergo

dii Met. X, 710, seq. celebrata. — *Flet adhuc et porro flebit*, hæc respiciunt ad Adonia, festum Græciæ quotannis actum, quo lugere occisum Adonim Venus fingebatur, quodque ipsa instituit ap. Ovid. l. c.

67. *In armis* vult Heins. ad Ovid. Met. VIII, 313. *Arvis* omnes. — *Victa Venus*, dolore, vel fatis cedere coacta. Juno apud Virg. Æn. I, 37: *Mene incepto desistere victam?* Ancæus, Arcas, inter venatores apri Calydonii, et ab eodem occisus memoratur, Ovid. Metam. VIII, 392. Recte hic Heinsius rescribendum censet *in armis*. Arcas enim quum esset, cecidit ab apro interemptus in agris Ætolis, non in suis.

68. *Ut* MS. G. et Vlit. al. omnes *Et*. — *Cecidit*, ita *ut erat*, dextra elata ictum inferens, et in digitos erectus. *Prædexter* est valde dexter, vel valide dextra usus, ut Calpurnii *prætorridus*, Ecl. II, 80; Græce περιδέξιος. — Forte etiam æquimanum fuisse Gratius voluit dicere: nam duabus securibus uti non potuisset Ancæus. Ed. — *Ut prædexter* melius exponetur *utut* vel *etsi erat*. Valer. Flaccus de eod. Ancæo loquens, lib. III, 140: « duplicataque « ora securi Disjecit cervice tenus ». Ed. — *Geminæ secures*, utrinque acutæ, ἀμφιτόμοι, bipennes. Hinc ab Ovidio, l. c. *bipennifer Arcas* dicitur. — *Ingens* hic est elatus, vel erectus. Ovidius exprimit l. c. *digitis primos suspensus in artus*. Sic Virg. Æn. IX, 735, *tum Pandarus ingens emicat*.

69. *Cultor feri orbis* Hercules, quod feris, monstris, tyrannis sublatis, orbem ad humaniorem cultum traduxit.

70. *Præceps*. Facilis enim descensus Averni. Ed.

71. Johnsonius *passa* vult, aut *pavit*; Thu. *psasi*; Burmannus *sparsit*; ego *sensit*. Ed. — *Omnia* aggredientem, ubicumque se gloriæ consequendæ occasio offerret. — *Passi* sine dubio vitiosum est. Ego nihil aptius, nec vestigiis scripturæ in cod. Thu. convenientius reperio, quod ejus loco ponatur, quam *plausit*. Plaudere cum accus. est cum plausu laudare, plausu excipere. Vid. Stat. Silv. V, 3, 140; Ovid. Trist. IV, 2, 49. Plausit Herculem mare, tellus, janua Ditis, h. e. plausu, laude, approbatione prosequuta est.

72. *Primus impetravit* Cod. Thu. *Primum impetravit* MS, quod et placebat Heinsio. — *Hinc*, ab artibus venaticis. — *Patravit*, peperit: rectius tamen *impetravit*.

73. *Se spondet*, G. — *Exige* ergo, pondera et considera diligenter, si qua utilitas, grata venantibus, ab arte et experientia mea exspectari possit.

Gratia, quæ vires fallat collata ferinas.
Sunt, quibus immundo decerptæ vulture plumæ
Instrumentum operis fuit, et non parva facultas.
Tantum inter nivei jungantur vellera cygni;
Et satis armorum est : hæc clara luce coruscant
Terribiles species; ab vulture dirus avaro
Turbat odor silvas, meliusque alterna valet res.
Sed quam clara tuis et pinguis pluma sub armis,
Tam mollis tactu et non sit creberrima nexu,
Ne reprensa suis properantem linea pinnis
Implicet, atque ipso mendosa coarguat usu.
Hic magis in cervos valuit metus : ast ubi lentæ
Interdum Libyco fucantur sandyce pinnæ,

74. *Collata*. Quasi pede collato : vel sane *collata* est in medium data et communi usui præstita. Ed.

75. Incipit agere de pinnatis conficiendis, vel formidine, quam plenius describit Nemes. Cyneg. vers. 303, seq. et cf. Rittershus. ad Opp. Cyneg. I, 387. — *Sunt quibus*, est modus lenis præcipiendi.

77. *Inter*. Tmesis : interjungantur. Ed. — *Vellera* sunt plumæ vulsæ. Proprie quidem lanæ, vid. Calpurn. II, 78, deinde quidquid simile lanæ mollitie et colore est, ut plumæ, nives.

78. *Coruscant*, huc illuc vibrant, active sumitur. Satis esse præsidii, ait, in pinnato, si ex vulturis et cygni pinnis conjunctum sit, quia cygni plumæ clare longeque conspiciuntur ob candorem, vulturis pinnæ late spargunt tetrum odorem, eoque feras turbant. Idem significat versu 81 *clara* et *pinguis* pluma.

79. *Ab*, ita Vlitius. *Ast* habet Wernsd. Ed.

80. *Turbat silvas*. Silvestres feras longe arcet. — *Alterna*. Plumæ cygni et vulturis alternatim junctæ. Ed.

81. *Clara* ad cygni, *pinguis* ad vulturis pinnas pertinet. Ed.

82. *Mollis tactu*, forte *tractu*, h. l. est motu facilis, levis et tractabilis. — Explicando huic versui utilis erit hic Ovidii Met. IV, 180, de retibus æreis a Vulcano fabricatis : *Utque leves tactus momentaque parva sequantur Efficit*. Ed. — *Creberrima nexu*, densa nimis et compacta, pluribus plumis una conjunctis et nexis.

83. *Reprehensa*, A. St. cæteri *reprensa*. — Ne formido suarum pinnarum densitate impedita moretur te properantem, et in ipso opere mendosa coarguat te inscitiæ. Ed.

84. Scalig. *mendosam se arguat usu*.

85. *Hinc* MS. *Valuit dolus*, A. St. Gr. — *Hic metus*, qui est a pinnato, maxime comparatus est ad cervos terrendos, qui sunt meticulosissimi. — *Valuit* perf. pro præs. ut sæpe Noster. — *Metus* pinnatum vocatur, ut formido. Vid. Nemes. Cyneg. v. 304, et mox v. 88.

86. Potest terror pinnati augeri,

Lineaque exstructis lucent anconibus arma,
Rarum, si qua metus eludat bellua falsos.
Nam fuit et laqueis aliquis curracibus usus:
Cervino jussere magis contexere nervo;
Fraus teget insidias, habitu mentita ferino.
Quid, qui dentatas iligno robore clausit
Venator pedicas? quam dissimulantibus armis
Sæpe habet imprudens alieni lucra laboris!
O felix, tantis quem primum industria rebus
Prodidit auctorem! Deus ille, an proxima divos
Mens fuit, in cæcas aciem quæ magna tenebras
Egit, et ignarum perfudit lumine vulgus?

ut aliæ etiam belluæ inde metuant, si pinnæ *fucentur*, colorentur sandyce Libyco, herba vel flore, vel alio pigmento, rubri coloris, quem pleræque feræ perhorrescunt. De sandyce v. Turneb. Advers. XV, 20; et Virg. Ecl. IV, v. 45, edit. nost. tom. I, p. 134. Ed.

87. *Linteaque expositis* MS. — *Linea arma*, plumæ a linea vel fune pendentes, *lucent*, longe cernuntur et terrent ob rubrum colorem, *ex positis anconibus* (sic lego auctoritate MS), h. e. e furcis, sive varis, quæ positæ sunt ad sustinendos funes et formidines. Sic Lucan. IV, 439: *Aut dum dispositis attollat retia varis Venator.*

89. Gudius ad Phædrum legit *fuit ut*, et capit pro *postquam*; laqueosque curraces non abiisse in desuetudinem contendit. Johns. *Aliis curr.* MS. — *Fuit* positum arbitror pro præs. *est*, more Gratii, ut et sequentia *jussere* et *clausit*. Est etiam, inquit, non minimus usus *laqueis curracibus*, qui pedi feræ inhærentes currentem sequuntur: hos jubent periti *cervino magis*, quam alio *nervo contexere*, quod fraus *habitu ferino*, consimilis feræ specie, decipiens, venatoris insidias teget. Nisi quid aliud sub habitu ferino latet, quod nondum assequor.

90. Ery. Puteanus *juss. manus.*

92. Quid dicam de illo genere pedicarum, quæ *dentatæ*, hamis quasi dentibus munitæ, et *inclusæ iligno robori*, vel tigillo gravi, ubi pede feræ tanguntur, inhærent illi, et currentem gravitate annexi roboris retardant. Quam sæpe fit, ut venator latentibus his armis, a se positis, feram quam alii agitaverant, incidentem capiat imprudens, adeoque alieni laboris lucrum habeat! — *Quam* igitur pro *quum* leg. puto suffragante MS. — *Dissimulantia arma* sunt fallentia, occulta.

95. O felix ille, quem sua industria ita produxit et clarum fecit, ut primus tantarum rerum auctor haberetur. In iis, quæ sequuntur, *Deus ille, an proxima*, etc. imitatur, ut alias sæpe, Lucretium, libro V, vers. 8: *Deus ille fuit, Deus, inclyte Memmi*, etc.

97. *In cæca faciem* MS.

Dic age Pierio, fas est, Diana, ministro.
Arcadium stat fama senem, quem Mænalus altor
Et Lacedæmoniæ primum vidistis Amyclæ,
Per non assuetas metantem retia valles,
Dercylon : haud illo quisquam se justior egit,
Aut fuit in terris divum observantior alter.
Ergo illum primis nemorum Dea finxit in annis,
Auctoremque operi dignata inscribere magno,
Jussit adire suas et pandere gentibus artes.
 Ille etiam valido primus venabula dente
Induit; et proni moderatus vulneris iram
Omne moris excepit onus : tum stricta verutis
Dentibus, et geminas subiere hastilia furcas.
Et quidam totos clauserunt ensibus orbes,

100. *Dat f.* Gronovius, eleganter. *Mænalus auctor* P. Vlit. *Altor,* Turnebus. — Sine dubio verum est, quod Gronovius conjecit, *dat fama:* et *Mæn. altor,* Turnebi emendatio merito recepta, contra omnes codices.

102. *Non assuetas*, quæ retia illa nunquam ante viderant.

103. Vid. Excurs. secundum.

105. In *arvis* vet. cod. Pithœi. *Armis* G. — *Ergo*, nempe ob justitiam et metum Deorum tam carum Dercylum habuit Diana, ut eum ab ipsa pueritia institueret ad venatum. Sic Xenophon initio dicit, Deos inventum venationis attribuisse Chironi διὰ δικαιότητα.—*Inscribere* est auctorem operis profiteri. Ovid. Met. XV, 127, *inscripsere Deos sceleri*, et Met. X, 199: « mea dextera leto Inscribenda tuo est : ego sum tibi funeris auctor ».

108. *Etiam. Aciem* G. — Idem Dercylus primus venabula valido mucrone instruxit, item alis quibusdam vel dentibus utrinque exstantibus, quibus onus irruentis feræ sustineatur. — *Pronum vulnus*, quod pronus ipse venator infert, quale *infestum vulnus* apud Virgil. Æn. II, 529. — *Moræ* sunt alæ, sive orbes ferri, post cuspidem circa hastile exstantes, qui morantur venabulum, ne totum pertranseat. Xenophon et Pollux κνώδοντας, Hesychius προβολὰς vocat, alii et πτερύγας volunt. Silius Ital. I, 515, *pressumque ira simul exigit ensem, Qua capuli statuere moræ.*

110. *Tum,* post inventum illud primi generis venabulum, hastilia adstricta vel aptata sunt *verutis dentibus*, i. e. mucronibus longis et acutis, quasi verua, additæque *furcæ geminæ*, quibus non moram solum, sed et duplex inferre vulnus exceptæ feræ possent.

112. *Quidam notis* MS. Scaliger volebat *clauserunt orbibus enses.* — *Quidam*, inventis plura addere cupientes, *massam* vel *orbem*, qui

Ne cessaret iners in vulnere massa ferino.
Blandimenta vagæ fugies novitatis; ibidem
Exiguo nimiove nocent : sed lubricus errat
Mos, et ab expertis festinant usibus omnes.
Quid, Macetum immensos libeat si dicere contos,
Quam longa exigui spicant hastilia dentes?
Aut contra ut tenero destrictas cortice virgas
Prægravat ingenti pernix Lucania cultro?
Omnia tela modi melius finxere salubres.
Quocirca et jaculis habilem perpendimus usum;
Neu leve vulnus eat, neu sit brevis impetus illi.
Ipsa arcu Lyciaque suas Diana pharetra

loco moræ est, et totum circumit hastile, pluribus circumdederunt *ensibus* minoribus, ne massa illa, alias iners, *cessaret* plura inferre vulnera.

114. Interpungunt Pith. et Vlitius, *novitatis ibidem : Exiguo*, etc.

116. *Expertis*, in passiva significatione. *Homo expertæ audaciæ*, Liv. VIII, 25; — *virtutis*, Tac. Ann. III, 74. En.

117. *Macetum* MS. et Pith. *Macedum* A. St. Gr. — *Contos immensos* vocat hastas Macedonicas, quod crassæ, graves et prælongæ erant. Livius, XLIV, 41, *immobilem longitudine et gravitate* dicit hastam Macedonicam. Ipsi Macedones *sarissam* appellabant.

118. *Dentes* hic sunt cuspides. — *Spicare* est acuminare, cuspidare in modum spicæ. Infra, v. 484, *spicatas faces* dicit. Plinius, XI, 2, verbo *spiculare* utitur.

119. *Districtas* editi. *Destrictas* cit. Turn. et ita Cod. Thuan. — Contrario vitio laborat hasta Lucana, cujus grande spiculum tenui virgæ præfixum onerat hastile, ut minus expedite feratur. — *Pernix Lucania*, quod Lucani venatu celebres, ut *pernicis uxor Appuli* Horat. Epod. II, 42.

120. *Lucania* MS. *Albania* conj. Turn. et edidit Vlit. sed, ut ipse fatetur, male.

121. *Selibres* Ery. Puteanus. — Omnia tela meliora fiunt, si in iis fingendis temperata mediocritas observetur. — *Salubris*, mediocris.

122. *Quocirca et*, quod ad jacula attinet, perpendere ea et librare manu solemus, ut quæ ad usum sint habilia experiamur. Vid. v. 299. — *Jaculis* dativum accipe pro *in jaculis*, vel, ut jacula habeamus. Vid. mox vers. 127.

123. Malim hic legere : *Ne leve vulnus eat, neu sit*, h. e. ne jaculum vel ob tenuitatem cuspidis leve tantum vulnus faciat, vel ob gravitatem, intra destinatum cadens, nullum.

124. Ipsa Diana, venationis præses, comites suas Nymphas, non alio nisi modico et habili telo instruit ad venatum, arcu et pharetra. Ne igitur relinquite vel sper-

Armavit comites; ne tela relinquite Divæ,
Magnum opus et volucres quondam fecere sagittæ.
Disce agedum et validis delectum hastilibus omnem.
Plurima Threicii nutritur vallibus Hebri
Cornus, et umbrosæ Veneris per litora myrtus,
Taxique, pinusque, Altinatesque genistæ,
Et magis incomptus operæ lutoser agrestis
Termes, ab Eois descendet virga Sabæis,
Mater odorati multum pulcherrima turis.
Illa suos usus intractatumque decorem
(Sic nemorum jussere Deæ) natalibus haurit
Arbitriis : atenim multo sunt ficta labore

nite ea tela, qui scitis magnas res olim volucribus sagittis effectas esse, Pythona ab Apolline, Stymphalidas ab Hercule sagittis interfectas. Rectissime Johnsonius duce MS posuit *sagittæ*.

127. Tit. in vet. *Ligna apta jaculis. Dilectum* Cod. Thu. *Omne* etiam Thu. — *Disce* omnem rationem in delectu hastilium observandam, ut valida deligas.

128. *Innutritur* MS.

129. Respexit in his Virgilium, qui eadem ligna, hastilibus apta, conjungit Georg. II, 448. — *Myrtus umbrosæ*, quia densis ramis silvescunt : easdem *amantes litora* dicit Virg. Georg. IV, 124. Et *myrtus* quarta declinatione dici quum dubitet Burmannus, ex Virg. Georg. II, 64, puto, apparet.

130. *Genestæ* Cod. Thu. — *Genistæ*, fruticis quidem genus, nonnullis tamen in locis dicuntur instar arboris excrescere, ut in regione Altini, oppidi in Venetis, unde Altinates hastilibus aptas laudat Noster. Vid. Plin. XXIV, 9, 40.

131. Ignorabilis arbor *lutoser*, et lectio valde vexata, cui medicinam facere tentat Johns. substituendo, vel : *Et magis in contos apro lotaster agresti*, vel : *Et magis in cultros opera lotaster agresti*. Ed. — Mihi præ cæteris probatur Johnsonii suspicio, fictum a Gratio esse verbum *lotaster*, ut pinaster, et oleaster. Refert Plinius, XIII, 17, et XVI, 30, in Italia loton arborem gigni, similem illi, quæ Africæ propria est, sed degenerem, de qua sigillatim hoc notat : *Nulli rami longiores validioresque, aut plures, ut dixisse totidem arbores liceat.* His verbis aptissimam hastilibus, et lotastri vocabulo dignam prodit.

132. *Descendit*, defertur, apportatur ex Arabia, quæ *turea virga* Virg. Georg. II, 117, et *mater turis* a Plinio, XII, 14, *terete et enodi fruticare trunco* dicitur, eoque hastilibus apta est.

134. *Illa*, virga turea, a natura decora et usibus apta est, nec cultura tractari desiderat; at aliæ ex indigenis, quæ passim nascuntur in silvis, multo labore fingendæ sunt.

135. *Lusere Deæ*, G.

136. *Facta*, MS. et Pith. *Victa*, B. ed.

Cætera, quæ silvis errant hastilia nostris.
Nunquam sponte sua procerus ad aera termes
Exiit, inque ipsa curvantur stirpe genistæ.
Ergo age, luxuriam primo fœtusque nocentes
Detrahe : frondosas gravat indulgentia silvas.
Post ubi proceris generosa stirpibus arbor
Se dederit, teretesque ferent ad sidera virgæ,
Stringe notas circum, et gemmantes exige versus.
His, si quis vitium nociturus sufficit humor,
Ulceribus fluet, et venas durabit inertes.
In quinos sublata pedes hastilia plena
Cæde manu, dum pomiferis advertitur annus
Frondibus, et tepidos autumnus continet imbres.

137. Nunc verba *quæ silvis errant hastilia* interpretanda arbitror, quæ passim, vel flexuose crescunt in silvis. Sic Virg. *errantes hederæ* dicuntur Ecl. IV, 19; *errat flexibus Mincius*, Georg. III, 14, et *rami errantes*, Calp. I, 12. Ed.

140. *Luxuriam*, h. e. exuberantem proventum surculorum, qui *fœtus nocentes* sunt, quia, nisi putentur, nodos efficiunt, et arborem hastili ineptam. Virg. Georg. I, 112, *Luxuriem segetum depascit*. Ed.

141. *Gravet* MS. f. ἀρχαϊκῶς, Vlit.

142. Lego, *generosam se dederit*, i. e. se præstiterit, proceris stirpibus generandis. Post *ferent* repete *se*.

144. *Stringe comas*, Putean. *Nothas*, i. e. spurias virgas, conj. Johns. — *Stringe notas*, i. e. surculos, qui destricti notam faciunt, sive ulcus, ut mox vocat. — *Versus* sunt ordines vel series ramorum exeuntium. Virg. Georg. II, 368, *tum stringe comas*, *tum brachia tonde*. — *Exige*, fac ut exacte crescant. Vid. v. 12.

145. *His ulceribus*, scil. locis illis læsis, quibus dempti surculi exstiterant, *effluet humor* noxius, qui *vitium*, vitiosas frondes, *sufficit*, creat, efficietque adeo, ut venæ inertes factæ, inhabiles novis frondibus creandis, humore detracto *durentur*, adstringantur cortice supernascente. Vocabulo *iners*, sic usus est versu 113; sic *glebas inertes* Virg. Georg. I, 94. Ed.

147. Ubi hastilia in longitudinem quinque pedum surrexerint, cæde ea *plena manu*, i. e. valide, ut contra *digito tangere* est leviter. Ita Burmannus.

148. Cædes autem autumno præcipiti in hiemem, et tempore sereno. — *Advertitur* pro *advertit se*, l. *advenit* : forte melius *avertitur*, abit. — *Annus pomif. frondibus*, qui frondes una cum maturis pomis ostendit. — *Pomiferum annum* dicit Horat. Carm. III, 23, 8, ut *pomiferum autumnum*, IV, 7, 11. Ed.

149. *Frontibus* MS. — *Continet imbres*, cessat imbres effundere.

Sed cur exiguis tantos in partibus orbes
Lustramus? prima illa canum, non ulla per artes
Cura prior, sive indomitos vehementior hostes
Nudo marte premas, seu bellum ex arte ministres.
Mille canum patriæ, ductique ab origine mores
Cuique sua : magna indocilis dat prælia Medus,
Magnaque diversos extollit gloria Celtas.
Arma negant contra, martemque odere Geloni,
Sed natura sagax : Perses in utroque paratus.
Sunt qui Seras alant, genus intractabilis iræ.
At contra faciles, magnique Lycaones armis.
Sed non Hyrcanæ satis est vehementia genti
Tanta : suis petiere ultro fera semina silvis.
Dat Venus accessus, et blando fœdere jungit.
Tunc et mansuetis tuto ferus errat adulter
In stabulis, ultroque gravis succedere tigrim
Ausa canis, majore tulit de sanguine fœtum.

150. Cur in exigua illa parte operis nostri, de hastilibus, tantum spatii, tot versus consumpsimus? Utitur correctione sui auctor, ut transeat ad canes, quorum prima cura esse debet in venatione.

151. *Lustramur* A. St. Gr. — *Per artes*, f. *peritis*, Vlit. — *Per artes*, ex regulis s. disciplina venationis. Virg. Georg. III, 404 : *Nec tibi cura canum fuerit postrema.*

152. *Sive* feras ferociores *nudo marte*, solis viribus, cursu, impetu, jaculis persequaris, sive etiam *ex arte*, ingenio, dolis et insidiis adhibitis, bellum illud ferinum geras. Vid. vers. 3 et 255.

155. Medus canis nullius artis capax est, neque adeo sagax, sed bellicosus et pervicax in hostes. Tales etiam Celtici vel Gallici, quamquam diversi orbis. — *Magna gloria* bellicosos designat, nam est victoriæ. Vid. vers. 228.

157. Contrariæ virtutis sunt Geloni : hi *negant arma*, i. e. nolunt pugnare, ut *negare comitem* Ovid. Art. Am. I, 127, vel *abnegare* Horat. Carm. I, 35, 22.

161. Etsi Hyrcanæ genti canum tanta inest vehementia, quantam fuisse diximus Serum et Lycaonum, non tamen hac contenta est, sed ultro, sponte sua (sive *ultra* cum Barthio), e silvis suis, i. e. Hyrcanis, petunt vel accipiunt feriora semina, et tigribus miscentur. Non de Hyrcanis, sed Indis hoc memorat Arist. de Animal. VIII, 33, et Plin. VIII, 40, 61. Sed Hyrcania Indis vicina, et tigribus abundat.

162. Pro *tanta* Johns. maluit *nata*, i. e. nativa. *Ultra*, G.

165. *Gravem*, i. e. fortem mavult

Sed præceps virtus ipsa venabitur aula:
Ille tibi et pecudum multo cum sanguine crescet;
Pasce tamen, quæcumque domi sibi crimina fecit,
Excutiet silva magnus pugnator adepta.
At fugit adversos idem quos repperit hostes
Umber: quanta fides, utinam, et solertia naris,
Tanta foret virtus, et tantum vellet in armis!
Quid freta si Morinum, dubio refluentia ponto,
Veneris, atque ipsos libeat penetrare Britannos?
O quanta est merces, et quantum impendia supra!
Si non ad speciem mentiturosque decores
Protinus: hæc una est catulis jactura Britannis.
At magnum quum venit opus, promendaque virtus,
Et vocat extremo præceps discrimine Mavors,

Vlitius, ut planior fiat sensus, quod et placuit Burmanno. Ed. — *Mansuetis in stabulis*, h. e. mansuetarum pecudum. — *Ferus adulter*, tigris. Claud. Cons. Mal. 304, *leænæ Nobiliorem uterum viridis corrupit adulter.* Lego cum Burm. *gravi succed. tigri.* Aliter vix sensus constat: et *tigri* jam habet Barth.

167. *Præceps virtus*, præfestina et improba, *venabitur*, pecudes invadet, quasi in silvis et venatu esset. — *Aula* est septum villæ vel prædii rustici, quod adjunctas habet stabulationes. Hinc Horat. Epist. I, 2, 65, *venaticus ex quo Tempore cervinam pellem latravit in aula.*

169. *Quæ crimina fecit*, h. e. attraxit. Alio sensu *crimina facere* ap. Prop. IV, 4, 43.

170. *Excuset* conj. Gronov. Obs. II, 13, quod et probat Johns. — *Excutiet*, exonerabit, abjiciet, liberabit se iis criminibus.

173. *Tantum vellet in armis*, h. e. tantum auderet, vel efficeret in ipsa pugna. Supra, v. 160, *magnique Lycaones armis.*

174. *Morini* extremi Galliæ, unde brevissimus in Britanniam trajectus, de quibus Cæs. Gall. IV, 21. — *Dubius pontus* instabilis et perpetuo æstuans, ut *dubia Syrtis* Lucan. I, 686. — *Freta veneris* pro ad freta. Vid. Virg. Ecl. I, 66; Æn. I, 2.

176. O quantam mercedem, quantum emolumentum capere e cane Britannico, supra impendia ejus advehendi et alendi, potes! Etsi, quod ad speciem et decorem, qui mentiri et fallere potest, attinet, non videris protinus impendii curæque tuæ pretium accepisse (nam hoc unum est, quod deesse iis catulis videtur). At magnum, etc.

178. Parenthesis abest in vet. ed. Sed sic distinxit Barth. omnino recte.

179. *Ad magnum*, omnes. Barthius refinxit *At*, idque merito prætulit Burmann., quia præcedit *si*, et *ad speciem*, cui nunc usum opponit. — *Magnum opus*, res difficilis, pu-

Non tunc egregios tantum admirere Molossos.
Comparat his versuta suas Athamania fraudes,
Acyrusque, Pheræque, et clandestinus Acarnan.
Sicut Acarnanes subierunt prælia furto;
Sic canis illa suos taciturna supervenit hostes.
At clangore citat, quos nondum conspicit, apros
Ætola quæcumque canis de stirpe (malignum
Officium), sive illa metus convicia rupit,
Seu frustra nimius properat furor: et tamen illud
Ne vanum totas genus aspernere per artes,
Mirum quam celeres, et quantum nare merentur:
Tum non est victi cui concessere labori.
  Idcirco variis miscebo gentibus usum.

gua periculi plena, ut supra, v. 61. Contra *leve opus*, v. 199, venationem leporis vocat.

181. In magna et difficili pugna cum bestiis, vix tantum Molossos, vel Epiroticos, quamvis egregios et fortissimos, miraberis, quantum quidem Britannos.

182. *Quum parat,* A. St. Gr. Forte *comparet*, Burm. — *Comparat his*, h. e. par Molossis pretium Athamania suis canibus tribuit ob fraudes et clandestinos insultus.—*Athamania* Epiri pars Ætolis proxima, Plin. IV, 2.

183. *Acytusque* legendum monuit Gesnerus, deinde Barthius. *Taygetusque* vult Vlit. *Ascyrus* adscripserat Scaliger. *Epirusque* vult Gronov. *Argivus* censuit Heinsius. — *Acyros*, ἄκυρον, nomen interpretibus. Ego non dubito Azorum intelligendum esse, quod Ptolemæus, ut et Pheras, inter præcipua Pelasgiotidis vel Thessaliæ oppida numerat.

184. *Subire* est verbum tectæ et astutæ molitionis, ut v. 257.—*Acarnanes* inter Ætolos et Epirotas positi.

185. *Supervenit*, improviso opprimit. Cum accusativo id junctum raro invenitur.

186. *Clamore* corrigit Marklandus ad Stat. Silv. I, 4, 55.

187. *Malignum officium* vocat, quod juvare venatorem videtur, re ipsa nocet, utpote quod feris evadendi copiam dat, noxiam sedulitatem.

189. *Prop. favor* scribit recte Gronov. Obs. II, 13. Vid. infr. 230. Ed.

190. Ne tamen existimes, plane vanum esse genus Ætolorum, et nulli parti venationis idoneum, mira iis inest celeritas investigandi, tum tanta industria, ut nullus facile labor sit, quo victi desistant.

192. Pithœus notat alias legi: *Tum non et victi, quum concess. lab.* non male. Vlit. — *Concedere labori* dixit, ut *concedere somno* Calpurn. Ecl. IX, vel Nemes. II, 43.

193. *Variis miscebo g. u.* significat, curabo ut, quibus ad venationem utar, canes habeam ex variis gentibus procreatos, qui a patre et

Quondam inconsultis mater dabit Umbrica Gallis
Sensum agilem; traxere animos de patre Gelonæ
Hyrcano, et vanæ tantum Calydonia linguæ
Exibit vitium patre emendata Molosso.
Scilicet ex omni florem virtute capessunt,
Et sequitur natura favens: at te leve si qua
Tangit opus, pavidosque juvat compellere dorcas,
Aut versuta sequi leporis vestigia parvi;
Petronios (sic fama) canes, volucresque Sicambros,
Et pictam macula Vertraham delige falsâ.
Ocior affectu mentis pinnaque cucurrit;
Sed premit inventas, non inventura latentes

matre diversas dotes quasi mixtas traxerint. In *miscebo* come præceptum poetæ est, quo, non quid ab aliis fieri velit, sed quid ipse faciat, aut facturus sit, edicit.

194. *Dabat* malebat Vlit. *Umbria* G. — *Quondam* est aliquando.

196. Pro *tantum* Heinsius malebat *incautum*. — *Calydonia* est Ætola canis, quia Calydon urbs Ætoliæ.

197. *Exibit vitium*, i. e. exuet et deponet, ut supra, v. 170, *excutiet*. Canes feminas hic omnes sagaces constitui, mares bellicosos, notat Vlitius.

198. *Florem capessunt*, h. e. quasi propaginem ejus virtutis denuo efflorescentis habent.

199. *Natura favens sequitur*, quæ quasi sponte transit in natos.

200. *Si te tangit*, afficit, delectat, *leve opus*, leve illud venationis genus, quando tantum cursu persequimur fugaces feras. — *Dorcas* vocat, quos Latini damas, δόρξ, δορκός.

201. *Versuta vestigia* sunt sæpe conversa per multos anfractus.

202. *Sic fama*, omnes. *Scit* legendum suasit Gronov. Obs. II, 13, approbarunt Johns. et Burm. *Pannonias* in margine notaverat Scriverius. — *Petronios canes*, vel petrones, Festus ait dici rusticos a petrarum asperitate et duritie, sicut Tertull. Apol. c. 21, *rupices* vocavit homines silvestres et incultos. Sed præcipue significare Petronii videntur veloces, cursibus aptos, qui petras rupesque illæsi percurrunt. — *Sic fama* intellige, sic fama vel sermo vulgaris eos nominat.

203. *Vertraha*, canis fortasse Celtici nomen barbarum: idem procul dubio, quem Martial. XIV, 200, *Vertagum*, sive, ut MSS quidam habent, *Vertragum* dicit, alias canem Gallicum nominant, lepori venando inprimis aptum. Vid. Ovid. Metam. I, 533, et Mart. III, 47. — *Macula falsa* videtur dici, quæ vitium vel labem, nam hæc etiam macula dicitur, falso refert. — Johnsonius mavult *flava* vel *fulva* quem Vertrahæ colorem et Vlitius adscribit. Ed.

204. *Ocior affectu*, sumptum ab Homero, Odyss. VII, 36, ὠκεῖαι,

Illa feras; quæ Petroniis bene gloria constat.
Quod si maturo pressantes gaudia lusu
Dissimulare feras, tacitique accedere possent;
Illis omne decus, quod nunc, Metagontes, habetis,
Constaret silvis; sed virtus irrita damno est.
At vestrum non vile genus, non patria vulgo,
Sparta suos et Creta suos promittit alumnos.
  Sed primum celsa lorum cervice ferentem,
Glympice, te silvis egit Bœotius Hagnon,
Hagnon Astylides, Hagnon, quem plurima semper
Gratia per nostros unum testabitur usus.
Hic trepidas artes et vix novitate sedentes

ὡσεὶ πτερὸν ἠὲ νόημα. — *Pinnam* intellige de sagitta, et conf. Claud. rapt. Proserp. II, 200.

207. Quod si premere sua gaudia, intraque lusum maturum, i. e. moderatum, continere possent, ita ut feras ab se inventas dissimularent magis quam proderent, adeoque taciti accederent. Conf. v. 237.

209. *Metagontes*, canum genus præstantissimum, a nemine alio nominatum, optime Burmannus existimat a præcipua virtute investigandi et persequendi dictos, quia Hesychius μετάγει explicat μεταδιώκει. Et Gratius ipse nomen exponit infra vers. 225 et 241 seq. solertiam Metagontis describens, signa ferarum circumeundo lustrandoque vestigantis.

210. *Const. silvis*, i. e. in silvis. Ed.

211. *Ad vestram*, omnes. Johnsonius ita refinxit, ut dedimus. — At vestrum genus, Metagontes, non vile, non patria vulgaris est; sed Sparta et Creta, nobilissimorum canum patriæ, promittunt et conferunt suos alumnos ad Metagonta generandum. Breviter; Metago e cane Spartano et Cretensi commixtis nascitur. Lucanus, IV, 441, *Spartanos Cretasque ligat.* Et hæc duo genera valde celebrantur.

213. Primus Hagnon Bæotius canem suum, Glympicum, loro ad ejus cervicem aptato præ se egit, ut se in silvis per vestigia ad ferarum cubilia duceret. Igitur primum Hagnona cane inductore usum esse dicit. De quo Plin. VIII, 40: *scrutatur vestigia atque persequitur, comitantem ad feram inquisitorem loro trahens.*

215. *Hastilides* olim. *Astylidæ* Gessn. et Put. *Astylides* Johnsonius reposuit. Ed. — Vide Excursum III.

216. Quem unum et præcipuum auctorem plurimi semper, artem nostram exercentes, grati prædicabunt.

217. *Silentes*, G. — Hic vidit, qua propiore brevioreque via trepidæ artes, h. e. incertæ adhuc et fluctuantes, necdum ob novitatem satis usu stabilitæ, possent exerceri. — *Sedentes*, id est, fixæ et consensu receptæ, ut alias *sedere sententia* dicitur.

Vidit, qua propior patuit via; nec sibi turbam
Contraxit comitem, nec vasa tenentia longe.
Unus præsidium, atque operi spes magna petito,
Assumptus Metagon lustrat per nota ferarum
Pascua, per fontes, per quas trivere latebras,
Primæ lucis opus; tum signa vapore ferino
Intemerata legens, si qua est, qua fallitur, ejus
Turba loci, majore secat spatia extera gyro.
Atque hic egressu jam tum sine fraude reperto
Incubuit spatiis, qualis permissa Lechæis
Thessalium quadriga decus, quam gloria patrum
Excitat, et primæ spes ambitiosa coronæ.
Sed ne qua ex nimio redeat jactura favore,

219. *Turba comes*, famulorum comitantium multitudo: *vasa*, instrumenta et arma venatoria. Pollux lib. V, c. 3, συνεργοὺς κυνηγέτου καὶ σκεύη appellat. — *Tenentia longe* interpretor continenti serie et longo ordine procedentia. *Tenere longe* est continuari; inde *tenor*, continuatio. Livius, II, 3: *Per aliquot dies ea consultatio tenuit*, h. e. continuata est. Nemes. Cyneg. v. 300, *longoque meantia retia tractu*. Conf. Ovid. Met. VII, 806, et Horat. Epist. I, 6, 58. — *Tenentia late* citat Turneb. Advers. X, cap. 26. Ed.

221. *Lustrare* absolute positum, est circumire, oberrare.

223. *Primæ lucis*, diluculi, opus est lustratio et vestigatio. Vid. Nemesiani Cyn. v. ult. — *Vapor ferinus* est odor, quem fera transiens relinquit in vestigiis, et canes naribus captant. Oppianus, lib. I, 466, θήρειον ἀϋτμὴν vocat.

224. *Intemerata*, hoc est, illibata solis radiis, et nondum infirma. — *Si qua est turba*, h. e. si sint eo loco multa et turbata unius vel plurium ferarum vestigia, tunc majore gyro extra procurrit, donec exeuntia unius feræ vestigia reperiat.

225. *Majora* A. St. Gr. P.

226. *Egressu* puta vestigiorum a loco illo, in quo turbata erant, ad cubile procedentium. Ed.

227. Gronovius, Obs. II, 13, distinguit, *Incubuit*, *spatiis qualis perm. Lech.* — *Incubuit*, i. e. incumbit, instat tramiti et vestigiis, quibus egressa est fera. Iterum sic v. 244. — *Permissa*, immissa, infusa; *permista* vult B. — *Lechæis*, repete *spatiis*. Lechæum, portus est Corinthi ludis Isthmiacis celebris. — *Thessalium decus*, quia Thessalia equorum usu nobilis. Respexit forte Virg. Georg. I, 512, *quum carceribus sese effudere quadrigæ, Addunt se in spatia.*

230. *Ex nimio favore*, h. e. ardore, alacritate, quæ est ex favore et studio placendi domino. Hinc deinde *officium* vocat. Idem supra v. 189, *nimius properat furor*; ubi Gronov. *favor*. — *Ne redeat jactura*, ne amittatur rursum, vel elabatur fera, quæ prope deprehensa erat.

Lex dicta officiis; ne voce lacesseret hostem,
Neve levem prædam, aut propioris pignora lucri
Amplexus, primos nequidquam effunderet actus.
 Jam vero impensum melior fortuna laborem
Quum sequitur, juxtaque domus quæsita ferarum,
Ut sciat, occultos et signis arguat hostes;
Aut effecta levi testatur gaudia cauda,
Aut ipsa infodiens uncis vestigia plantis
Mandit humum, celsasve apprensat naribus auras.
Et tamen, ut ne prima faventem pignora fallant,
Circa omnem, aspretis medius qua clauditur orbis,
Ferre pedem, accessusque, abitusque notasse ferarum

231. *Officii, neu.* A. et St. *ne* Gesn.

232. *Ne levem prædam* intervenientem, aut *propioris pignora lucri*, vestigia feræ alius propius latentis et certo lucrandæ, interea consectetur. — *Pignora* Gratio sunt certa rei eventuræ signa. Eadem monet Xenophon, cap. 4. — *Effunderet*, quod Johnsonius posuit, significantius est, quam illud vet. edit. *offenderet;* sed hoc etiam ferri potest. Sequutus est Virgil. G. IV, 491: *ibi omnis effusus labor.*

234. Hic continuatur filum narrationis, v. 227 abruptum. — *Quum melior fort. lab. sequitur*, h. e. quum melius succedit investigandi labor, *juxtaque*, etiam prope est *quæsita domus*, cubile, *ferarum*, ita *ut sciat*, sentiat canis, *certisque signis* odoris et vestigiorum *arguat, occultos hostes* in propinquo esse. — Hæc exprimit Statius, Achill. II, 72: *velut ille cubilia prædæ Indubitata tenens muto legit arva Molosso Venator.* Ed.

235. *Consequitur* V. C. sive MS. Pith.

237. *Effecta gaudia*, effectum esse id de quo gaudeat.

238. *Aut spissa* volebat Heins. et in seq. *Radit humum.* — *Aut ipsa infod.* unguibus terram eruens vestigia imprimit, vel *cavat tellurem*, ut Virg. G. III, 87. Idem G. III, 535, *unguibus infodiunt fruges.* Pro *apprensat* Virg. G. I, 375, *captavit naribus auras.* Vid. et Halieut. v. 77.

240. Intricatissimi hujus loci hæc esse sententia videtur: Ne tamen prima indicia latentis feræ canem cupidum fallant, ipse nutu vel respectu admonet venatorem sequentem, ut totum locum, aspretis clausum, ubi jacere fera videtur, circumeat, et accessus abitusque ferarum notet; tum, si cubile eo, quo prima spes ducebat, loco non reperiat, quod tamen raro accidit, porro incumbit his spatiis vel vestigiis, quæ verti vel tendere ad locum feræ, tanquam ad felicem exitum, videbantur, alioque gyro, quem hactenus non attigerat, eadem loca lustrat, et ad prima vestigia redit, ut inde exeuntia in alium locum reperiat.

241. *Aspretis* pro asperetis; locus sentibus asper, ut fruticetum, dumetum.

Admonet, et, si forte loci spes prima fefellit,
(Rarum opus) incubuit spatiis ad prospera versis,
Intacto repetens prima ad vestigia gyro.
Ergo ubi plena suo rediit victoria fine,
In partem prædæ veniat comes, et sua naris
Præmia: sic operi juvet inservisse benigno.
Hoc ingens meritum est, hæc ultima palma tropæi,
Hagnon magne, tibi Divum concessa favore.
Ergo semper eris, dum carmina, dumque manebunt
Silvarum dotes, atque arma Diania terris.
Hic et semiferam Thoum de sanguine prolem
Finxit : non alio major sub pectore virtus,
Seu norit voces, seu nudi ad pignora Martis.
Thoes commissos (clarissima fama) leones
Et subiere astu, et parvis domuere lacertis.

243. *Spes illa* vult Johns. sed male.

244. *Versis*, in vet. ed. *siser*, recte emendavit Vlit. sed idem *ad proxima* male. Ed. - *Repetens* subaudi cursum.

246. *Rediit vict.* pro venit, ut supra v. 230. — *Suo fine*, præda capta.

247. *Sua norit* Gron. alii omnes *naris*. — *In partem prædæ veniat comes* videtur sumpsisse a Virgilio, Æn. III, 222: *Divos ipsumque vocamus In partem prædamque Jovem.* — *Præmia naris*, i. e. sagacitatis, qua feram invenit. Vid. v. 191.

248. *Operi benigno*, h. e. frugifero, quod meritis respondet et remunerat labores.

251. *Semper eris*, in memoria et celebratione hominum. Ovid. Am. I, 15, 16: *Cum sole et luna semper Aratus erit.* — *Silvarum dotes*, commoda et voluptates venationum. — *Dianea* veteres edit. male.

253. Thoes *luporum genus* dicit Plinius, VIII, 35, quamquam aliter Oppian. Cyn. III, 338, et Hesych. in θῶας. Ex hoc igitur et canum genere mixtam docet Noster, quam *semiferam prolem* vocat. Inde et *finxit* addit, ut ostendat, sobolem esse factitiam, non proprio genere ortam. Tales Indici, et alii supra memorati. Festus *bigenera* vocat.

255. *Morit voces* A. et St. Sic refingit Johnsonius : « Sive voces naris, seu nudi ad pignora Martis ». Ed.— Planissima est hæc Johnsonii emendatio, nec aliam, quamvis facilem, audeo. Duas et hic virtutes canum, quas alibi, ponit, sagacitatem et violentiam pugnandi. Vid. v. 153.

257. *Subire* de fraude et aggressione furtiva, ut v. 184. — *Parvis lacertis*, h. e. cruribus, ut inf. v. 277. Brevitatem crurum Thoibus tribuit Plin. VIII, 34. Tangit forte poeta pugnam Thois cum leone Romæ in circo visam, unde *clarissimam famam* esse dicit. Et meminit Thois in ludis Pompeii M. spectati Plin. VIII, 19 et 21.

Nam genus exiguum, et, pudeat quam informe fateri,
Vulpina specie; tamen huic exacta voluntas.
At non est alius, quem tanta ad munia, fetus,
Exercere velis; aut te tua culpa refellat
Inter opus, quo sera cadit prudentia damno.
Junge pares ergo, et majorum pignore signa
Feturam, prodantque tibi Metagonta parentes,
Qui genuere sua pecus hoc immane juventa.
Et primum expertos animi, quæ gratia prima est,
In Venerem jungunt; tum sortis cura secunda,
Ne renuat species, aut quæ detrectet honorem.
Sint celsi vultus, sint hirtæ frontibus aures,
Os magnum, et patulis agitatos morsibus ignes

259. *Species* A. St. Gr. P. et B. non male. — *Exacta voluntas*, promptum studium, et expedita vis, quæ nihil conatur, quod non efficiat. Vid. v. 173.

260. Non est alius fetus, non aliud genus canum, præter Thoes, quod magis suadeam ad subeunda tanta belli munia exerceri.

261. Gronovius scribit: *haud t. t. c. refellet I. o. quum sera redit prudentia damno.* — *Aut te:* Vide, ne, si aliud genus adhibeas ad feturam, te aliquando tua culpa redarguat inter venandum, eventu aliquo damnoso, quo sentias omnem prudentiam seram esse. — *Cadere* pro esse vel evenire.

263. *Majorum pign. signa fet.* ex certis virtutum, quas in majoribus deprehendis, signis, sponde et designa tibi prolem, qualem velis nasci, atque adeo, qualem Metagonta habiturus sis, parentes ipsi tibi ante significent, quos oportet hoc bellicosum pecus valida adhuc juventa genuisse. Vid. Nemes. Cyn. v. 115.

266. *Animis* malebat Heins. — *Expertos animi*, cognitos, spectatosque animositate.

267. *Cura secundæ*, sic veteres: *cura secunda* dedit Burmann. cum Heinsio, qui ad Ovid. Met. IX, 506, versum sequentem sic legit: *Ne renuat species, aut ne detrectet honorem.* — *Sortis cura sec.* h. e. secundo curandum est in sortitione vel electione *ne renuat species*, ne species impar et inepta conjunctioni sit, quæ adeo non debeat eligi, aut quæ sit adeo deformis, *ut detrectet*, nolit, non mereatur ullo in *honore* esse.

269. In descriptione generosi canis Gratius componi potest cum Xenoph. c. 5; Oppian. Cyn. lib. I, 401 seq. Polluce, l. V, c. 10; Nemes. Cyn. 108 seq. quamquam non omnes de eodem genere loqui videntur.

270. Spirare, efflare ignes, fumos, poetæ dicunt animalia, quæ maxime animosa et fortia volunt describere. Exempla sunt obvia. — *Patulis morsibus*, patulo rictu, tanquam ad morsum inferendum diducto.

Spirent, adstricti succingant ilia ventres,
Cauda brevis, longumque latus, discretaque collo
Cæsaries, non pexa nimis, non frigoris illa
Impatiens; validis tum surgat pectus ab armis,
Quod magnos capiat motus, magnisque supersit.
Effuge, qui lata pandit vestigia planta;
Mollis in officio: siccis ego dura lacertis
Crura velim, et solidos hæc in certamina calces.
Sed frustra longus properat labor, abdita si non
Altas in latebras, unique inclusa marito
Femina, nec patitur Veneris sub tempore magnos
Illa, neque emeritæ servat fastigia laudis.

273. *Non pexa nimis*, h. e. non nimis densa et villosa. Sed quod additur, *non frigoris illa impatiens*, non nimis calvum vult esse canem.

275. Quod magnos pulmonum anhelitus, eoque vehementes et celeres impetus capiat, nec tamen defatigetur eis, sed sufficiat etiam pluribus. Magnos spiritus generosi canis non minore spiritu eloquutus est poeta, et valde admiratur hunc versum Vlitius. Similem dictionem habes apud Pers. Sat. I, 14, et Virgil. Georg. IV, 83, de apibus: *Ingentes animos angusto in pectore versant.* Hoc colore adeo magnitudinis amplum pectus in statua Domitiani pingit Statius, Silv. I, 1, 42: *Pectora, quæ mundi valeant evolvere curas.*

276. Effuge eum, qui plantas amplas habet, quæ discedentibus inter eundum unguibus panduntur.— In Moreto, v. 35, mulier dicitur *Cruribus exilis, spatiosa prodiga planta.* Ed. — *Siccos lacertos* vocat pedes duros, rigidos, graciles, ut contra pinguia sunt mollia. Hinc porro *solidos calces* requirit. Et Nemes. Cyn. 111, *siccam alvum* dicit pro tenui et adstricta.

279. *Longus labor*, qui educationi adhibetur.

280. Substituit *tenebras* Wernsd. non male quidem, sed qua codicum auctoritate adductus, nescio. Ed.

281. *Sub tempore mæchos Illa*, Johns. *mæchos Mille, sed emeritæ s. f. l.* malit Burm. — *Nec patitur.* Altera caussa, cur frustra et vanus labor sit boni canis educandi, si femina Veneris sub tempore non magnos patitur, h. e. non habiles satis et egregios mares experitur, quales supra descripsit.—*Magni* sane ex usu venaticorum ita dici videntur, ut exposui. Docet Nemes. Cyn. v. 114: *Huic parilem submitte marem, sic omnia magnum.* Sic Virg. Georg. III, 54, bovem eligendam describens: *Tum nullus longo lateri modus, omnia magna.*

282. *Nec immerito servat* G. — Tertia, cur frustra labor sit, caussa est, si femina *laudis* illius quam *emeruit*, uno eoque magno conjuge contenta, non *servat fastigia*, h. e. non perpetuo et ad summum custodit,

Primi complexus, dulcissima prima voluptas :
Hunc Veneris dedit impatiens natura furorem.
Si renuit cunctos, et mater adultera non est,
Da requiem gravidæ, solitosque remitte labores.
Vix oneri super illa suo : tum deinde monebo,
Ne matrem indocilis natorum turba fatiget,
Percensere notis, jamque inde excernere parvos.
Signa dabunt ipsi : teneris vix artubus hæret
Ille tuos olim non defecturus honores ;
Jamque illum impatiens æquæ vehementia sortis
Extulit : affectat materna regna sub alvo ;
Ubera tota tenet, a tergo liber aperto,
Dum tepida indulget terris clementia mundi.
Verum ubi Caurino perstrinxit frigore vesper,
Ira jacet, turbaque potens operitur inerti.

sed postea alios minores et vulgivagos canes admittit.

284. *Impatiens*, i. e. indomita, effera in libidinem. Ed.

285. *Tenuit* A. St. Gr. — *Mater* hic est, non quæ peperit, sed quæ paritura est, gravida. — *Si adultera non est*, si plures non admittit.

286. *Solitoque... labore* G. et B.

288. *Indocilis* h. l. est nimium avida, improba, et immodice distrahens matrem, ut Nemes. exprimit Cyneg. v. 139.

289. *Excernere pravos* mavult Burmann. — *Monebo percensere*, ut v. 143, *admonet notasse*. *Percensere notis*, singulos suis notis dignoscere. —*Parvos* vocat catulos, ut mox *minores*, non simpliciter tamen, sed eos, qui aliis præstent. Signa in excernendo observanda latius exponit Nemes. Cyneg. 145 seqq.

290. *Signa dabunt ipsi*, et statim signa quæ ipsi dant catuli exsequitur. Ed. — *Teneris v. a. h.* adeo teneris et fluxis membris est, ut vix se sustinere videatur. Inde et levior cæteris præferri videtur v. 299.

291. *Non defecturus*, id est, non deserturus. Ed.

293. *Affectat regna*, dominari cæteris cupit.

294. *Libera tota tenet* * *ea* * *tergo* A. St. Gr. — Lego cum Burmanno : *Ubera tota tenens, ac tergo liber aperto*, h. e. hic generosus catulus, dum sugit ubera matris, nullum patitur ex consortibus tergum suum conscendere ea tempestate, quæ calida est, sed excutit omnes, et ab uberibus matris arcet.

296. Ubi frigus perstrinxit, a Cauro inductum, qui ab Occidente spirat. Vid. Gell. II, 22. Tum *potens* ille catulus qui regna affectat, *operitur*, tegi se patitur, *turba inerti*, ignava et ignobiliore, ut a frigore defendatur.

Illius et manibus vires sit cura futuras
Perpensare: levis deducet pondere fratres:
Nec me pignoribus, nec te mea carmina fallent.
  Protinus et cultus alios et debita fetæ
Blandimenta feres, curaque sequere merentem:
Illa perinde suos, ut erit delata, minores;
Ac longam præstabit opem: tum denique, fetæ
Quum desunt operi, fregitque industria matres,
Transeat in catulos omnis tutela relictos.
Lacte novam pubem, facilique tuebere maza;

298. *E manibus* G. P. Vlit. sed *Illius et manibus* Burm. cum Heinsio, qui et *præpensare* corrigebat. — *Manibus* tanquam statera. —*Perpensare* est, quod Noster v. 122 et Nemes. Cyneg. v. 145 in eodem negotio *perpendere* dixit.

299. *Levis* omnes antiquiores. *Leves* Burm. — *Levis* primo casu scribendum est, ut hæc mens sit poetæ; qui generosior est catulus, ipse levis ascendet, et fratres suos pondere coget descendere; vel, nobilior catulus levior pondere erit. Conf. v. 290. In contrariam sententiam adducitur Nemesiani v. 146; sed de hac dicemus ad ipsum locum.

300. *Nec me pignoribus.* Nec me isti catuli suis notis et indiciis fallent, adeo certa sunt. Perplacet tamen Burmanni conjectura: *Hæc de pignoribus*, hoc sensu: Hæc monere volui de indiciis futuræ virtutis in catulis. Nunc ad fetam matrem regrediar.

303. *Uteri de lacte* conj. Vlit. *Ut erit delecta, minores Ad longam p. o.* Heinsius in ora codicis. *Suo nutrit de lacte*, vel *suo saturat de lacte* Johns. — *Ut erit delata.* Mihi persuasum est, scripsisse Gratium *ut erit delecta*, hoc sensu: *Illa*, feta mater, *perinde ut* ipsa erit blande et benigne habita, *suos minores*, catulos habebit. Memineris, jussisse antea Gratium *debita fetæ blandimenta ferre.* Hunc ipsum exprimit verbo *delecta.* Ut *allicere, illicere, pellicere* dicitur, ita et *delicere* potest, cujus exemplum e Nonio adducunt lexica. — Fragmentum nempe affert Lucilii: *Præseruit, labra delicit, delinit odore*, qui sermo esse videtur de fera suos catulos deliniente. Ed. — Usurpavit etiam Ovidius pari sensu Met. IV, 253: *Protinus imbutum cœlesti nectare corpus Delicuit.* Ed. — Hinc delicium et deliciæ.

305. Hic vult Vlitius: *desunt, operisque*, i. e. venationis; sed nihil mutat et satius est. Ed.—*Operi*, h. e. nutritioni. Quum desinunt nutrire fetæ, et jam nimia lactandi industria delassatæ deserunt catulos. — *Frigetque indust. matrum*, G. et B.

307. *Maza* est panis, aut massa farinæ hordeaceæ lacte vel aqua subacta. Vid. Varr. R. R. II, 9. Nemesianus, Cyneg. v. 161, *Cererem cum lacte* et mox *Cerealia dona sero mixta* vocat. — *Facilem* appellat, quæ facile paratur et in promptu est, opponitque luxui et impendiis, quæ sequuntur.

Nec luxus alios, avidæque impendia vitæ
Noscant: hæc magno redit indulgentia damno.
Nec mirum; humanos non est magis altera sensus.
Tollit se ratio, et vitiis adeuntibus obstat.
Hæc illa est, Pharios quæ fregit noxia reges,
Dum servata cavis potant Mareotica gemmis,
Nardiferumque metunt Gangem, vitiisque ministrant.
Sic et Achæmenio cecidisti, Lydia, Cyro:
Atqui dives eras, fluvialibus aurea venis.
Scilicet, ad summam ne quid restaret habendum,
Tu quoque luxuriæ fictas dum colligis artes,
Et sequeris demens alienam, Græcia, culpam,
O quantum et quoties decoris frustrata paterni!
At qualis nostris, quam simplex mensa Camillis!

308. *Avidæque imp. vit.* h. e. cibaria sumptuosa, quæ non vitæ necessitati, sed avidæ et intemperanti gulæ serviunt.

309. *Magno damno redit*, hoc est, retribuitur, punitur. Vid. vers. 230.

310. *Non et magis altera sensus Tollit, nec ratio vitiis*, etc. sic edidit Vlit.—*Non est magis altera.* Non alia indulgentia magis corrumpit ingenium humanum.—*Est*, absumit, depascitur, ut Virg. Æn. IV, 66. Sententiam luculentius proposuit Claudian. Stil. II, 132 seq.

311. Johnsonius edidit *abstat.* — *Ratio* sese ipsam exstinguit, vel aufertur. Ed. — Vide Excursum IV.

313. *Servata*, recondita et vetusta. — *Mareotica*, vina quæ juxta lacum Mareotidem Alexandriæ vicinum nascebantur. Vid. Horat. Carm. I, 27. — *Cavis gemmis*, poculis ex gemma integra cavatis.

314. *Nardiferumque metunt Gangem*, h. e. vim magnam nardi ex India advehendam curant.—*Vitiisque ministrant*, δουλεύουσι, ministros se præbent. Elegantissime dictum. Ed.

315. *Cecid. Cyro*, Persico, h. e. ita cecidisti, ut in potestatem Cyri venires.—*Atqui dives*: quamquam divitiis tuis potens eras, fluviis auriferis, Pactolo et Hermo, perpetuo ditata.

317. *Scilicet* inservit gradationi ad partem summam et præcipuam. Virgil. Georg. II, 534: *Scilicet et rerum facta est pulcherrima Roma.*

318. *Victas dum*, G. B. — *Dum colligis*, undecumque acquiris, *artes fictas*, excogitatas vel ita comparatas, ut serviant luxuriæ, quales sunt pictura, statuaria, plastice, musica, gymnastice, Græcæ artes dictæ Romanis.

320. *Frustrata*, sc. es, aberrasti et defecisti ab antiqua majorum tuorum gloria.—*Decoris*, usus casus genitivi græcanicus.

321. In Camillis, Serranis, Curiis Fabriciis, antiquæ frugalitatis et fortitudinis exemplis, laudandis multi sunt poetæ. Horat. Carm. I,

Qui tibi cultus erat post tot, Serrane, triumphos?
Ergo illi ex habitu, virtutisque indole priscæ,
Imposuere orbi Romam caput; actaque ab illis
Ad cælum virtus, summosque tetendit honores.
Scilicet exiguis magna sub imagine rebus
Prospicies, quæ sit ratio, et quo fine regenda.
Idcirco imperium catulis, unusque magister
Additur : ille dapes, pœnamque operamque ministrans
Temperet; hunc spectet silvas domitura juventus.
Nec vile arbitrium est: cuicumque hæc regna dicantur,
Ille tibi egregia juvenis de pube legendus,
Utrumque et prudens, et sumptis impiger armis.
Quod nisi et accessus, et agendi tempora belli
Noverit; et socios tutabitur hoste minores;
Aut cedent, aut illa tamen victoria damno est.

12 ; Virg. Georg. II, 169; Claud. Cons. Hon. 412, et alii. Ed.

323. *Ex habitu*, h. e. quod illi viri habitum et indolem priscæ virtutis et parcimoniæ tenuerunt, hinc Romam potuerunt caput orbi imponere.—*Actaque ab illis*, h. e. promota et sublata, ut in illo Horatii Carm. II, 2 : *Illum aget penna metuente solvi Fama superstes.*

326. *Scilicet* a magnarum rerum imagine capere exemplum poteris, quomodo exiguis rebus providendum sit, quæ ratio sit iis administrandis adhibenda, et quo fine moderanda.

328. Incipit dicere de familia, quæ canibus regendis præficiatur, quam plane ad exemplum Virgilii describit, apibus suos duces, mores, regna et prælia attribuentis, Georg. lib. IV. Singularem canum magistrum vel ductorem constituit, a venatore diversum.

330. *Hunc spectet*, h. e. nutum ejus perpetuo observet, oculos ab eo non demoveat. — *Juventutem* appellat canes, sicut Virgilius apes, Georg. IV, 22 : Noster alibi et *pubem* dicit. — *Silvas* pro feris, ut v. 3.

331. *Arbitrium* pro imperio vel magisterio. Præfecti canum easdem fere dotes hic enumerat, ac venatoris Oppian. Cyneg. lib. I, 86 seq. qui fortassis imitatus est Nostrum. — *Utrumque* versu 333 tenendum est contra Heinsium qui vult *Rerumque :* nam diserte hoc expressit Opp. l. c. v. 90 : Ἀμφότερον κραιπνοί τε θέειν, σθεναροί τε μάχεσθαι.

333. *Integer arm.* B. edit.

334. *Accessus et tempora belli*, h. e. quomodo adoriri feram et quando debeat. Sic Virg. Æn. IV, 423, *molles aditus et tempora* conjungit. Per *socios* canes intelligit, ut v. 218, per *turbam comitem ;* sed possis etiam servos, συνέργους.

Ergo in opus vigila, factusque ades omnibus armis;
Arma acuere viam : tegat imas fascia suras.
Sit famulis vitulina tuis, aut tergore fulvo
Mantica, curta chlamys, canaque e mele galeri;
Ima Toletano præcingant ilia cultro;
Terribilemque manu vibrata falarica dextra
Det sonitum, et curva rumpant non pervia falce.
Hæc tua militia est; quin et Mavortia bello
Vulnera, et errantes per tot divortia morbos,
Caussasque, affectusque canum tua cura tueri est.
Stat fatum supra, totumque avidissimus Orcus
Pascitur, et nigris orbem circumsonat alis.

Hoste minores, cedentes vel impares hosti. Horatio Epist. I, 10, 35, *minor in certamine*, Græcis ἥττων.

337. *Factisque* B. *Facilisque* edidit Vlit. sed idem in cur. sec. *factus* præfert. — *Factus*, i. e. paratus, instructus. Cic. ad Att. II, 24 : *ut qui illuc factus instructusque venisset.*

338. *Acuere virum* conj. Johns.— *Acuere viam*, h. e. fecere, ut ratio venandi acrior esset. Tibul. II, 6, 19 : *Præda feras acies acuit crudelibus armis.* — Per *fasciam* describit cothurnum seu calceum venatorium. Virg. Ecl. VII, 32 ; Nemes. Cyneg. v. 90.

339. Duo hi mutili versus desunt in G. *Sic famulis* edid. Vlit.

340. *Mant. c. chl.* sic lacunam supplevit Vlit. — *Galerus* commune agrestium tegumentum capitis. Vid. Calpurn. I, 7. E pellibus factum esse docet Casaub. ad Suet. Oth. c. 12. — *Melis* genus felis feræ, vel viverra est Salmasio in Sol. p. 710, quæ græce κτὶς dicitur : inde κτίδεα ipse galerus.

341. *Toletano*, qui mucrone similis sit gladio Hispaniensi. De eo cultro v. Martial. Apoph. 29.—*Præcingant ilia*, sc. socii venatores, quia culter ille in zona gerebatur. Vid. Opp. loco citato.

342. *Falarica*, venabulum prægrande. Vid. Virg. Æn. IX, 705, et Sil. Ital. I, 351.

343. *Rumpat* vult B. — *Falcem* denique habeant, qua *rumpant non pervia*, loca sentibus obsepta, cæsa silva, aperiant.

344. Titul. in edd. : *Canum remedia.* — Militia de quovis opere, studio, officio usurpatur. Ovid. Fast. II, 9 : *Hæc mea militia est, ferimus quæ possumus arma.* Quia militiam nominavit, hinc et vulnera *Mavortia*, quæ in prælio cum feris accepta sunt. Ed.

345. *Divortia* expono genera diversa, et varia symptomata morborum. Hoc insuave ὁμοιόπτωτον, præcedente *Mavortia.* — *Caussæ* pro elementis morborum, medicorum notione, dictæ. Vid. v. 53, 360, 367. — *Tueri* est observare, sanare : sic v. 478, *tutela podagræ* est ratio sanandi.

348. *Pascitur*, devorat, depascitur, *totum*, τὸ πᾶν. — *Circumsonat*

Scilicet ad magnum major ducenda laborem
Cura, nec expertos fallet Deus : hinc quoque nosse
Est aliud, quod præstet opus placabile numen.
Nec longe auxilium, licet alti vulneris oræ
Abstiterint, atroque cadant cum sanguine fibræ;
Inde rape ex ipso, qui vulnus fecerit, hoste
Virosam eluviem, lacerique per ulceris ora
Sparge manu, venas dum succus comprimat acer.
Mortis enim patuere viæ : tum pura monebo
Circum labra sequi, tenuique includere filo.
At si pernicies angusto pascitur ore,
Contra pande viam, fallentesque argue causas;
Morborum in vitio facilis medicina recenti.
Sed tactu impositis mulcent pecuaria palmis,

alis, terrorem instantis fati incutit, quasi avis dira et rapax, involans in prædam, ut bubo apud Virgil. Æn. XII, 865.

349. *Laborem* pro malo vel morbo posuit.— *Deus*, Fortuna. Vid. Virg. G. III, 452. — *Hinc*, post remedia, quæ experti sciunt, *nosse* docet *aliud*, a Deo placato impetrandum.

351. *Est aliud*, etc. verborum σύγχυσις. Est aliud opus quod præstet. Ed.

352. *Ora* antiqui, Vlitius quoque. — *Nec longe auxilium.* Quod ad curationem vulneris attinet, etiamsi hoc altum hiet, et multus sanguis fluat, tamen adest remedium non longe petendum. — *Oræ* medicis præsertim Celso extremitates et margines vulnerum dicuntur, *os* vero versu 355 est ipse sinus inter duas oras. Stat. Silv. II, 1, 3, *abruptis etiam nunc flebile venis Vulnus hiat, magnæque patet via lubrica plagæ;* Virg. Æn. III, 28, *huic atro liquuntur sanguine guttæ.* Ed.

353. *Abstiterint.* A se videlicet invicem. Ed.

355. *Virosam eluviem* exponunt de effuso lotio feræ, quæ vulnus fecit, quod virosum, h. e. salsum est. Hinc *succum acrem* mox dicit.

357. *Mortis enim.* Nam vulnere latius patente, ubi largus sanguis profluit, mors sequitur. Igitur mature comprimendum est. — *Tum pura labra*, prius mundata et eluta, *monebo* circum sequendo et manu premendo, *tenui filo* consuere.

360. *Fallentes.* Exscindendo et amplificando vulnere latentes mali caussas, et fundum læsionis detege. Vid. v. 236.

361. *Medicina recenti.* Trita hæc aliis sententia. Ovid. Remed. 92, *Principiis obsta, sero*, etc. Pers. Sat. III, 64, *venienti occurrite morbo;* et Suidas v. ἀρχὴν hoc præceptum affert : ἀρχὴν ἰᾶσθαι πολὺ λώιον ἠὲ τελευτήν. Ed.

362. *Aut tactu* edid. Johns. *Tractu* velit Burm. Hiatum interserit post

(Id satis) aut nigræ circum picis unguine signant.
Quod si destricto levis est in vulnere noxa,
Ipse habet auxilium validæ natale salivæ.
Illa gravis labes, et cura est altior illis,
Quum vitium caussæ totis egere latentes
Corporibus, seraque aperitur noxia summa.
Inde emissa lues, et per contagia morbus
Venere in vulgum, juxtaque exercitus ingens
Æquali sub labe ruit; nec viribus ullis,
Aut merito venia est, aut spes, exire precanti.
Quod sive a Stygia letum Proserpina nocte
Extulit, et Furiis commissam ulciscitur iram;
Seu vitium ex alto, spiratque vaporibus æther
Pestiferis, seu terra suos populatur honores;

hunc versum G. — *Sed* h. l. copulativum. — *Pecuaria* sunt canes, quomodo et tauros vocat Virg. G. III, 79; solve mares; « mitte in venerem *pecuaria* primus »; et Calpurn. V, 80.

364. *Districto* veteres. *Destricto* Heins. et Johns. recte.

365. *Validum* A. St. — Ælianus item de canibus, lib. VIII, cap. 9: Τρωθέντες δὲ ἔχουσι τὴν γλῶτταν φάρμακον. Ed.

366. *Et cura* ejus labis *est altior*, gravior et difficilior, *illis*, sc. curationibus de quibus ante dixi. Vid. v. 349.

368. *Seroque ap. nox. damno*, corrig. Heins. *Seraque...palma*, aut *sera...cura* conj. Burm. — *Seraque summa*, h. e. extrema demum consummatione mali, sero se prodente, *aperitur*, patescit demum et intelligitur *noxia*, damnum corporis.

369. Lege *morbi*, Vlit.

370. Expressit Virgilium Georg. III, 468, seqq. — *Venire* de ortu formidabilis et communis calamitatis dicitur. Vid. Lucret. VI, 1129, Virg. Æn. III, 138; Nemes. Cyn. 203. — *Exercitus*, pro turba omni dicitur. — *Æquali*, ὅμοιος, communis, nulli parcens. Ed.

372. *Exire precanti*, qui precetur vel optet posse effugere hoc malum: *exire vitium* supra v. 197, et *labes exire*, v. 495. — Lucret. VI, 1203: *Profluvium porro qui tetri sanguinis acre Exierat*. Ed.

373. Imitatus Maronem Georg. III, 551, Gratius Proserpinam auctorem mali nominat, quia hæc est Hecate, cui potestas in canes attributa. — *Commissam iram*, commissis vel peccatis promeritam; conf. v. 455. — *Furiis*, h. e. rabie canibus immissa. Vid. vers. 392, et Nemes. Cyneg. 229.

375. *Vitium exhalat* Heins. ad Ovid. Met. IV, 39.

376. *Seu terra suos populatur honores*, h. e. fruges suas necat pestiferis exhalationibus.

Fontem averte mali : trans altas ducere valles
Admoneo ; latumque fuga superabitis amnem.
Hoc primum effugium leti : tunc dicta valebunt
Auxilia, et nostra quidam redit usus ab arte.
Sed varii motus, nec in omnibus una potestas ;
Disce vices, et quæ tutela est proxima, tenta.
Plurima per catulos rabies, invictaque tardis,
Præcipitat letale malum ; sic tutius ergo
Anteire auxiliis, et primas vincere caussas :
Namque subit, nodis qua lingua tenacibus hæret,
(Vermiculum dixere) mala atque incondita pestis.
Ille, ubi salsa siti præcepit viscera longa,

377. Cælum et regionem mutare jubet. Aperte autem in his imitatur Maronem, Georg. III, 212.

378. *Superantibus amnem Hoc primum eff. l.* Heinsius legebat.

380. *Quondam redit* rescripsit Johns. rejecit Burm.

381. Sed varii sunt motus et progressiones morborum, nec earum una eademque vis est. Quare disce vicissitudines eorum et variationes, et quam proximam paratissimamque habes medicationem tenta. Vid. v. 391.

382. *Disce vias* legit Jo. Schraderus, Observ. c. 3, p. 29. Vid. v. 414.

383. *Rabies*, quæ *per catulos*, in catulis, furit, *plurima*, violenta admodum est, et iis, qui *tardi* sunt, nec celeriter succurrunt, *invicta*, insanabilis, vim letalem accelerat. Tutissimum igitur, prævenire malum remediis ante quam invalescat, et primas ejus caussas, vel principia, vincere : *plurima* ut v. 30. — *Tardum* in medicando describit Virg. Georg. III, 455.

384. *Præcipita letale malum maturius ergo* : tentavit Johns. rejecit Burm. qui *sit tutius* malit. Pro *ergo* Heins. *ægros* malebat.

386. *Subit*, occulte gliscit, ad ligamenta vel radicem linguæ, vermiculus, qui describitur a Plinio, XXIX, 5 : *Est vermiculus in lingua canum, qui vocatur a Græcis lytta ; quo exempto infantibus catulis nec rabidi fiunt, nec fastidium sentiunt.* — *Incondita pestis*, maligna et horrenda.

388. *Præcepit* omnes ante Johnsonium. Gronovius conjecit *percepit.* Plautus Menæchm. *priusquam percipit insania.* Vlit. — *Percepit* hoc versu scripserunt recentiores editores, e conjectura Gronovii, qui sensum ejus verbi pro *penitus cepit* monstravit ad Livium, VII, 26. Ego revocandam putavi antiquam et constantem omnium librorum lectionem *præcepit*, quæ multo melius convenit vermiculo. *Præcipere*, ubi de æstu usurpatur, est præfocare, constringere, arefacere, et sic anginam cum siti et æstu conjunctam exprimit, quam vermiculus in canibus creat. Virgil. Eclog. III, 98, *si lac præceperit æstus ;*

Æstivos vibrans accensis febribus ignes,
Moliturque fugas, et sedem spernit amatam.
Scilicet hoc motu, stimulisque potentibus acti
In furias vertere canes : ergo insita ferro
Jam teneris elementa mali caussasque recidunt.
Nec longa in facto medicina est ulcere : purum
Sparge salem, et tenui permulce vulnus olivo.
Ante relata suas quam nox bene compleat umbras,
Ecce aderit, factique oblitus vulneris, ultro
Blanditur mensis, Cereremque efflagitat ore.
Quid priscas artes inventaque simplicis anni
Si referam? non illa metus solatia falsi,
Tam longam traxere fidem : collaribus ergo
Sunt qui lucifugæ cristas inducere melis

Ovid. Fast. IV, 940, *Tosta sitit tellus, præcipiturque seges*, h. e. arescit, vel quasi præfocatur, ut dicit Calpurn. IV, 115, *nec præfocata malignum messis habet lolium*. — Idem verbum ab arescente segete transtulit auctor Dialog. de Orat. c. 9 : « Omnis illa laus intra unum aut alterum diem, velut in herba vel flore, præcepta ». Pariter Frontinus de Aquæd. Rom. art. 123 : *non minus autem sol acrior quam gelatio præcipit materiam*, i. e. ante tempus consumit, materiæ consumptionem anticipat. Loquitur de structura et cæmento. Ed.

389. *Æstivos vibrans ignes*, ardentem spiritum ducens, qualis æstate solet. Vid. v. 44.

390. *Sedem spernit amatam*, consuetam, ubi versari solet, deserit, ut Hor. Carm. I, 30, *sperne dilectam Cypron*. — *Amaram* omnes antiqui. *Amatam* recte restituit Vlitius. — Hunc morem canis rabie tentati amplius describit Valerius Flaccus, lib. VII, v. 125 : *Sic adsueta toris et mensæ dulcis herili, Ægra nova jam peste canis, rabieque futura, Ante fugam totos lustrat queribunda penates*. Ed.

392. *Vertere*, h. e. versi sunt, ut *vertente anno*.

394. *Ulcere*. Ita vocat tuberculum qui post sectionem subnasci solet. Vid. Cels. lib. V, c. 26. Ed.

396. Ante quam nox plena ingruerit, ecce aderit rursus qui ante fugerat, et cœnanti tibi blande assistens patulo ore cibum petet.

399. *Simplicis ævi* volebat Bart. et idem; quamvis Vlitio adversante, probant Scaliger, Heins. Burmann. — *Inventa simplicis anni*, h. e. ævi rudis et simplicis, vocat remedia magica et superstitiosa. — *Non illa solatia*, seu remedia falsus metus aut vana religio Deorum invenit; alias fieri non potuisset, ut tam longo tempore fidem haberent. Post *falsi* distinguendum puto.

402. *Cristas includere* conj. Vlit.

Jussere, aut sacris conserta monilia conchis,
Et vivum lapidem, et circa Melitensia nectunt
Curalia, et magicis adjutas cantibus herbas.
Ac sic offectus, oculique venena maligni
Vicit tutela pax impetrata Deorum.
At si deformis lacerum dulcedine corpus
Persequitur scabies, longi via pessima leti:
In primo accessu tristis medicina; sed una
Pernicies redimenda anima, quæ prima sequaci
Sparsa malo est, ne dira trahant contagia vulgum.
Quod si dat spatium, clemens et promovet ortu
Morbus, disce vias, et, qua sinit, artibus exi.

Mælis scribunt antiqui.—*Lucifugæ*, quia cavernas incolit. Ed. — Vide Excursum quintum.

403. Vult monile ex conchis nexum pro collari collo circumdari. Per *sacras conchas* innuit Veneri dicatas, quas Venereas dicunt, teste Plinio, XXXII, 1, minusculas tamen, quæ commode in monilia conserantur. — *Vivum lapidem* appellatum esse pyriten diserte Plinius et Isidorus tradunt, quem igitur intelligit Gratius.

405. *Coralia* omnes antiquiores, sed *curalia* legendum, ubi prima producta est, monuit Johns. — *Curalia* ad amolienda pericula adhiberi tradit Plin. XXXII, 2. — *Melitensia* dicit per excellentiam, et in mari Siculo ad Meliten præstantissima nasci innuit.

406. *Offectus*, ab officio, sunt noxæ a fascino. — *Tutela* est curatio, quæ fit rebus et amuletis ante memoratis. De ipso curalio, de quo sermo fuit, Plin. XXXII, 2, « Surculi infantiæ alligati tutelam habere creduntur ». — *Pax Deorum* est miseratio et favor, gratia Deorum redux.

408. Pro *dulcedine* Johns. volebat *salsedine*. — *Si deformis* scabies corpus ita pervadit, ut *dulcedine*, h. e. perpetua scabendi libidine, quasi laceret, hoc pessimum malum est, quod lentam quidem, mortem tamen affert.

410. *Una*. Primum canem scabie infectum protinus enecandum præcipit, ne contagio omnes continuo inficiat. Ed.

412. *Valgi* omnes libri. *Vulgus* vel *vulgum* volebat Heins. eumque sequitur Burm. vid. vers. 370. — Virgilius, Georg. III, 469, « prius quam Dira per incautum serpant contagia vulgus ». Ed.

413. *Nec promovet* malebat Heins. *et præmonet* Tit. et Græv. *Promovet ortus* pro promovetur, malit Burm. — *Promovet ortu*, *si morbus clemens*, lentus et paulatim se diffundens, se promovet ab ortu, ex quo primum oritur, tum disce vias, etc. Ed.

414. *Disce vias*, methodum curandi, et, qua fieri potest arte, id malum *exire*, vitare stude. Vid. v. 372.

Tunc et odorato medicata bitumina vino,
Imponasque pices, immundæque unguen amurcæ.
Miscuit, et summam complectitur ignis in unam.
Inde lavant ægros : est ira coercita morbi,
Laxatusque rigor, quæ te ne cura timentem
Differat, et pluvias, et Cauri frigora vitent;
Sic magis, ut nudis incumbant vallibus, æstu,
A vento, clarique faces ad solis, ut omne
Exsudent vitium, subeatque latentibus ultro,
Quæ facta est medicina, vadis : nec non tamen illum
Spumosi catulos mergentem litoris æstu
Respicit, et facilis Pæan adjuvit in artes.

415. *Viro* omnes ante Johnsonium, qui *vino* correxit, assentiente Burm. — Recte *vino*, quod et ipse commendat Gratius, v. 474. — *Bitumina medicata* sunt tincta et incocta vino. — *Imponas*, applices corpori.—*Picem* intellige liquidam. —*Amurcam* vocant sordes olei. Vid. Virgil. Georg. III, 448, seq. et Calp. V, 78. Et hanc scabiei mederi disces e Catone, R. R. c. 96. — *Summam in unam* Pallad. Mai. 8, exprimit, *in unum corpus omnia redacta curabis adlinire:* adde Nemes. Cyneg. 226.

419. *Ne cura.* A. St. et multæ edd. habent *natura.* — Amplector emendationem Gronovii, *quæ te ne cura,* hoc sensu : quæ curatio ne te timentem adhuc ægris *differat,* dubium pendentemque animi teneat, vel in longius tempus extrahat, fac ut vitent pluvias et frigora. Respexit Virg. Georg. III, 441.

421. *Sic, magis ut nudis incumbant vallibus, æstus Adventu.* Ita Barth. ex vet. ed. Heinsius cum Burmanno sic : *Sic magis, ut nudis incumbant vallibus, æstu Ad ventos, clarique faces ad solis, et omne Exsudent vitium.* — Veterum librorum scripturam paullum muto, ut scribam *incumbant* et *æstu.* — *Sic magis,* hac potissimum ratione, *ut incumbant vallibus nudis,* quæ sint spinis et sentibus vacuæ, *æstu* diei, calido die, et aversi a vento, oppositi vero *ad faces solis.* Sequitur hæc Maronis, Georg. III, 302 : « Et stabula a ventis hiberno opponere soli Ad medium conversa diem ».

423. *Exsudent.* Ita Virgil. Georg. lib. I, 88 : *exsudat inutilis humor.* Ed. — *Subeatque latentibus vadis,* hoc est, intimis recipiatur et diffundatur venis, quæ sunt quasi sanguinis rivi. Sic Curtius, III, 6, 11, « patere medicamentum concipi venis ». — *Ultro,* id est, facile. Ed.

424. *Nec tamen* ille minus secundo successu curabit, qui catulos vicino mari merget. Oves etiam tonsas vel scabiosas mari mersare jubent Colum. VII, 4, 8; Pallad. VI, 8; M. Cato de R. R. c. 96.

O rerum prudens quantam experientia vulgo
Materiem largita boni, si vincere curent
Desidiam, et gratos agitando prendere fines!
  Est in Trinacria specus ingens rupe, cavique
Introrsum reditus; circum atræ mœnia silvæ
Alta premunt, ruptique ambustis faucibus amnes.
Vulcano condicta domus, quam subter eunti
Stagna sedent, venis oleoque madentia vivo.
Huc defecta mala vidi pecuaria tabe
Sæpe trahi, victosque malo graviore magistros:
Te primum, Vulcane, loci, pacemque precamur,
Incola sancte, tuam, des ipsis ultima rebus
Auxilia; et, meriti si nulla est noxia tanti,
Tot miserere animas, liceatque attingere fontes,
Sancte, tuos: ter quisque vocant, ter pinguia libant
Tura foco; struitur ramis felicibus ara.
Hic dictu mirum, atque alias ignobile monstrum
Adversis specubus, ruptoque e pectore montis

427. *Vulgo*, i. e mortalibus. Ed.

429. *Agitando*, multa tentando, meditando, crebro agendo, gratos laborum fines fructusque assequi. Ovid. Fast. II, 291, «Vita feræ similis nullos agitata per usus».

430. Vid. Excurs. sextum.

431. *Reditus*, flexus et Mæandri. — *Mœnia*, juga montis, instar mœnium. Ed.

434. *Sedent venis, oleoque*. A. Gr. P.

435. *Pecuaria*, h. e. pecora; vid. v. 362. — *Defecta* viribus, et confecta *tabe*. — *Victos* animi, et dolore oppressos ob gravitatem mali.

437. Verba hæc esse precantium magistrorum, subjicit versu 441. — *Vulcanus, sanctus incola loci*, i. e. ἐπιχώριος Θεός. *Pax Deorum* et *sancti* appellatio in formulis precantium solennibus. — *Ultima auxilia*, h. e. maxima et summa, ultra quæ non alia sperare licet. — *Si nulla est noxia*, nulla culpa nostra, *meriti tanti*, quæ tantum malum meruisse videatur. — *Ter quisque vocant*, i. e. ter istas preces recitant. Ternus numerus in sacrificiis, precibus, carminibus, sacer et auspicatus. — *Rami felices*, ligna arborum frugiferarum, quæ sacris Superum adhiberi poterant.

438. *Des ipse his*, vult Barth. *Lapsis* Heins. *Fessis* Grævius.

439. *Et, meriti*, omnes, præter Vlitium, qui *aut* exhibet.

441. Alii omnes *vocantes;* et hoc non mutandum. Johns.

443. *Alias ignobile*, aliis locis incognitum. — *Pectus* de monte, quomodo sæpe caput, vertex, barba, latera, præsertim Sil. I, 202, seq.

Venit, ovans austris, et multo flumine flammæ.
Emicat ipse, manu ramum pallente sacerdos
Termiteum quatiens : procul hinc extorribus ire
Edico, præsente Deo, præsentibus aris,
Queis scelus aut manibus sumptum, aut in pectore motum est,
Inclamat : cecidere animi et trepidantia membra.
O quisquis misero fas unquam in supplice fregit,
Qui pretio fratrum, meliorisque ausus amici
Sollicitare caput, patriosve lacessere Divos;
Illum agat infandæ comes huc audacia culpæ :
Discet, commissa quantum Deus ultor in ira
Pone sequens valeat; sed cui bona pectore mens est,
Obsequiturque Deo, Deus illam molliter aram
Lambit, et ipse, suos ubi contigit ignis honores,
Defugit ab sacris, rursumque reconditur antro :

445. *Ovans auris* malebat Heins. *Antris*, ut jungatur cum *venit*, Burm. —*Ovans*, hoc est, vagans et exsultans cum impetu, impulsus auris. —Val. Flacc. II, 506 : *Non fluctibus æquis Nubiferi venit unda Noti, non Africus alto Tantus ovat;* et Virgil. Æn. X, 409, *flammæ ovantes* dicuntur grassantes per stipulas incensas. — *Venit*, Deus videlicet, sive ignis. Ed. — *Flumine flammæ*. Vid. Æschyl. Prometh. Vinct. ποταμοὶ πυρός. Ed.

446. *Emicat inde*, etc. sc. sacerdos, post adventum Dei profanos arcens. Ita Burm. — *Manu pallente*, trepida ex horrore, *ramum quatit*, signum dat adventus Dei. — *Termiteus* a termite, qui Festo est ramus ex arbore dereptus. — *Procul hinc*, formula nota. — *Extorribus ire Edico*, per hellenismum, pro *ire extorres*.

449. Queis scelus aut opere patratum, aut saltem cogitatum est.

450. *Cecid. animis* vet. ed. et Vlit.

• 452. *Meliorisve* B. — Melioris amici, boni et fidi, ut *senior* pro sene, et v. 436 *malo graviore*. —*Sollicitare caput*, vitæ insidiari. — *Patrii Divi* sunt genitales, Genii parentum, præsides familiarum, Catullo carm. 65 extr. *Divi parentes*.

454. *Comes hinc* legendum videtur Titio.

455. *Commissa ira*, quæ commissis sceleribus provocata et promerita est. Vid. v. 374.

457. *Obsequiturque Deo*, subintellige *qui* cum obsequio et reverentia accedit. — *Deus*, Vulcanus in igne. —*Lambit*, molliter tangit et accendit, quod signum favoris divini est. Amplius hoc incendium describit Solinus, cap. 11, qui conferendus cum Nostro. — *Honores* sunt victimæ, vel quæ Diis adolentur in ara. Virgil. Æn. III, 118; infra v. 492.

Huic fas auxilium et Vulcania tangere dona.
Nec mora; si medias exedit noxia fibras,
His lave præsidiis, affectaque corpora mulce,
Regnantem excutiens morbum. Deus auctor, et ipsa
Artem aluit natura suam: quæ robore pestis
Acrior, aut leto propior via? sed tamen illi
Hinc venit auxilium valida vehementius ira.
Quod primam si fallet opem dimissa facultas,
At tu præcipitem, qua spes est proxima, labem
Aggredere: in subito subita est medicina tumultu.
Stringendæ nares, scindenda ligamina ferro
Armorum, geminaque cruor ducendus ab aure.
Hinc vitium, hinc illa est avidæ vehementia pesti.
Ilicet auxiliis fessum solabere corpus;
Subsiduasque fraces, diffusaque Massica prisco
Sparge cado. Liber tenues e pectore curas
Exiget; est morbo Liber medicina furenti.

460. *Tangere dona*, oblatum a Vulcano remedium usurpare. Supra v. 429, *gratos prendere fines*.

461. *Hæc mora* vet. edit.

462. *His præsidiis*, hoc oleo vivo, et lacu, v. 434. Valere ejus fontis liquorem ad scabiem jumentorum, scribit Plin. l. xxxv, c. 15.—*Excutiens*, vel ut volunt Barth. et Johns. *excuties*. — *Excuties*, profligabis, *morbum regnantem*, grassatum per totum corpus. Virg. Georg. II, 306 de igne: *perque alta cacumina regnat*.—*Deus auctor*. Vulcanus hujus muneris dator est, et ipsa loci natura hanc ingenitam sibi artem medendi creat fovetque. Ed.

466. *Valida vehementius ira*, vi istius morbi potentius. Vid. v. 418.

467. Pro *dimissa* forte *divina* Burm. — *Si facultas* vel opportunitas medendi *dimissa*, neglecta est, ut *fallat*, irritam reddat, *opem* quam promiserat.

470. *Stringendæ*, leviter vulnerandæ, ut v. 364. — *Ligamina* musculos armorum dicit, quibus, velut ligaturis, membra connectuntur. Ita Barthius, recte.

472. *Hinc*, ex sanguine nempe corrupto. Ed.

474. *Fraces* sunt carnes residuæ olearum et fæces ex iis expressæ, ut exponit Gell. XI, 7.—*Subsiduæ*, quæ subsidunt, et ad imum feruntur. Has vino admisceri jubet Noster, ut Columella, lib. VI, c. 13. — *Defusa* vult Johns. et Burmann. *Defusaque* præferendum cum Johnsonio. Diffunditur vinum ex lacubus in cados et vasa, defunditur ex vasis ad usum.

475. *Tristes curas* mavult Vlit.

476. Malim *exigit* hac sententia; ut Liber curas e pectore exigit, ita

Quid dicam tussis, quid mœsti damna veterni,
Aut incurvatæ si qua est tutela podagræ?
Mille tenent pestes, curaque potentia major.
Mitte, age, non opibus tanta est fiducia nostris,
Mitte, anime, ex alto ducendum numen Olympo,
Supplicibusque vocanda sacris tutela Deorum.
Idcirco aeriis molimur compita lucis,
Spicatasque faces, sacrum, ad nemora alta, Dianæ,
Sistimus, et solito catuli velantur honore;
Ipsaque per flores medio in discrimine luci
Stravere arma, sacris et pace vacantia festa.
Tum cadus, et viridi fumantia liba feretro

et morbo medicinam affert. — *Curæ tenues*, quæ tenuiter mordent, vel quæ corpus attenuant, Ovid. Met. III, 496. *Dissipat Evius curàs edaces;* Hor. Carm. II, 11.

477. *Tussis*, proprie κυνάγχη, vel angina, canibus suibusque familiaris. Virg. Georg. III, 496. — *Veternus* perpetua somnolentia ignavos et mœstos reddens.

478. *Incuratæ*, A. et sic legit Tit. et Heins. — *Incurvata podagra*, quod curvos et *contractis nervis* reddit, ut exprimit Serenus, versu 779.

479. Virgil. Georg. III, 470: « Non tam creber.... Quam multæ pecudum pestes ».

481. *Animæ*, omn. edd.—Scribo «Mitte, age,...Mitte, anime, ex alto ducendum numen Olympo». Si tot mala et pestes urgent, quarum vis major nostra cura est, *mitte, age, o anime*, quisquis ejus mali caussa angeris, mitte, inquam, hanc curam, et noli de remediis adhibendis sollicite cogitare: neque enim tantæ sunt opes nostræ, nec tot remedia reperta, ut ab iis certam omnium morborum curationem sperare possimus; *numen* potius, et altius potentiusque auxilium de cælo petendum est. — *Numen* est potentia Deorum, qua efficiunt, quod volunt, tanquam nutu: auxilium divinum.

483. Vid. Excurs. septimum.

484. *Ad nemorale* Turnebus cit. quod probat Nic. Heins. et Johns. Burmannus sic: *Spicatasque faces: sacrum ad nem. alta Dianæ Sistimus.*

486. Ed. ant. *lucis*, et sic etiam Heins. legebat, ut intelligendum esset crepusculum.—*Medio in discr. luci*, in illis compitis, quæ moliti sunt in luco, *per* vel inter *flores*, quibus humum sparserunt, *stravere arma*, omne instrumentum venatorium ante Deam collocant, *sacris et pace vacantia festa*, quæ tempore illo celebrandi sacri et festæ feriationis *vacant*, otiantur, nec adhibenda sunt in feras. — *Pax* pro feriatione. Stat. Silv. IV, 4, 40: *et pacem piger annus habet.*

488. *Viridi feretro*, ferculo ex viridi fronde fabricato, ut corbe, fiscella, *fumantia* tosta vel cocta.

Præveniunt, teneraque extrudens cornua fronte
Hædus, et ad ramos etiamnum hærentia poma,
Lustralis de more sacri, quo tota juventus
Lustraturque Deæ, proque anno reddit honorem.
Ergo impetrato respondet multa favore
Ad partes, qua poscis opem, seu vincere silvas,
Seu tibi fatorum labes exire minasque
Cura prior; tua magna fides tutelaque, Virgo.
Restat equos finire notis, quos arma Dianæ
Admittant: non omne meas genus audet in artes.
Est vitium ex animo; sunt quos imbellia fallant
Corpora; præveniens quondam est incommoda virtus.
Consule, Penei qualis perfunditur amne
Thessalus, aut patriæ quem conspexere Mycenæ
Glaucum: nempe ingens, nempe ardua fundet in auras

— *Præveniunt*, præferuntur, præeunt. Igitur pompam ducere et circumire solebant, ut in lustratione agrorum. — *Extrudens cornua*, ut Horat. Carm. III, 13, *cui frons turgida cornibus*. — *Tota juventus*, venatores æque ac canes, ut versu 330.—*Pro anno*, h. e. pro felici hujus anni opera, et præda e venatu. Lustrationem hanc cum feriatione innuit Statius, Silv. III, 1, 58, « spicula tergit, Et tutas sinit esse feras ».

493. *Respondent* Vlitius rescribit. — *Respondet multa*, valde benigna et propitia est; *ad partes*, in eam partem rerum tuarum, qua opem ejus poscis. — *Vincere silvas*, i. e. feras, ut v. 330, *domare silvas*; seu tibi multam captarum ferarum prædam poscis, seu potius evadere imminentes canibus tuis morbos cupis. — *Exire* ut supra v. 414. — *Virgo*, Diana.

497. *Restat*, ut equos suis notis et characteribus definiamus, quos venationi maxime aptos putamus.— *Non omne genus* satis audax et forte est ad exsequendam operam venatoriam. — *Audet in artes*; ut Virgil. Æn. II, 347: *Quos ubi confertos audere in prælia vidi.* Ed.

499. *Ex animo*. Imbelli, vel fallente; quod ex sequentibus petendum est. Ed.

500. *Quondam*, pro aliquando. Serv. ad Æn. II. Ed.

501. Pro *consule* forte *non lege*, pro *non elige*, Burm. — *Consule* est cogita, vide, tecum perpende. Vide scil. equum Thessalicum aut Argivum: quam fortis et acer est! et tamen minus aptus venationi.

502. *Conspexere*, præ cæteris spectabilem et admirandum videre. Monstravit hujus usum verbi Gron. ad Liv. IV, 13, 3.—*Glauci* maxime probabantur. Virg. Georg. III, 81.

503. *Tollet in aur.* cit. Turnebus, et versu seq. *lustrabit*. — *Ingens*,

Crura : quis Eleas potior lustravit arenas?
Ne tamen hoc attingat opus; jactantior illi
Virtus, quam silvas, durumque lacessere Martem.
Nec sævos miratur equos terrena Syene.
Scilicet et Parthis inter sua mollia rura
Mansit honor; veniat Caudini saxa Taburni,
Garganumve trucem, aut Ligurinas desuper Alpes,
Ante opus excussis cadet unguibus; et tamen illi
Est animus, fingetque meas se jussus in artes.
Sed juxta vitium posuit Deus : at tibi contra
Callæcis lustratur equis scruposa Pyrene;
Non tamen Hispano Martem tentare minacem
Ausim. Murcibii vix ora tenacia ferro
Concedunt : at tota levi Nasamon*ia virga*
Fingit equos. Pisis Numidæ solvere *jugales*,

ut v. 68, elatus incedet, et crura altins tollet et explicabit. — *Quis* magis in curriculo Olympico laudatus est?

507. Burmannus præfert *miretur*. — Lego *miretur*. *Nec miretur* adeo terrena Syene equos suos, quamvis sævos, qui tantum in campestribus et planis locis, sicut et Parthi mollibus in pratis suis, valent. — *Terrena* est campestris, non scruposa. Liv. l. XXXIII, c. 17, « campus terrenus omnis, operique facilis ».

509. *Veniant* Johns. — *Veniat*, quamvis Parthis dixerit: ἀκαταλληλία Gratio non insolens. Ed. — *Taburnus* mons Campaniæ, aut potius Samnitum, ut Vibio et Vlitio placet, ubi et Caudium ac Caudinæ furculæ, Romanorum ignominia insignes. — *Garganus*, mons Calabriæ. — *Trucem* pro aspero et horrido. — *Ante opus*, antequam finem attingat venationis, *excussis*, extritis vel elisis inter silices ungulis, cadet.

513. *Deus*, natura. Horat. Carm. I, 18, 3, « Siccis omnia nam dura deus proposuit ». — *Tibi* communicationi servit, ut apud Calpurn. VII, 34 : *at contra* aio *tibi*, montes Pyrenæos equo Hispano sine offensa percurri.

514. Posset et legi *lustretur*, Burm. — *Callæcis*, Hispanis nempe e Gallæcia ; nunc *Gallegos*. Ed.

516. Forte an *Murcinii*, vel *Myrcinii*, Vlit. An *Marrubii?* Burm. — *Murcibii* nomen populi incognitum. — *Tenacia* sunt pertinacia et reluctantia, ut *equum contra sua vincla tenacem* dixit Ovid. Am. III, 4, 13.

517. *Aut tota*, Gr. P. B. Lacunam, quæ hic in codice erat, supplevit Vlitius.

518. *Fingit*, idem est quod flectit. — *Fingit* pro moderatur, etiam Horat. Epist. I, 2, v. 64. Ed. — *Solvere jugales* ineptum putat Burmannus. Ergo versum sic format : *Fingit equos Pisæ Numidæ solertia*

Audax et patiens operum genus : ille vigebit
Centum actus spatiis, atque eluctabitur iram.
Nec magni cultus; sterilis quodcumque remisit
Terra, fuit, tenuesque sitim producere rivi.
Sic et Strymonio facilis tutela Bisaltæ;
Possent Ætnæas utinam se ferre per arces,
Qui ludus Siculis: quid tum, si turpia colla,
Aut tenuis dorso curvatur spina? per illos
Cantatus Graiis Agragas, victæque fragosum
Nebroden liquere feræ. O quantus in armis
Ille meis, cujus dociles pecuaria fœtus

nudos. — *Pisa* urbs Elidis, ad quam ludi Olympici celebrati. Versus ipse explicari nequit, quia mutilus. — *Centum spatiis*, ὑπερβολικῶς, ut Virg. Georg. III, 18. — Unumquodque certamen septem spatiis constabat, et toto die non plura quam XXV decertari poterant. Hæc venia poetæ datur. Ed.—*Eluctabitur iram*, h. e. ardorem atque incitationem, quamvis magnam, perferet et superabit.

522. *Terra sui, tenuesque sitis producere rivi*, A. Gr. P. B. — Ferri potest vulgata lectio *terra sui*, hoc sensu: *Quodcumque sui* proventus, vel de se, sponte sua, *terra sterilis remisit*, temere et remisse edidit, supple, hoc ei sufficit. Sic Ovid. Met. I, 604, dicit, *nebulas humenti tellure remitti.* Tum *rivi tenues sitim producere* sunt haustus aquæ exiguus, qui sitim non exstinguere, sed producere tantum, vel differre, valeat.

524. *Possent atque meas utinam se ferre per artes*, conj. Vlit. *Ætnæas per arces* citavit Cluver. in Sicil. idque probant Johns. et Burm. — Quamvis hic per Ætnæas arces venari Siculos dicat, minus tamen frequens nec prospera per Ætnam venatio fuisse videtur; quod *Ætnæus venator* proverbio dictus est, cujus cassa et inutilis est venatio, quod proverbium e Plutarcho producit et explicat Cælius Rhodiginus, lib. XXVI, cap. 20. Ed. — *Possent utinam* Bisaltæ vel Thracii tam facile montes superare, quam equi Siculi. Conf. Oppian. Cyneg. I, 272. — *Ludus* de re facili vel ludicra.

526. *Tenuis dorso spina* in vitio habetur : nam alias, ut a Virgil. Georg. III, 87, *duplex per lumbos spina* laudatur in equis, Xenophonti et Polluci ὀσφὺς διπλῆ. — *Per illos*, vel propter ejus generis equos celebratus admodum Graiis est *Agragas*, mons et urbs Siciliæ, qui Maroni, Æn. III, 704, *magnanimum generator equorum* dicitur. In *Graiis* respicit maxime Pindarum.

528. *Nebrodes*, a νεβρὸς, hinnulus, mons Siciliæ, ob damarum copiam, quæ in eo reperiuntur, vocatus, de quo Strabo, lib. VI. — *Hebroden* St. Gr. — *O quantus*, quam exercitatus et celebris est *ille* Agragas vel Nebrodes *in armis meis*, h. e. venatu, ubi eximia sunt *pecuaria*, quæ *dociles* ad venatum

Sufficient! quis Chaonias contendere contra
Ausit, vix merita quas signat Achaia palma!
Spadices vix Pellæi valuere Cerauni,
Et tibi devotæ magnum pecuaria Cyrrhæ,
Phœbe, decus, nostras agere in sacraria tensas.
Venanti melius pugnat color: optima nigri
Crura illi, badiosque legunt *in pectore crines*,
Et quorum fessas imitantur terga favillas.
*O qua*ntum Italiæ, sic Dii voluere, parentes

fetus, pullos, *sufficient*, præbebunt. Vid. Virg. Georg. III, 65. — *Quis ausit*, vel audeat *contendere contra*, conferre cum eis equas *Chaonias* vel Epiroticas, *quas Achaia palma vix merita signat*, quibus Achaia in ludis suis palmas et victorias tribuit, quas vix meruerunt. Perperam editores *quis* acceperunt pro *quibus*. His verbis poeta videtur Siculis equis principatum in venando deferre.

532. *Spadices*, equi phœnicei coloris (de quo Gell. II, 26), *Pellæi Cerauni*, qui de Cerauno monte Macedonico, vel ex ipsa Macedonia, sunt, *et pecuaria*, quæ *magnum decus Cyrrhæ tibi*, *Phœbe*, *devotæ* sunt; h. e. equi Phocenses, *vix valuere nostras tensas agere in sacraria*, vix idonei sunt exercendæ venationi. — *Tensæ* sunt sacra vehicula. Ut *sacra* et *mysteria* sæpe pro arcanis interioribus artium ponuntur, ita et *sacraria* possunt, quemadmodum et *adyta*. Proprie Virgil. Georg. III, 533, dixit *ductos alta ad donaria currus*.

535. Ego hæc vix intelligo, nec, quomodo color pugnet venanti, capio. Forte, *Venanti niveus pugnat color*. Burm. — *Venanti m. p. c.* Obscura hæc, ut reliqua fere omnia, quia hiulca sunt. Interim sic intelligo: Qui *melius venatur* equus, huic plerumque deterior est *color*, qui quasi *pugnare* et contradicere ejus virtuti videtur. Vel: ab equi virtute venandi plerumque dissidet ejus color. Hinc nigros optimos declarat, sicut Virgil. Georg. III, 82 damnat albos.

536. *Crura illi*. Ita supplevit vulgatam Vlitius, ut aliquis sensus sit. Malim tamen: *optima nigris Crura pilis*, vel *optima nigri crura pili*. Laudantur enim Badii, qui etiamnunc dicuntur Gallis *bais* et Italis *baji*. Ed. — *Badii* dicuntur fusci vel spadices. Vid. not. 82, p. 439, tom. I, Virgil. edit. nostræ. Ed.

537. *Fessæ favillæ* sunt collapsæ et resolutæ in cineres. Igitur cinereum colorem describit. — Hæc et quæ sequuntur, literarum formis distincta supplevit Vlitius. Ed.

538. *Italicæ* Vlitius in comment. interpolavit. — *Italiæ parentes*, Italicæ matres. Equas videtur intelligere; quippe eodem encomio Italiam Maro ornat Georg. II, 145. — *Terras omni usu præcepimus* videtur esse prævertimus, superavimus: quidquid aliarum terrarum proprium est, id commercio, solertia, experientia, usu fecimus nostrum,

Præstant, et terras omni præcepimus usu;
Nostraque non segnis illustrat prata *juventus.*

Nonnulla erosa penitus legi non potuerunt in illo unico hujus et sequentis poematii exemplari Longobardicis literis scripto.

atque iis præripuimus, vel potius primi cepimus, uti explicat Brouckhusius in hoc Propertii IV, 2, 11. *Seu quia vertentis fructum præcepimus anni, Vertumni rursus creditur esse sacrum.* Ed. — Videtur hoc voluisse significare, importatis aliarum terrarum equis et equabus Italiæ submissis, nobilissima Italiæ pecuaria facta esse, atque inde occasione ab hoc genere sumpta tales Italiæ laudes adjunxisse, quales fere Plinius, lib. III, c. 5, s. 6, exponit: « Italia omnium terrarum alumna eadem et parens, numine Deum electa, quæ sparsa congregaret imperia, ritusque molliret, et tot populorum discordes ferasque linguas sermonis commercio contraheret ad colloquia, breviterque una cunctarum gentium in toto orbe patria fieret ». His ipsis laudibus finiisse poeta Cynegeticon, ut Plinius opus suum, videtur, et pauci adeo periisse versus. Neque igitur verba: *Nostraque quam pernix,* etc. quæ et Johnsonius edidit, quibus ultimum versum supplevit Vlitius, satis apta loco et sententiæ auctoris videntur.

EXCURSUS I

AD GRATIUM, v. 63.

........Illi aggeribus tentare superbis
Ire freta, et matres ausi tractare Deorum, etc.

EXEMPLO Semideum, h. e. Gigantum et heroum, docet, quantum referat in venatu, non solis viribus, sed dolo et consilio uti. Illi, inquit, suis viribus fisi, cælum et mare tentare, matresque adeo Deorum appetere ausi sunt, sed feras aggressi magno subinde damno suo experti sunt, quam vana vis esset sine arte ea, qua nunc ipse venatores instruo. Semideum et heroum ætas venationibus celebris est, et bene Burmannus huc traxit versum Rutilii, Itiner. I, 365:

Sæcula Semideum, ferrati nescia Martis,
Ferro crudeles sustinuere feras.

Varie autem loci hujus, qui in nullo veterum exemplarium integer et sanus exstat, emendationem tentarunt docti viri. Mihi optima, immo necessaria, videtur illa, quam Johnsonius amplexus est, qua *cælum* legatur pro *illi*, totus autem locus ita constituendus:

Nonne vides, veterum quos prodit fabula rerum,
Semidei, cælum aggeribus tentare superbis,
Ire freta, et matres ausi tractare Deorum,
Quam magna mercede meo sine munere silvas
Impulerint.

Ut necessariam hanc, certe contexto maxime congruentem emendationem agnoscamus, cogitandum est, argumentum a poeta pro necessitate artis venatoriæ ex eo duci, quod Semidei de tribus partibus universi, cælo, mari et terra, movere quidem et vincere, ubi sola vis sufficiebat, cælum

et mare potuerint; in tertia parte, h. e. in terra et silvis, ubi contra feras pugnandum erat, nihil valuerint sine arte. Oppositio hæc partium et regionum, in eaque sita vis argumenti, statim docet, pro vitioso *illi aggeribus* nihil aliud posse vel debere substitui quam *cælum aggeribus:* etenim *aggeribus superbis* quid aliud Semidei *tentasse* dicantur, quam cælum? quod illi montibus congestis, tanquam aggeribus munitis, oppugnasse narrantur. Severus in Ætna, v. 48 : *Construitur magnis ad prælia montibus agger.* Nec aliter auctor Herculis OEtæi, chor. 1 : *Qui vastus Briareus, qui tumidus Gyges Supra Thessalicos constitit aggeres.* Plura notavit ad h. l. Vlitius. Verbum *tentare* fere semper de cælo usurpant. Ovidius, Art. II, 37 : *Restat iter cæli, cælum tentabimus ire.* Horatius non semel: Carm. I, 28, 5, *Aerias tentasse domos;* Carm. III, 2, 22, *Cælum, negata tentat iter via;* Epist. I, 17, 34, *Attingit solium Jovis, et cælestia tentat.* Nemesianus etiam v. 35, *Phaetonta male tentantem ardua mundi* appellat. Alios Gratius dicit ausos esse *ire freta:* quæ locutio bene latina est, et ad scripturam veterum librorum proxime accedit. Sic plane Ovidius, Her. VII, 39 :

> Aut mare, quale vides agitari nunc quoque ventis,
> Quod tamen adversis fluctibus ire paras.

Plura exempla ad hunc locum Heinsius dat, quibus adjungo Statium, Silv. I, 1, 83 : *Tentasses, me non audente, profundos Ire lacus.* Similiter Cicero de Fin. II, 34 : *Quum Xerxes Hellesponto juncto, Athoque perfosso, maria ambulavisset, terram navigasset;* et apud Virgilium, *rate currimus æquor.* Vlitius iis Gratii verbis respici putat Argonautas, et, quæ principio Valer. Flaccus dicit, *prima Deum magnis freta pervia nautis.* Atque ex his Idmon, Apollinis filius, in Mariandynis apud Lycum regem, quum in venatum exisset, ab apro percussus interiit, ut Hyginus, fab. 14 et 18, et Ovid. in Ibi, v. 506, refert. Sed mihi Gratius eos maxime innuere videtur, qui simul matres Deorum tractare ausi sunt. In his præcipue est Orion, quem Apollodorus, lib. I, p. 10, et Scholiastes Arati ad Phænom. v. 323, ex Hesiodo

refert, vasta corporis magnitudine præditum, dono Neptuni patris, potuisse pedibus ire per mare. Unde Virgilius, Æn. X, 763:

> ....Quam magnus Orion,
> Quum pedes incedit medii per maxima Nerei
> Stagna, viam scindens, humero supereminet undas.

Atque hic inter prisci ævi venatores celebris, quum Dianam violare ausus esset, inter venandum a scorpione ab illa immisso, vel, ut alii volunt, sagittis ejus interemptus est. Unde Horatio, Carm. III, 4, 71, dicitur *integræ tentator Orion Dianæ* (1). E gigantibus etiam Tityus, Terræ filius, dicitur Latonam de stupro appellasse; ob quod facinus ab Apolline sagittis interfectus est, teste Apollodoro, lib. I, p. 10. De Ixione, idem in Junone auso, et propterea in rota constricto apud Inferos, Tibullus, lib. I, 3, 73:

> Illic Junonem tentare Ixionis ausi
> Versantur celeri noxia membra rota.

Flagitium in Deas commissum, quod alii verbo *tentare* designant, Noster per *tractare* exprimit, idque de ludificatione et tactu impudico intelligendum, quo sensu est apud Plaut. Mil. II, 6, 30 (2), ut *contrectare* apud Sueton. Domit. 1. *Matres Deorum* poetico more dicuntur pro Deabus, ut *matres, nurus*, alias poni pro quibusque feminis solent (3).

(1) Tradit quoque Aratus in Phænomenis, interprete Cicerone, v. 675, *Orion manibus violasse Dianam*. Ed.

(2) *Tum quod tractavisti hospitam.....ante ædes meas;* et idem, eadem scena, *Tractant et ludificant ingenuam et liberam*. Ed.

(3) *Cælestum matres* vocat Ovid. Fast. lib. IV, 423. Hic apponamus denique locum Apollodori, qui sententiam Gratii apprime declarat, atque docet eos, qui matres ausi tractare Deorum sunt, pœnas audaciæ suæ ex imperitia venandi in ipso venatu subiisse. Sic enim ille Bibliothecæ lib. I, c. 7, s. 4, de Aloidis loquens, postquam dixerat eos montibus exaggeratis cælum conscendere ausos esse: Ἐμνῶντο δὲ, Ἐφιάλτης μὲν Ἥραν· Ὦτος δὲ Ἄρτεμιν...Ἀνεῖλε δὲ τοὺς Ἀλωείδας ἐν Νάξῳ Ἄρτεμις δι' ἀπάτης· ἀλλάξασα γὰρ τὴν ἰδέαν εἰς ἔλαφον, διὰ μέσου ἐπήδησεν· οἱ δὲ βουλόμενοι εὐστοχῆσαι τὸ θηρίον, ἐφ' ἑαυτοὺς ἠκόντισαν. Ed.

EXCURSUS II

AD GRATIUM, v. 103.

Dercylon: haud illo quisquam se justior egit, etc.

Mirum est, Dercylon illum Arcada a nemine alio Cynegeticorum scriptore memorari, quum Xenophon quidem longum ordinem primorum vetustiorumque venatorum recenseat, Oppianus autem, Cyneg. II, 24, retium et laqueorum inventorem, quem hic Dercylon esse dicit Gratius, diserte nominet Hippolytum. Burmannus quidem suspicatur Dercyliden Laconem indicari, multis egregie factis in bello Peloponnesiaco clarum. Quem quia Xenophon dicit ἄνδρα μάλα μηχανικὸν, Athenæus vero πανοῦργον καὶ θηριώδη, putat hæc Burmannus optime convenire in virum artis venatoriæ peritissimum. Ego vero hæc parum sufficere arbitror ad designandum retium inventorem, quem Gratius non Dercyliden, sed Dercylon nominat, a quo fortasse orti Dercylidæ. Et quæ hic de Dercyli justitia et pietate in Deos dicuntur, vix cadere videntur in hominem πανοῦργον et θηριώδη. Quæ Gratius de eo prædicat, virum aliquem ex heroicis temporibus, et bello Peloponnesiaco vetustiorem indicare videntur. Et retium pedicarumque usum, cujus inventor Dercylus dicitur, diu ante hæe tempora fuisse cognitum, certo certius constat. Si auctorem instrumenti venatici liceret ex ætate, qua Dercylides floruit, sumere, forte majore jure Dercylus historicus posset intelligi, qui, si Dercylum excipias, quem Æschines, Orat. de fals. leg. in legatis ad Philippum de pace nominat, fere unus ex veteri memoria nomen a Gratio proditum gerit; cujus quidem ætas, per se incerta, nihil impediet, quominus æqualis Thucydidi aut Xenophonti credatur. Scripta autem ejus, a Plutarcho, Athe-

næo, Clemente Alex. et aliis laudata, ut Satyrica, libri de lapidibus, res Ætolicæ, libri de montibus, et alia, quæ recenset Vossius de Hist. Græc. lib. III, p. 354, sunt sane ejusmodi, ut scriptorem varia præditum scientia facile probent etiam rei venaticæ studiosum fuisse, eamque fortasse libro aliquo explicasse. Et Gratii verba ita possunt accipi, ut Dercylum non primum inventorem retium, sed auctorem, qui usum eorum, immo omnem artem et dolum venationis, primus scripto docuerit, indicent. Fortasse memoratus liber Dercyli de rebus Ætolicis ille ipse est, quo artem illam apparatumque venandi exposuit : nam ex Ætolia maxime ortum esse usum retium et laqueorum, persuadere possit *Ætolarum plagarum* appellatio, qua Horatius utitur Epist. I, 18, 46 : neque ad ejus rationem declarandam sufficere videntur, qui ab interpretibus huc advocari solent, Meleager et aper Calydonius, cujus in venatione parum artis et industriæ, neque adeo plagarum usum repertum esse, quum mythographorum de ea narratio, tum ipse Gratius supra v. 67 exemplo Ancæi docet (1). Sed quando aliis Ætoliæ rebus merito accensenda est retium et reliquæ artis venatoriæ inventio, quis plane neget in hac exponenda etiam versatum esse Dercylum de rebus Ætolicis scribentem, atque hunc adeo Dercylum esse a Gratio laudatum? Verum,

(1) Sed quæ nunc de plagis Ætolis et de artis venatoriæ inventione rebus Ætolicis accensenda refero, haud parum confirmari videntur insigni illa Ætolorum, quæ a Veteribus laudatur, jaculandi peritia, et jaculi, quod Ætolicum vocabatur, celeritate. Ostendit hoc ex allegatis Homeri et Euripidis locis Ez. Spanhemius, in epist. ad L. Begerum, quam hic suis Observationibus in numismata quædam antiqua adjunxit, Colon. Brand. 1691. Dercylo Gratius hoc etiam meritum assignat v. 108, quod primus venabula valido dente, et moris, sive furcis instruxerit. Quum hoc inventum hastilis venatorii apprime conveniat reliquo Ætolorum studio jaculandi venandique, Dercylus haud dubie, si res Ætolicas scripsit, referre inter eas jaculorum Ætolicorum formam et usum debuit, atque in his occasionem habuit de venabulo apud eos invento et ad feras excipiendas instructo loquendi. Quamobrem parum a vero abludere videtur, Dercylum, qui de rebus Ætolicis scripsit, eum ipsum esse a Gratio laudatum. Ed.

uti jam dixi, pleraque alia, quæ Gratius de Dercylo prædicat, ita sunt comparata, ut cogant eum mythicis et antiquioribus temporibus accensere. Ubi sane perquam mirum est, neminem ejus nominis inter primos artium inventores reperiri; et fere eo inclinat animus, ut illud cognomentum vetusti alicujus venatoris existimemus, aliis scriptoribus minus usurpatum. Dercylus enim fortasse a δέρκεσθαι et ὕλη dictus est veterum heroum aliquis venationi deditus, quasi lustrans silvas et tesqua ferarum. Aristæum, Apollinis et Cyrenes filium, ob pecoris pascendi venandique curam, Nomium et Agreum appellatum esse, memorant Pindarus, Pyth. IX; Apollonius, Argon. II, 500, et Diod. Siculus, IV, 83. Quid, si hic etiam Dercyli nomen gesserit? Non spernenda omnino conjectura est Casp. Barthii, voluisse Gratium hoc loco Aristæum ignotiore nomine indicare. Vix credibile est, tanta laude celebratum et Diis æquatum virum non nominari inter Veteres, nisi nomen ejus sub alio notiore lateat. Et quæ Gratius de Dercylo prædicat, fere omnia conveniunt Aristæo. *Arcadium magistrum* et *memoranda* ejus *inventa* laudat Virgilius, Georg. IV, 283, qui eodem quo Gratius modo, meritum ejus celebraturus, v. 315 exclamat:

> Quis Deus hanc, Musæ, quis nobis extudit artem?
> Unde nova ingressus hominum experientia cepit?
> Pastor Aristæus, etc.

Cultor nemorum pro Aristæo dicitur Georg. I, 14, quod elogium ipsum nomen Dercyli est. Justitia, pietas et divina mens, quam Dercylo adscribit Noster, non dubium est, quin conveniat Aristæo, quem ob multa merita generi humano præstita in numerum Deorum receptum ferunt. Venationis autem eam partem, quæ retibus ponendis et dolis feras capit, diserte Aristæo inventam tribuit Nonnus Dionys. lib. V, p. 154:

> Καὶ δολίης δεδάηκε πολύπλοκα δίκτυα τέχνης,
> Καὶ σταλίκων τύπον ὀρθόν (1).

(1) Disertius adhuc testimonium est Plutarchi in Erotico, p. 35, t. IX Operum edit. Lips. qui refert Aristæum primum pedicas feris posuisse,

EXCURSUS III

AD GRATIUM, v. 215.

Hagnon Astylides, etc.

Hagnon ille Astylides æque obscurus et ignotus aliis est, ac Dercylus supra memoratus. Oppianus sane alium, qui canibus ad venandum primus usus sit, nominat Pollucem, Cyneg. lib. II, 18. Hagnii, Hagniæ, Hagnodori in scriptoribus Græcis occurrunt, non Hagnones, et propterea hunc Gratii Vlitius suspicatur fuisse Tiphyos patrem, quem Hagnium nominat Apollodorus, lib. I, p. 42, sicut ipsum Tiphyn Bœotium facit Hyginus, fab. 14. Mihi fere idem de nomine Hagnonis statuendum videtur, quod supra de illo Dercyli opinabar, appellativum magis, quam proprium fuisse, quo ipsum inventum viri, quisquis ille fuerit, significare voluerint. Hesychius indicat ἀγνεῖν Cretes dicere pro ἄγειν. Ὁ ἀγνῶν igitur idem fuerit qui κυνηγὸς, et ipsum illud, quod Gratius de eo prædicat, nomen ejus interpretari videtur : nam eum primum fuisse dicit, qui canem in silvis ageret venandi caussa. Aspiratio a quibusdam apponi ei nomini solebat, ut fiebat in aliis, e. c. Hammon, Hanno. Idem ergo nomen fuisse puto Agnonum, qui plurimi memorantur inter Græcos. Agnon, Niciæ filius, dux copiarum bello Peloponnesiaco, passim a Thucydide memoratur, obiterque a` Plutarcho in Pericle, p. 655, edit. Reisk. Alius, Teius, Alexandri M. præfectus, aureis clavis crepidas suffigebat, ut scribit Plinius, lib. XXXIII, c. 3, 14, et Ælianus, V. H. IX, 3. Agnonem quemdam scriptorem citat Plu-

ideoque ei vota facere solere, qui lupis aut ursis, foveis actis aut laqueis positis, insidiantur : Εὔχονται δ' Ἀρισταίῳ δολεύοντες ὀρύγμασι καὶ βρόχοις λύκους καὶ ἄρκτους, ὃς πρῶτος θήρεσσιν ἔπηξε ποδάγρας. Ed.

tarchus, de solert. animal. f. 908; alium, rhetorem, qui Rhetorices accusationem scripsit, Quintilianus, lib. II, c. 17. Alius denique Agnon est, de quo Isæus, Oratione super Nicostrati hæreditate, agit. Recentiores hi omnes videntur principe illo κυνηγεσίας Hagnone, neque dubitandum puto, ab hoc antiquiore, qui primus id nomen a venatu acceperat, id propagatum deinde ad alios, quasi proprium, fuisse, sicut a Dercylo, antiquo silvarum lustratore, alii multi deinceps Dercylidæ nominati. *Astylidæ* quidem cognomen additum Astyli filium indicat, sed et Astyli diversorum temporum memorantur, quandoquidem Astylus augur inter Centauros est, apud Ovid. Metam. XII, 308; alius athleta Crotone ortus, qui tribus Olympicis vicit, apud Pausan. in Eliac. c. 13; alius denique Philippi et Alexandri ætate imperator Arcadum, apud Dinarchum, Orat. contra Demosth. p. 15, edit. Reisk. Reliquum hoc est, ut statuamus, fuisse Hagnonem Gratii ex obscura et mythica ætate, qui pro ruditate antiquorum temporum ex levi artis invento sibi et cani suo Glympico, quocum venari erat solitus, nomen et famam quæsierit. Ipsum canis nomen curiose servatum satis illam vetustam ætatem indicat, e qua Orthrus Geryonis, Mæra Icarii, Lælaps Cephali, Argus Ulyssis dignus memoria est habitus, de quibus aliisque pluribus agit Pollux, lib. V, c. 5, 39 seqq. Postquam hæc scripseram, incidit versus Propertii, lib. II, Eleg. 8, v. 21, unde suspicabar, si forte legendum in Gratio sit *Bœotius Hæmon.* Sed huic Hæmoni, Creontis Thebani filio, an conveniant, quæ Gratius de Hagnone memorat, de eo videndum amplius.

EXCURSUS IV

AD GRATIUM, v. 311.

Tollit se ratio, et vitiis adeuntibus obstat.
Hæc illa est, Pharios quæ fregit noxia reges, etc.

Fluctuant admodum interpretes in lectione hujus versus constituenda, quum pro *adeuntibus* alius *abeuntibus*, alius *subeuntibus*, alius *obstat*, alius *abstat* velit: sed vix quidquam definiri potest, nisi prioris hemistichii sensus declaratus sit. *Tollit se ratio* notare potest, effert, tollit se et objicit contra istam luxuriem sana ratio, eamque abominatur et refutat, ut alias *stat contra* dicitur. Pers. Sat. V, 96, *Stat ratio contra;* et Martial. I, 54, 12, *Stat contra dicitque tibi tua pagina, fur es.* Hoc sensu quin verba totius versus retineri possint, uti jacent, non est dubium. Sed hac ratione non satis cohæret cum præcedente, cui magis declarando hic positus videtur: vult enim ostendere poeta, nimia indulgentia gulæ et luxuria, peste illa humani generis; quum sensus humani debilitentur, ipsum usum sanæ rationis exstingui, atque hinc omnium generum vitiis viam aperiri; quod deinde præcipuarum gentium exemplis approbat. Quod quum ita sit, *tollit se ratio* vix aliud potest significare, quam *tollitur, aufert se*, expugnatur et expellitur. Tum vero patet, cum Johnsonio legendum esse: *vitiis adeuntibus abstat*, i. e. absistit, aufugit, quod locum dare vitiis cogitur. Hoc verbo rursus usus est Noster, v. 353: *licet alti vulneris oræ Abstiterint*, ubi præteritum more Gratii positum pro præsenti *abstent*. Cæterum pulcherrima æque ac amœnissima digressio poetæ est, qua luxuriem regnis et populis perniciosam, et contra frugalitatem salutarem, lectis ex historia exemplis demonstrat. Approbat sane ea re ingenium et artificium optimorum poetarum non extremum, quo tenorem argumenti

varietate aliqua distinguere, rebus jejunis abstergere tædium, et exilibus addere honorem et ornatum student. Jam aliquoties hoc tentatum a Gratio vidimus, ut quum ignorantiam artis et armorum tractandorum inscitiam in venatu plurimis antiquitatis ultimæ heroibus exitio fuisse ostenderet, v. 62 seqq. quum præclara in arte venandi inventa Dercyli et Hagnonis laudaret, v. 95, et v. 213 seq. quum denique cursum vestigantis canis cum quadriga Thessalica in curriculo Isthmico compararet, v. 227, ut alia nunc ejusdem amœnitatis exempla taceam. Nulla vero totius carminis luculentior, nec magis apta et tempestiva mihi visa est hac de regnis luxuria pereuntibus digressione. Ipse expertus dico, quum hactenus feturam et educationem canum longa oratione expositam legens quodam fastidio affici, et cum humilitate argumenti ipse deprimi animo viderer, hac excursione me quodammodo recreatum esse. Sed possit aliquis in magno Gratii vitio ponere, quod ab ignobili adeo humilique materia, qualis est illa nutriendorum et educandorum canum, ad regum solia et regnorum populorumque conversiones transierit. Possit, inquam, eum admissi parenthyrsi in oratione accusare, quo rebus exilibus et abjectis intempestiva rerum sublimium comparatione dignitatem quæsierit ultra modum, et simile ejus factum illi inepti caussidici existimare, quem Martialis, lib. VI, 19, ridicule narrat, quum de tribus capellis furto ablatis dicendum esset, orationem ad *Cannas Mithridaticumque bellum, et perjuria Punici furoris, et Syllas Mariosque Mutiosque* transtulisse. Quid enim contemptius haberi potest illis cibariis, quæ canibus alendis, quantumvis copiose, præbentur? quid contra lautius et splendidius regum et imperatorum cœnis? Quam ineptum igitur hoc lectori videatur, quod se a maza illa facili, quam cani præbere jubet poeta, mox ad regum mensas, ad vina Mareotica, ad divitias Lydiæ, et auriferos fluvios translatum videat. Sed non una ratio est, qua poeta judici non iniquo nec imperito excusetur. Primo enim, quæ contempta haberi ab aliis poterat nutricatio canum, a qua digressio fit, poetæ tamen videri non debuit, qui de vena-

tione universe, cujus vel præcipuum munus est bonos canes alere, scribendum susceperat. Et si poetarum vel mos est vel officium, ut de re, quam carmine tractare instituerunt, licet forte exili, amplissimas quasque cogitationes concipiant, studiumque ejus bene tractandæ quocumque modo inflamment, ut eam rite exponere et exornare possint; sane nec Gratio potest vitio verti, si arte venandi proposita de canibus eorumque nutritione speciosius sentire et loqui voluit. Et quidem hoc loco, ubi digressione utitur poeta, non ipsos canes eorumque pulmenta cum regum cœnis et divitiis comparat; sed communis locus est, in quem excurrit, de luxuria vel gulæ intemperantia, animalibus æque ac hominibus exitiosa, frugalitate vero utili. Quam quum commendare maxime vellet etiam in canibus alendis, non indecens nec ineptum ad rem augendam erat, ad ornandam vero inprimis venustum, exemplis hominum vel luxuria pereuntium, vel crescentium parcimonia maxime illustribus uti. Nunquam hoc illicitum et indecens bonis poetis visum est, quo luculentius docerent, parva magnis componere, atque hoc ipsum spectasse Gratium, magnarum rerum imagine proposita, ipse postea profitetur, v. 326:

> Scilicet exiguis magna sub imagine rebus
> Prospicies, quæ sit ratio, et quo fine regenda.

Saltem in hoc genere Gratius summos poetas, quos imitaretur, auctores habuit, qui minutis exilibusque rebus ut majorem gratiam et honorem concilient, non verentur eas cum maximis excellentissimisque conferre. Horatius, Art. poet. v. 63, postquam monuit sermonem usu et ætate multum immutari, et alia vocabula interire, alia amissa revocari, declarat hanc mutabilitatem maximarum rerum interitu et immutatione, quando vel mare terræ immissum immanibus aggeribus occlusum est, vel paludes ingentes in agros versæ, vel fluvii cursus mutatus est:

> Debemur morti nos nostraque; sive receptus
> Terra Neptunus classes aquilonibus arcet, etc.

Quo loco parenthyrsum offendere putavit Blondellus,

comparat. Pindari et Hor. pag. 353. Pulchrius exemplum suppeditavit Virgilius, cujus liber IV Georgicorum quantam venustatem habet, quod apum velut quamdam rempublicam descripsit! Idem quum inventorem apum et mellificii ostensurus in Aristæi fabulam excurrit, pulcherrimæ digressionis exemplum præbuit Gratio, ut eadem ratione Dercyli et Hagnonis merita celebraret. Maxime vero hic observandus est locus Georg. III, 526, ubi Maro, deploratis boum morbis, simplicem eorum victum cum hominum luxuria confert:

...........atqui non Massica Bacchi
Munera, non illis epulæ nocuere repostæ:
Frondibus et victu pascuntur simplicis herbæ.

Quem locum sine dubio ante oculos habuit Gratius, eumque exprimere voluit. Quin simili digressione pari in argumento subinde usus est Oppianus, eo præsertim loco, ubi descripta piscis, quem νυκτερίδα, vespertilionem, vocat, immani voracitate, convertitur ad genus humanum, eique gulæ intemperantiam exprobrat, commendat frugalitatem, Halieut. lib. II, 217:

Κλῦτε γοναὶ μερόπων, οἷον τέλος ἀφραδίῃσι
Δαιμάργοις, ὅσον ἄλγος ἀδηφαγίῃσιν ὀπηδεῖ. κ. τ. λ.

EXCURSUS V

AD GRATIUM, v. 402.

................Collaribus ergo
Sunt qui lucifugæ cristas inducere melis
Jussere.

Collaribus, id est cingulo circa collum canis, ex corio firmo, ut describit Varro de R. R. lib. II, c. 9, de villaticis agens : *Ne vulnerentur a bestiis, imponuntur his collaria, quæ vocantur millum, i. e. cingulum circa collum ex corio firmo cum clavulis capitatis; quæ intra capita insuitur pellis mollis, ne noceat collo duritia ferri.* Huic usui igitur pellem melinam, e qua et galeas sibi conficiebant venatores (vid. v. 340), præcipue adhibitam, probabile est : nam et apud Varronem in vulgatis legitur : *collaria, quæ vocantur mælium.* Hic vero apud Gratium an *cristæ melis* notare possint ejus pellem, ut statuere Vlitius videtur (quanquam nullus interpretum id vocabuli satis explicare audet), merito dubito. Ob difficilem explicatum ejus vocis Burmannus tentat, an legi possit *costas* pro exuviis; Scaliger autem *crustas* maluit. Sed et istud vocabulum vix aliquo loco pro pelle positum reperiatur, et *crustæ vestes* quæ Cod. Theod. lib. XV, tit. 7, l. 11, occurrunt, quasque Gothofredus exponit variegatas vel purpura mixtas, huc applicari non possunt. Accedit, quod Gratius non nude præcipit, collaria ex pelle melis conficienda, sed his aliquid inducendum, addendum, vel includendum, quod valeat ad amoliendos morbos. Itaque sic statuo, *cristam* gallinacei significari, cui vis magica tribuatur, et verba *lucifugæ melis* referenda ad τὸ *collaribus*, ut his tantum collaria ex pelle melis confecta describantur. Ab gallis multa remedia morborum petiit vetus superstitio. Exta gallorum et fibras, ut opimas victimas,

Diis acceptissimas esse tradit Plinius, lib. X, c. 21. Æsculapio gallum solvebant, qui convaluissent, et pro avertendis morbis cristam galli Laribus oblatam esse clare testatur Juvenalis, Sat. XIII, 232:

> ....pecudem spondere sacello
> Balantem, et Laribus cristam promittere galli
> Non audent.

Cristam galli contritam efficaciter imponi cani, morso ab alio rabioso, scribit Plinius, lib. XXIX, c. 5, s. 32. Jam quod valere ad morbos avertendos, inprimisque mederi credebatur morsui venenato, id facile credas, collari insertum, pro phylacterio ejusdem habitum. *Cristas* autem nude dicit, quamvis gallinacei intelligat, quia hujus avis præcipue dicuntur cristæ, unde cristatæ aves galli Martiali, lib. XIV, 223. Vix crediderim alia ratione melius expediri Gratii locum posse. De *mele* dictum est ad vers. 340. *Lucifuga* dicitur, quod hoc animal noctu maxime grassatur. *Inducere* valet insuere, vel includere. Et sic corrigere volebat ipse Vlitius.

EXCURSUS VI

AD GRATIUM, v. 430-34.

Est in Trinacria specus ingens rupe, etc.

Dicit in Ætna monte, quæ est Trinacria rupes, esse specum ingentem, multa ambage et flexibus introrsum versis, quam vallum quoddam montium, instar mœnium, cingat, et cujus e faucibus, alias flammam ejicientibus, amnes aquæ erumpant. Hanc omnium consensu dici Vulcani domum (Gratius *Vulcani condicta domus*), sive ædem ibi positam,

sive ipsam Ætnæ specum intelligas, quam subter, si quis ire audeat, apparere illi loco depresso lacum vel stagnum venis olei vivi madens. Rem mirabilem nemo ita, ut Gratius, descripsit. Solus, qui cum eo conveniat, est locus Æliani, de Animal. lib. XI, cap. 3 : Ἐν Αἴτνῃ δὲ ἄρα τῇ Σικελικῇ Ἡφαίστου τιμᾶται νεὼς, καὶ ἔστι περίβολα, καὶ δένδρα ἱερὰ, καὶ πῦρ ἄσβεστόν τε καὶ ἀκοίμητον. Cæteri scriptores haud pauci, quos Vlitius ad hunc locum nominavit, mentionem injiciunt lacus sive fontis bituminosi, Asphaltitæ similis, cui injecta supernatant, sed in regione Agragantina, ab Ætna haud paullum remota, collocant. Ex his Aristotelis locum, de mirab. auscult. ad fin. obscurum Gratii versum 432 illustrare jussimus, quo memoratur, juxta hunc fontem olei esse aliquam petram, sponte natam, e qua æstivis caloribus flamma exsiliat, hieme autem aquæ frigidissimæ vorago effundatur. De eodem miraculo sermonem esse Gratio et cæteris, vix dubium est, sed varietates, quibus illi dissident inter se, nunc conferre et conciliare non licet.

EXCURSUS VII

AD GRATIUM, v. 483, SEQ.

Idcirco aeriis molimur compita lucis.

In compitis sacra annua Præstitibus Laribus fiebant a rusticis, pro felici anni proventu, quæ describuntur ab Ovid. Fast. V, 130 seqq.; ludi item Baccho celebrati, de quibus Calpurn. Ecl. IV, 126. Similiter venatores talia sacra instituerunt Dianæ in lucis, ubi feriatos dies a venatione agebant, sacrificiis lustrabant omne instrumentum venatorium, coronabant canes, et pro annuo venationis proventu reddebant honores. Hæc sacra Dianæ describit hoc loco Gra-

tius ad versum usque 492 : neque enim decebat rei venaticæ scriptorem hoc peculiare venatorum sacrum relinquere indictum. Præter hunc mentionem ejus fecit Statius, Silv. III, 1, 55 seq. et conf. Turnebus, Advers. VII, 26. Fiebant autem vel incipiebant hæc sacra Idibus Augusti, quas propterea Statius l. c. *Hecateias Idus* vocat, et Martial. XII, 68: *Augustis redit Idibus Diana.* Conferendus etiam hic Festi locus: *Servorum dies festus vulgo existimatur Idibus Augusti, quod eo die Servius Tullius, natus serva, ædem Dianæ dedicaverit in Aventino; cujus tutelæ sunt cervi, a quorum celeritate fugitivos vocent cervos.* Locus sacrorum erant compita in lucis, præcipue in nemore Aricino, Dianæ sacro. Ergo *compita*, ait Gratius, *molimur* in *lucis aeriis* vel altis, h. e. excisis arboribus diversa interstitia et vias, ad unum locum, quo compitum fit, coeuntes efficimus. Hoc deinde vocat *medii discrimen luci*, v. 486. Ad ritus ejus sacri præcipuos, hoc loco memoratos, pertinent *faces* in lucum Dianæ delatæ. *Spicatæ* sunt incisæ ad spici formam, ut explicat Servius ad illa Georg. I, 292, *ferroque faces inspicat acuto. Sistimus ad nemora alta*, h. e. currendo perferimus et statuimus : sic enim vota solvebant Dianæ, ut facibus delatis ardentibus lucum illustrarent. Docet Propertius, II, 32, 10:

> Quum videt accensis devotam currere tædis
> In nemus, et Triviæ lumina ferre Deæ.

Idem probat Ovidius, Fast. III, 270. Hinc *faces* a Nostro dicuntur *sacrum Dianæ*, quod iis deferendis Dianæ cultus constabat. Diffiteri tamen non possum, mihi hoc ad *spicatas faces* appositum *sacrum* valde alienum et a vitiosa lectione ortum videri, et, quod Turnebus l. c. nullam factæ emendationis mentionem injiciens, tanquam ipse in suo codice sic legerit, citat, *sacrum ad nemorale Dianæ*, tam congruum verborum contextui, tam etiam respondens vulgatæ lectionis literis est, ut, si ipse in uno veterum exemplarium legissem, illico putassem in textum recipiendum. Nam ut Gratius hoc loco de sacro Dianæ in nemore Aricino celebrato agit, et, quæ huc pertinent, omnia nemorensia vel

nemoralia ab antiquis vocari solent, ut Diana, Aricia, nemorensis, rex vel sacerdos nemorensis, ita ad sacrum ipsum proprio nomine designandum, vix dubitare possum, Gratium hoc loco scripsisse *sacrum ad nemorale*, sicut *templum nemorale Dianæ* vocat Ovidius, Art. Am. lib. I, 259. Porro hoc in sacro *catuli solito velantur honore*, h. e. ornantur floribus vel vittis, quasi emeriti et officio bene functi. Sic enim Statius l. c.

....................Ipsa coronat
Emeritos Diana canes, et spicula tergit,
Et tutas sinit esse feras.

Scilicet et boves coronatos diebus feriatis esse, indicat Tibullus, lib. II, 1, 8. Et in Vestæ sacro asinos coronatos, qui molas egerant, Propertius significat, lib. IV, 1, 21, et Naso, Fast. VI, 311. Cæteros ritus ejus sacri nemoralis in annotatione reliqua ad poetam persequemur.

M. AURELII OLYMPII
NEMESIANI
POETÆ CARTHAGINIENSIS
CYNEGETICON
SIVE DE VENATIONE LIB. I

ACCEDUNT

NEMESIANI FRAGMENTA DUO

ITEM

SELECTA QUÆDAM MARTIALIS, AUSONII, PAULINI, ET ALIORUM CARMINA

DE AUCUPIO

DE NEMESIANO

ELOGIA AUCTORUM AC JUDICIA.

I. Fl. Vopiscus, in Numeriano.

Versu autem talis fuisse prædicatur, ut omnes poetas sui temporis vicerit : nam et cum Olympio Nemesiano contendit, qui ἁλιευτικὰ, κυνηγετικὰ, et ναυτικὰ scripsit; quique omnibus coloniis (coronis *Casaub.*) illustratus emicuit (1).

II. Ausonius in Grat. act. pro Cons. cap. xxvii.

Mirabamur poetam, qui infrenos dixerat Numidas; et alterum qui ita collegerat, ut diceret, in equitando verbera et præcepta esse fugæ, et præcepta sistendi (2).

III. Hincmarus Remensis Archiepiscopus, qui vixit sub Carolo Calvo, in libro adversus Hincmarum Laudunensem.

Aliter respondere non potui, nisi ut venatores feræ lustra sequentes agere, auditu et lectione puer scholarius,

(1) Quæ male ad Nemesianum putat Vlitius referri. Ed.

(2) Poeta, quem hoc loco Ausonius meminit infrenos Numidas dixisse, est Virgilius, Æn. lib. IV, vers. 41, *Et Numidæ infreni cingunt et inhospita Syrtis.* Sed alter poeta, qui verbera fugæ pariter et sistendi præcepta dixerit, manifeste est Nemesianus, qui Cyneg. versu 268, de equo Mauro vel Numidico :

Verbera sunt præcepta fugæ, sunt verbera freni.

Cellarius ad verba *et alterum* fatetur : *hic ignoratur qui equos verberibus et incitari et retineri scripserat :* neque alii interpretes locum poetæ quem respexerit Ausonius, indicare potuerunt. Ed.

in libro, qui inscribitur Cynegeticon Carthaginiensis Aurelii, didici, hac illacque discurrendo, retrograda etiam vestigia repetendo, anfractus tuos vestigando, explicare studerem... *Et statim:* Quin potius tuam novam præsumptionem adiens,

.....Mille vias, hilaresque labores,
Discursusque citos, securi prælia ruris,

et sincero corde lites domesticas subire compellar.

IV. Lactantius Placidus ad Papin. Stat. Theb. lib. V, vers. 389.

Abjunctis, quidam hyphen legunt divisis. Sic in Olympio, *abjungere luna junices:* cui contrarium est *conjungere* (1).

V. Petrus Crinitus, de Poetis Latinis, cap. lxxxii.

Idem Nemesianus plura composuit : nam Cynegetica, Nautica, et Halieutica scripsit. Joannes Boccacius, vir, ut illa tempora tulerunt, haud omnino indoctus, citat Nemesiani poetæ versiculos, etc.

Versus isti Nemesiani, quos Crinitus a Boccacio citari ait, quinam et quo ex carmine essent, permagni referebat scire : sed eos, perlustratis, qui ad manus erant, Boccacii libris, hactenus quidem frustra quæsivi; unde suspicor, falsum fuisse Crinitum, et memoriæ errore lapsum.

VI. Gyraldus, de Poetarum historia, dial. IV.

Attulit annis superioribus ex Galliis Actius Sannazarus hujus Nemesiani Cynegeticorum fragmenta quædam, quæ

(1) Videntur hæc citari e Nemesiani quodam carmine deperdito : neque enim alius poeta Olympius ex antiquitate cognitus. Singulare et rarum in eo fragmento est, *lunæ junices* nominari, quum alii juvencas vel boves soleant, ut Ausonius, Epist. V, 1 : « Tertia fissipedes renovavit luna juvencas ». Ipsum hoc, quod lunæ boves tribuuntur, inventum sequioris ætatis poetarum est. Ovidius et alii antiquiores equos tribuunt. Alius Olympii poetæ locus citatur a Lact. ad Theb. II, 58, ubi dixerit, leonem, quem Hercules prostravit, e Luna ortum.

ille mihi, quum Neapoli essem, ostendit, in quibus fragmentis his versibus Nemesianus de Carino et Numeriano fratribus, Cari Imperatoris filiis, non invenuste meminit:

Mox vestros meliore lyra memorare triumphos
Accingar, divi fortissima pignora Cari.

VII. Borrichius, de Poetis Latinis, diss. ii, § 45.

Non inficiandi nominis scriptor (Nemesianus), Afer gente, sed Afrorum pæne omnium dictione purissimus.

VIII. Jo. Petr. Lotichius, Bibliothecæ Poet. P. II, p. 71, de Nemesiano.

Diva dedit Nemesis vati cui nomen, is ipse
Propensa Nemesi carmina blanda canit.
Carthago patriam, tellus dat Romula laudem,
Quum Nemesi numeros implet amica Charis.

M. AURELII OLYMPII
NEMESIANI
POETÆ CARTHAGINIENSIS
CYNEGETICON.

ARGUMENTUM.

Diversum a Gratio institutum Nemesiani in Cynegetico scribendo esse videtur, et diversa utriusque libri dos. Ille universam venandi artem cum omni ejus apparatu, singularum partium generibus, formis, modo et usu, accurate exacteque descriptis, sed breviter et concise, uno libro complexus est. Hic sibi majus ampliusque opus proposuisse videtur: nam libro eo, qui exstat, tantum de apparatu venatico, canibus et equis alendis, et reliqua venationis supellectile comparanda, idque fuse et copiose agit. Præterea instituit venandi rationem, quam Gratius summatim perstrinxit, per partes et genera ferarum exponere, quæque adeo singulis capiendis artes et viæ, qui doli et labores adhibendi sint, ostendere. Hoc statim significare principio carminis videtur:

> Venandi cano mille vias,

et a versu inde 50 sigillatim recenset feras, quarum capiendi rationem docere instituerit. Ipsam vero κυνηγησίαν, quæ primaria venationis pars, et a Gratio accurate pertractata est, eo libro quem habemus, non absolvit Nemesianus, sed promittere videtur, quum v. 237 ait:

> Horum animos, moresque simul, naresque sagaces
> Mox referam; nunc omnis adhuc narranda suppellex
> Venandi, etc.

Itaque quum hoc libro de venatico tantum apparatu loquatur, de ipsa ratione venandi nihil addat poeta, apparet, multo plura, quam hodie legimus, scripsisse, saltem concepisse Nemesianum, et pluribus libris totam ἰχνευτικὴν et singularum ferarum capturam, fortasse etiam historiam animalium, quod Oppianus fecit, complexum esse. Tam longum opus a Nemesiano institutum si meminerimus, excusari facile poterit longum et pro mensura libri, ut nunc superest, enorme procemium, quod centum plus minus versus absumit ante, quam ad ipsam venationem perveniatur. Minus in eo excusandum videtur, quod pro commendatione novæ, quam suscipiat, materiæ, a versu 15 in recensionem fere omnium fabularum, in quibus veteres poetæ elaborarint, ita excurrit, ut vix modum teneat. Quanquam fecisse hoc exemplo Virgilii inductus videtur, qui Georg. III, v. 4,

> ....Quis aut Eurysthea durum,
> Aut illaudati nescit Busiridis aras? etc.

si quis tamen utriusque locos conferre velit, facile in Virgilio prudentissimam moderationem, in Nemesiano affectatæ doctrinæ intempestivam ostentationem agnoscet (1). Altera procemii pars in laude Cæsarum, filiorum Cari Imperatoris, quibus opus suum dedicat, versatur, quæ sane dignitatis plena est. Ipsam tractationem incipit versu 103 a cura canum, quorum optimorum patrias et habitum describit, feturam deinde et ætatem maris in venerem permittendi; mox de catulorum præstantiorum delectu, de educatione et moderanda sagina, denique de exercitatione eorum ad tentamenta venationis agit. Pergit ad morbos canum nocentiores, scabiem præsertim et rabiem, quorum curam et medelam ostendit. Dehinc transit ad præcipiendum cultum equorum a versu 240. Ex his generosiores primo notat Cappadoces, eorumque formam, habitum et mores designat; deinde Hispanos laudat, Mauros, et Mazaces propter insignem velocitatem. Mox præcipit de pabulo equis præbendo,

(1) Sed propius vero est, voluisse Lucilium Juniorem imitari, qui in Ætnæ initio v. 9 seqq. non multo minorem veterum fabularum recensionem profert. Idem facit Manilius, Astron. initio lib. III. Ed.

purgatione, missione sanguinis et reliqua cura. Quibus expositis reliquam venandi supellectilem breviter perstringit, casses et retia quomodo contexenda; item lineæ et formidines quarum ex avium pinnis optime conficiantur, edocet, et tandem tempus venationi maxime aptum designat. His monitis forte primum Cynegetici librum conclusit; reliqui desiderantur.

M. AURELII OLYMPII
NEMESIANI
POETÆ CARTHAGINIENSIS
CYNEGETICON.

VENANDI cano mille vias; hilaresque labores,
Discursusque citos, securi prælia ruris,
Pandimus. Aonio jam nunc mihi pectus ab œstro
Æstuat; ingentes Helicon jubet ire per agros;
Castaliusque mihi nova pocula fontis alumno

1. *Mille vias*, h. e. multiplicem rationem venandi, vestigatione, indagine, vi, dolo capiendi feras, ostendam. — *Cane*, quod Gronovius conjicit, vix admitto: neque enim κυνηγεσία tota est venatio, nec mille ejus viæ possunt dici. — Rejeci quidem lectionem Gronovii et Johnsonii *Venandi cane*, sed re accuratius pensitata nunc illam repetere et restituere velim; quippe et ingratam numeri diversitatem *cano* et *pandimus* tollit, et clare confirmatur versu 50, ubi æque discursus citos cum cane venatico jungit: « totisque citi *discurrimus* arvis, Et varias cupimus facili *cane* sumere prædas ». Ed. — *Hilares labores*, ut Gratius, versu 1, cecinit *lætas venantibus artes*.

2. *Discursus citos* declarat ipse Nemes. v. 49. — *Prælia* intelligit ferarum, quæ sola habet *rus*, cætera *securum*, litibus et curis usque vacuum.

3. *Pandimur* G. et B. — Variatio numeri, quæ est in *cano* et *pandimus*, ne melioribus quidem auctoribus ignota, facile excusatur a Vlit. et Burm. — *Œstro*, poetico furore.

4. *Ingentes*, *Helicon*, *juvat ire* conj. Vlit. — *Helicon* pro Musis. Statius, Theb. I, 3: *Pierius menti calor incidit: unde jubetis Ire, Deæ?*

5. *Castaliique* conj. Pith. *Fontis alumnus*, sc. Apollo, vult Vlit. — *Castalius* nomen est fontis, ut Blandusia apud Horatium. Vult tamen hic Vlitius adjectivum esse et legi alumnus. Sed Hygin. fab. 178: *ad Castalium venit, quem draco Martis filius custodiebat*. Ed. — *Nova pocula Ingerit*. Novum mihi studium, novum argumentum carminis suggerit Castalius alumno.

Ingerit, et late campos metatur apertos;
Imponitque jugum vati, retinetque corymbis
Implicitum, ducitque per avia, qua sola nunquam
Trita rotis : juvat aurato procedere curru,
Et parere Deo; virides en ire per herbas
Imperat; intacto premimus vestigia musco.
Et quamvis cursus se ostendat tramite noto,
Obvia Calliope, facies insistere prato
Complacito, rudibus qua luceat orbita sulcis.
Nam quis non Nioben numeroso funere mœstam

6. *Metitur* mavult Vlit. — *Late campos metatur apertos*; hic magnum opus designat.

7. *Imponitque jugum*, cogit et regit. Ovid. Her. IX, 6. — *Corymbis* vel hederis implicari omnia dicuntur, quæ Bacchi sunt, ad vim ejus arcanam indicandam. Vid. Ovid. Met. III, 664, seq. Claud. IV, Cons. Hon. 607. Igitur et poetæ Baccho sacri; Prop. II, 23. Est hoc totum exordium indiscreta congeries imaginum.

8. Imitatur hic Lucretium, I, 924, et Virgil. Georg. III, 291. — Ita et Oppian. Cyneg. I, 10 : Ἔγρεο, καὶ τρηχεῖαν ἐπιστείβωμεν ἀταρπὸν, Τὴν μερόπων οὔπω τὶς ἑῆς ἐπάτησεν ἀοιδαῖς. Quum tamen utrumque Gratius anticipaverit. Ed.

9. *Currum* tribuentes sibi poetæ orationem poeticam et numerosam indicant. Hinc *Pierii currus* Claudiano, de Laud. Stil. I, 23, *quadrigæ poeticæ* Ciceroni ad Quint. fratrem, Epist. II, 15. — *Aurato* ad splendorem et ornatum orationis poeticæ spectat. — Videtur hic phrases et similitudines a certamine curuli sumere, quia fortassis hoc carmen in agone vel certamine poetarum recitatum est, in quo et Noster Olympius aliquoties coronatus est. Ed.

10. *Virides herbæ* et *intactus muscus*, quæ nullo sunt vestigio trita. Sic plane Propert. III, 3, 26 : *Qua nova muscoso semita facta solo*. Idem *intactam viam* dicit, III, 1, 18. — Similis sententia Horat. Epist. I, 19, 21 : *Libera per vacuum posui vestigia princeps; Non aliena meo pressi pede*. Ed.

12. Hic versus in antiquis exempl. post v. 23 legebatur. Pithœus in hunc locum reduxit approbantibus cunctis. Omittit *se* Vlit. — *Quamvis* nota aliqua via, et trita materia offerat se, tu tamen obvia et auxilians Calliope, fac me insistere prato complacito, ut in hoc etiam semita facta appareat.

13. *Facile est insist.* dedit Vlit.

14. *Quo luc.* suadet Vlit.— *Lucere* de via usurpavit, ut Propert. II, 11, 17 : *Ante pedes cæcis lucebat semita nobis*. Ed. — *Rudes sulci* sunt primi, recenter facti, ut rudimenta sunt initia rerum.—Hunc vers. Barthius totum delendum censet. Schmidius in edit. sua Nemesiani aliter distinguit : « Et quamvis cursus offendant, tramite noto Obvia Calliope, facies », etc. Ed.

15. De Niobe notissima fabula ex

Jam cecinit? quis non Semelen, ignemque jugalem
Letalemque simul, novit de pellicis astu?
Quis magno recreata tacet cunabula Baccho?
Ut pater omnipotens maternos reddere menses
Dignatus, justi complerit tempora partus?
Sunt qui sacrilego rorantes sanguine thyrsos
(Nota nimis) dixisse velint, qui vincula Dirces,
Pisæique tori legem, Danaique cruentum
Imperium, sponsasque truces sub fœdere primo,
Dulcia funereis mutantes gaudia tædis.
Biblidos indictum nulli scelus; impia Myrrhæ
Connubia, et sævo violatum crimine patrem
Novimus, utque Arabum fugiens quum carperet arva,

Ovid. Metamorph. lib. VI, v. 148.

16. *Ignem jugalem letal. simul*, ignem fulminis, qui nuptias simul et necem Semelæ conciliabat. Vid. Ovid. Met. III, 292, seq.

17. *Pellicis æstu*, id est, Semeles ardore, conj. Burman. — *Pellicem* Junonem dicit, quomodo et auctor carm. de laud. Herc. 47. — Particula *de* abundat: nihil est quam *pellicis astu*. Ed.

18. *Recreata cunab.* renovatam genituram Bacchi. Quippe *paterno insuitur femori; maternaque tempora complet*: Ovid. l. c. 312. *Maternos reddere menses* sumpsit a Statio, Th. VII, 166. — Dicit Barthius in vetere libro legi: *maternis addere menses dignatus*, maternis mensibus quos Jupiter interruperat suo in femore concluso Baccho addere dignatus est. Ed.

21. *Sacrilego sanguine*, eorum, qui sacra Bacchi aspernantes thyrsis contrucidati sunt a Bacchantibus. Ovid. Met. III, 701, seq.

22. *Duxisse* G. et B.— *Vincula Dirces*, quibus alligatam tauro interemerunt Amphion et Zethus, ob vexatam a Dirce matrem suam Antiopam. Hygin. fab. 7 et 8; Propert. III, 15, 38.

23. *Pisæi tori legem*, sc. conditionem dicit, quam proposuit OEnomaus, Pisæ rex, procis Hippodamiæ filiæ, ut, qui se cursu vinceret, eam duceret, victus interficeretur. Hygin. fab. 84.

24. *Imperium cruentum*, quo Danaus quinquaginta filiabus imperavit, sponsos suos prima nocte omnes necare. Vid. Ovid. Her. XIV; Apollod. lib. II, p. m. 63.— *Fœdus*, concubitus. Sic Ovid. Her. IV, 147.

26. *Indictum* omnes libri. *Inductum* B. edit. — *Biblidos scelus*, quæ Cauni fratris concubitum, *Myrrhæ*, quæ patris appetivit. Vid. Ovid. Met. IX, 453, et X, 465.

27. *Sævum* id crimen, quod castitatem simul et pietatem summaque jura violabat.— *Fœdo* vult Vlit. Ed.

28. *Arabum*. Vid. Ovid. Met. X, 478, *Palmiferos Arabas, Panchæaque rura reliquit*. Ed.

Ivit in arboreas frondes, animamque virentem.
Sunt qui squamosi referant fera sibila Cadmi,
Stellatumque oculis custodem virginis Ius,
Herculeosque velint semper numerare labores,
Miratumque rudes se tollere Terea pinnas
Post epulas, Philomela, tuas: sunt ardua mundi
Qui male tentantem curru Phaethonta loquantur,
Exstinctasque canant emisso fulmine flammas,
Fumantemque Padum, Cygnum, plumamque senilem,
Et flentes semper germani funere silvas.
Tantalidum casus, et sparsas sanguine mensas,
Condentemque caput visis Titana Mycenis,
Horrendasque vices generis dixere priores.

29. *Ivit*, mutata est in arborem myrrham.—*Ire* et *abire* pro *mutari in* dicere solent poetæ. Stat. Theb. VI, 234: *putres jam Mulciber ibat In cineres*. Ov. Met. IV, 656: *Jam barba comæque In silvas abeunt*. Idem Met. I, 236: *In villos abeunt vestes, in crura lacerti*. Ed. — *Anima virens* est ipsa arbor, cujus vigor in viriditate est. Sic Manil. V, 212, *sanguinem virentem* nemori et herbis tribuit.

30. *Sibila Cadmi* in serpentem conversi. Ovid. Met. IV, 576.

31. *Custodem virg. Ius*, in vaccam mutatæ, Argum dicit, *stellatum*, i. e. valde oculatum, a crebris cæli stellis epitheton. Vid. Ovid. Met. I, 664. *Inocciduis stellatum visibus* dicit Stat. Theb. VI, 227.

33. *Mirenturque rudes sustollere Terea pinnas*, velit Burmannus. — Fabulam *Terei* in epopem versi habes apud Ovid. Met. VI, 673. — *Rudes* pinnæ sunt novæ, primæ, inexpertæ. Vid. v. 14.

35. *Ardua mundi*, cælum, *male tentantem*, i. e. suo periculo conantem ascendere. Vid. quæ diximus ad Grat. 63. Ardentem cum mundo Phaethonta Jupiter fulmine in Padum præcipitans exstinxit.

36. *E misso* A. St. Gr. — In hoc aspexit Ovidium: *Compescuit ignibus ignes*. Metamorph. loco infra v. 37, citato. Ed.

37. *Cycnum* A.—Amissum Cygnus Phaethonta dolens in olorem, et Heliades sorores, in arbores vertuntur, quæ pro lacrymis electra stillant. Vid. Ovid. Met. II, 311, seq. et Virgil. Æn. X, 192, Cygnum ait *Canentem molli pluma duxisse senectam*.

38. *In funere* vel *funera* volebat Heins.

39. Tantalidarum et Pelopidarum gens casibus horrendis, et sceleribus infamis. Eo pertinet Pelops, Tantali filius, a patre Diis appositus epulo, cœna Thyestea et propter eam sol aversus, stuprum Clytemnestræ, cædes Agamemnonis et Ægisthi, et Orestis casus, et alia poetis tritissima.

41. *Prioris* omnes, sed *priores* cum Heinsio legit Burm.

Colchidos iratæ sacris imbuta venenis
Munera non canimus, pulchræque incendia Glauces,
Non crinem Nisi, non sævæ pocula Circes,
Nec nocturna pie furantem busta sororem.
Hæc jam magnorum præcepit copia vatum,
Omnis et antiqui vulgata est fabula sæcli.
  Nos saltus, viridesque plagas, camposque patentes
Scrutamur, totisque citi discurrimus arvis,
Et varias cupimus facili cane sumere prædas;
Nos timidos lepores, imbelles figere damas,
Audacesque lupos, vulpem captare dolosam
Gaudemus; nos flumineas errare per umbras
Malumus, et placidis Ichneumona quærere ripis,
Inter arundineas segetes, felemque minacem

42. *Colchidos*, Medeæ, munera venenis *sacris*, i. e. magico ritu confectis, imbuta, Glaucæ, Jasoni marito suo nubenti, missa, quibus acceptis ipsa et tota regia conflagravit. Narrat Hygin. fab. 25, et Apollod. I, p. 56.

44. *Crinem Nisi*, regis Megaræ, fatalem abscidit Scylla filia, eoque patriam Minoi prodidit. Ovid. Met. VIII, 85; Apollod. III, 204. De poculis Circes, quibus illa homines mutavit in pecudes, res nota ex Homero.

45. Sororem Polynicis Antigonen intelligit, quæ fratris, singulari certamine interempti, cadaver, contra Creontis mandatum, noctu furata sepelivit. Hyg. fab. 72; Apollod. lib. VI, s. 7. Hoc est argumentum Antigonæ Sophoclis.

46. *Præcepit*, olim tractavit, præoccupavit. Ed.

48. *Virides plagas*, prata viridantia.

49. *Scrutamur*, lustramus, pervagamur. Claud. Gild. versu 357, *juga rimari canibus Getula*.

50. *Facili cane*, i. e. docili, veloci, tractabili, ut apud Grat. v. 160. — *Sumere prædas* est capere. Vid. infra, v. 191, et 199. Calpurn. Ecl. XI, 59: *sic olim gaudia sumet*.

54. *Ichneumon*, qui mus Ægypti vel Pharaonis, et forma ictidis esse dicitur, in densis arundinetis habitat vel umbris flumineis, ad ripas Nili: has *placidas* vocat, propter Nili placide alluentis undas.—Vult *placitis* Barthius, quia delectatur Ichneumon aquis. Ed.—De Ichneumone plura habet Plin. VIII, 25; Ælian. de Anim. VIII, 25; Oppian. Cyneg. III, 407. — Plinius eum inter feles recenset: *Crocodilo animal infensissimum*. Vid. Salmas. Plin. Exerc. Ed.

55. *Melemque* Heins. malebat. — *Segetes*, καταχρηστικῶς; quia arundines crescunt more segetis. Ed. — *Felem* agrestem intelligit, cujus magna et minax ferocia est.

Arboris in trunco longis præfigere telis,
Implicitumque sinu spinosi corporis erem
Ferre domum; talique placet dare lintea curæ;
Dum non magna ratis vicinis sueta moveri
Litoribus, tutosque sinus percurrere remis,
Nunc primum dat vela Notis, portusque fideles
Linquit, et Hadriacas audet tentare procellas.
  Mox vestros meliore lyra memorare triumphos
Accingar, divi fortissima pignora Cari,
Atque canam nostrum geminis sub finibus orbis

56. *Perfigere* mavult Johns. — *Præfigere* est adverso in capite vel fronte figere.

57. *Eres* nomen est animalis pelle spinosa vel aculeata vestiti, quod postea ericius vel erinaceus dictum est, et suo ipsius sinu se convolvit. Nomen Vlitius quibusdam in locis Plauti exstare putat. — Hic forsan reponendum habemus *hærem* vel *herem*. Nam, ut veteres libri, Longobardica illa editio nullam omnino literam diphthongum agnoscit neque adeo adspirativam illam in totis Calpurnio et Nemesiano repræsentat. *Herem* videlicet dixerunt antiqui a χῆρ, χῆρος, ut docuit Salmasius. Ed. — Græcis ἐχῖνος dicitur. De eo Plin. VIII, 37; Opp. Cyn. II, 598.

58. *Dare lintea*, i. e. velificari, tale studium persequi. — *Talique cymbæ* vult Heinsius. Ed.

59. *Quum* mavult Johns.—Hac allegoria, quæ quatuor versibus continuatur, significat poeta, se a minoris argumenti carminibus, quibus hactenus adsueverit, nunc primum ad majora et ampliora transire. Ejusdem fere sententiæ est Claudiani præfat. ad Rapt. Proserp. — Præcipue respexisse videtur hunc locum Statii, Silv. IV, 4, 99: *fluctus an sueta minores Nosse ratis, nondum Ioniis tradenda periclis?* Ed.

62. *Tranare proc.* G. — Sed ipse Barthius nihil mutandum censet. Claudian. loc. cit. *Mox longos tentare sinus.* Ed.

63. *Majore lyra* B. sed *meliore* jam legit Gyraldus in cod. Sannazari. — *Meliore lyra*, poterat et *majore*, ut Horat. Carm. IV, 2, 33, *Concines majore poeta plectro Cæsarem.* — Sed *meliore* insinuat felicius studium, prosperiorem famam, gratiam, dignitatem ex eo studio capiendam. Expressisse videtur Virgil. Georg. III, 46: *Mox tamen ardentes accingar dicere pugnas Cæsaris.* — Sic et auctor Culicis, v. 8: *Posterius graviore sono tibi Musa loquetur Nostra, dabunt quum securos mihi tempora fructus, Ut tibi digna tuo poliantur carmina sensu.* Ed.

64. Vid. Excursum primum ad calcem hujus libri.

65. *Gemini* malebat Heins. — *Nostrum litus*, i. e. utriusque Oceani litora ad Orientem et Occidentem Romano imperio subjecta esse. — Per *fines* malim intelligere extrema

Litus, et edomitas fraterno numine gentes,
Quæ Rhenum Tigrimque bibunt, Ararisque remotum
Principium, Nilique bibunt ab origine fontem.
Nec taceam primum quæ nuper bella sub Arcto
Felici, Carine, manu confeceris, ipso
Pæne prior genitore Deo; utque intima frater
Persidos, et veteres Babylonos ceperit arces,
Ultus Romulei violata cacumina regni:
Imbellemque fugam referam, clausasque pharetras
Parthorum, laxosque arcus, et spicula nulla.

terræ: nam cardines, quos Burmannus vult, solis cursus magis quam *orbis fines* sunt. Claud. in Eutrop. I, 395: *et nostrum video, Germanice, Rhenum.*

66. *Fraterno numine*, i. e. numine duorum fratrum Cæsarum: nam utriusque res gestas laudat deinceps, et versu 77 *bona numina terræ vocat*, ut numen Cæsareum de Caro dixit Calpurnius, Ecl. IV, 132, et Ecl. VII, 76. Ed.

68. *Nilique colunt* vel *vident* conj. Johns. — *Vident* placet Burm.

69. *Nec taceam primum*, h. e. et primum quidem narrabo; nam *taceam* pro *tacebo* videtur positum ex more ætatis Aurelii, quæ miscere formas conjugationum in futuris solet: tale est hoc Calpurnii IV, 153, *tum; Melibœe, sonent*, pro *sonabunt*: ad quem locum plura. — *Sub Arcto*, quod *confecerit Carinus*, bellum intelligo Sarmaticum, quod a Probo apparatum Carus magna ex parte profligavit; sed nuntiato Persarum tumultu ad Orientem profectus, Carino haud dubie, cui Gallias, Italiam et Illyricum regendas commiserat, conficiendum reliquit. Vid. Vopisc. c. 8; Eutrop. IX, 18.

71. *Pæne prior*, i. e. pæne præferendus patri Divo. — *Deus* quidem h. l. Carus vocatur, ut defunctus et Divus; sed idem nomen etiam vivo datum, notamus ad Calpurn. Ecl. I et IV. — Elisionem τοῦ *o* neglexit; quod innumeris Virgilii et optimorum poetarum exemplis facile confirmatur, quæ plurima affert Barthius ad Calp. Ecl. V, 12. Ed.

72. *Intima Persidos* nominat, quia, Mesopotamia capta, Ctesiphontem usque pervenit Carus, cujus hic gesta Numeriano tribuuntur per adulationem. Vid. Vopisc. et Aurel. Vict. Schott. c. 38. — *Veteres*. Arcem enim rex antiquissimus Belus condidit. Vid. Eutrop. Ed.

73. Per *cacumina regni Rom.* intelligit fastigium et majestatem imperii Rom. quam Parthi sæpe Romanos lacessendo violaverant.

74. *Imbellem fugam* Parthorum vocat, quando non, ut alias, fugiendo pugnant, retro missis sagittis, sed vere fugiunt victi. — *Clausæ pharetræ*, unde nullæ ad pugnandum sagittæ promuntur. — *Laxosque arcus*, quiescentes, pacis caussa. — *Spicula nulla*, quorum nullus est usus, nulla fiducia. — Gronovius

Hæc vobis nostræ libabunt carmina Musæ,
Quum primum vultus sacros, bona numina terræ,
Contigerit vidisse mihi; jam gaudia nota
Temporis impatiens sensus, spretorque morarum
Præsumit; videorque mihi jam cernere fratrum
Augustos habitus, Romam, clarumque senatum,
Et fidos ad bella duces, et milite multo
Agmina, queis fortes animat devotio mentes.
Aurea purpureo longe radiantia velo
Signa micant, sinuatque truces levis aura dracones.
Tu modo, quæ saltus placidos silvasque pererras,

putat Nemesianum ob oculos habuisse Stat. Silv. IV, 4, 30, *Et sontes operit pharetras arcumque retendit Parthus*. Ed.— *Spicula muta* G. et B. *Muta* quoque e vet. cod. legit Gronovius Diatr. in Stat. c. 41, et exponit *quiescentia*, quæ non per aerem arcu impulsa strident. Ed.

76. *Nobis* priores editi. — *Libabunt*, offerent, sacrabunt; a sacrificiis sumptum. — *Tenue libamen Musæ* dicit Ausonius, Mosell. versu 444. Ed.

77. *Vultus sacros*, ut v. 81 *augustos habitus*; conf. Calpurn. VII, 76, seqq.

78. *Vota* G. et *voto* B. cui assentit Burm.

80. *Præsumit*, i. e. quasi præsentia sibi sistit, et percipit quæ novit futura: hinc recte se habet *gaudia nota*, nec mutandum in *voto*.

81. *Patrumque* Barthio amicus quidam subjiciebat. — Describit hic poeta pompam et splendorem Cæsarum in Urbem ingredientium, comitante Senatu et exercitu, quæ ita fingit animo, ut tanquam oculis cernere videatur.

83. Paullo aliter, quam antiquitus, *devotio* et devotus ætate Nemesiani dicebatur de fide militum et ministrorum, sacramento Imperatori adstricta. — Lactantius Inst. div. V, 22, 17: « Deus ipse adversarios nomini suo excitat, non qui contra Deum ipsum pugnent, sed contra milites ejus, ut devotionem ac fidem suorum vel probet, vel corroboret ». Ed.

85. *Dracones* erant a Trajani inde ætate signa cohortium militaria, qui rictu tantum argenteo, cæterum e pannis coriisve pictis facti, facile inflari vento et agitari poterant. Lips. de Mil. V, 5. Similiter descriptos habes apud Claud. tert. Cons. Hon. v. 138; et de his fuse Sidon. Apoll. Panegyr. Majoriani.

86. *Placitos* malebat Heins. — Invocat nunc poeta, ad argumentum accedens, Dianam, quæ venationi præest, ut Gratius et Oppianus faciunt. Invocat autem sic, ut eam jubeat venatricis habitum sumere, h. e. venari secum, aut venanti sibi præesse. Habitum venantis amplius descriptum videas ab Opp. Cyneg. I, 91; Grat. vers. 338; Virg. Æn. I, 318.

Latonæ, Phœbe, magnum decus, eia age suetos
Sume habitus, arcumque manu; pictamque pharetram
Suspende ex humeris : sint aurea tela, sagittæ;
Candida puniceis aptentur crura cothurnis;
Sit chlamys aurato multum subtemine lusa,
Corrugesque sinus; gemmatis balteus arctet
Nexibus; implicitos cohibe diademate crines.
Tecum Naiades faciles, viridique juventa
Pubentes Dryades, Nymphæque, unde amnibus humor,
Adsint, et docilis decantet Oreadas Echo.
Duc age, Diva, tuum frondosa per avia vatem;
Te sequimur : tu pande domos et lustra ferarum.

87. *Phœbe, Latonæ mag. d.* edit. G.

89. *Aurea*, quibus admirabilis vis inest, ut *aurea* Mercurii *talaria*, Virgil. Æn. IV, 240; *aureus ramus*, Æn. VI, 187.

90. *Cothurni* sunt calceamenta venatoria, quibus crura quoque vinciuntur, notante Serv. ad Virg. Æn. I, 337. Hinc in ornatu Dianæ sunt : Virg. Ecl. VII, 32. — Κρηπῖδας dat venanti Meleagro Philostratus Jun. Ed.

91. *Subtegmine* St. Gr. P. *Sub tegmine* citat Jul. Scalig. *Subtemine* B. — *Fusa* legit Spanh. ad Callim. hymn. in Dian. v. 11.—*Lusa*. Virg. Georg. II, 464, *Illusasque auro vestes*. Ed. — Vid. Excursum secundum ad calcem hujus carminis.

93. *Diadema* hic mera est fascia, quæ *implicitos*, plexos et subligatos crines *cohibet*, ne diffusi impedimento sint venanti. Alias venatrix apud Virg. Æn. I, 319, *dederatque comas diffundere ventis*, et apud Claud. de Rapt. Pros. II, 30, ipsa Diana *levibus projecerat auris Indociles errare comas*. Sed hic utraque otiatur.

94. Nympharum omnis generis Diana comitatu et choro gaudet, cum iisque venatur. Inde χορήτιδες dicuntur Callim. Dian. 13; et vid. Ovid. Met. II, 441. — *Faciles* epitheton ex Marone, Ecl. III, 9, et Prop. II, 25, 76. *Viridi juventa pubentes* Callim. v. 14 et 43, expressit εἰνέτεας ἔτι παῖδας ἀμίτρους, *novennes, juvenculas, et adhuc impuberes*. Nempe ea ætate puellæ sunt lepidissimæ, nec amoribus aut curis tanguntur, quales maxime vult Diana.

95. Has nymphas speciatim Hydriades appellat Nonnus, lib. XLIII, μίξατε Βάκχαις Ὑδριάδας. Nemes. Virgil. alludit Æn. VIII, 71 : *nymphæ, genus amnibus unde est*. Ed.

96. *Decantat Oreadas Echo*, h. e. frequentiam et strepitum circa Dianam resonans indicat, *Oreadum* maxime, quia in montibus et scopulis habitat Echo. Ovid. Met. III, 401; Calpurn. IV, 28.

98. *Tu Pande*, tu doce investigare *domos*, cubilia ferarum. Vid. Grat. 235. Sic *muris domos* Virgil. Georg. I, 182.

Huc igitur mecum, quisquis percussus amore
Venandi, damnas lites, avidosque tumultus,
Civilesque fugis strepitus, bellique fragores,
Nec prædas avidus sectaris gurgite ponti.
  Principio tibi cura canum non segnis ab anno
Incipiat primo, quum Janus temporis auctor
Pandit inocciduum bissenis mensibus ævum.
Elige tunc cursu facilem, facilemque recursu,
Seu Lacedæmonio natam, seu rure Molosso,
Non humili de gente canem; sit cruribus altis,
Sit rigidis, multamque gerat sub pectore lato,
Costarum sub fine, decenter prona, carinam,
Quæ sensim rursus sicca se colligat alvo,

99. *Hinc igitur* St. Gr. P. — *Huc igitur mecum*, scil. venias. Hortatur ad venationem, quam ab innoxia voluptate commendat, ut *securi prælia ruris*, versu 2.

100. *Rabidosque* vel *pavidosque* vult Vlit. *Pavidos* probat Burmann. — *Avidos* tumultus legendum censeo, et intelligo de tumultu et discursu negotiantium et lucra petentium in civitate.

102. *Avido s. gurgite pontum* G. hinc *prædans avido* B. *Avidus* edidit Vlit. *Avidus* præfert Burman. et intelligit de piratis. — *Nec prædas avid.* potest intelligi de piscatore, et de pirata; sed malo de mercatore, qui lucri caussa mare navigat. Horat. Carm. I, 28, 18, *exitio est avidis mare nautis;* conf. Tibull. Eleg. II, 3, 39.

103. *Ab anno primo,* h. e. ineunte: veris principio canes admittendos censet Varro, R. R. II, 9.

104. *Cum sanus temp.* A. St. Gr. *Janus* Pith. recte. — *Quum Janus.* Sequitur in hoc Xenophont. c. XX. Σκυλακεύειν δεῖ αὐτὰς ἐπανιέντας τῶν πόνων τοῦ χειμῶνος, ἵνα ἔχουσαι τὴν ἡσυχίαν πρὸς τὸ ἔαρ ἐπάγωνται τὴν φύσιν γενναίαν. Sed reliqui id in ver fere protrahunt. Varro, lib. II, de R. R. c. IX. Ed. — *Janus temporis auctor*, quia ab eo anni procedunt.

105. Editt. ante Pithœum divisim exhibent *in occiduum*, male. — *Pandit*, incipit, *inocciduum*, semper revolutum in orbem suum.

106. *Facilem*, i. e. promptam et obtemperantem, quæ ad jussum venatoris et intendat cursum et revocet, quæ *norit hortamina vocis*, ut infra v. 196.

109. *Multam carinam*, i. e. amplam et profundam costarum compagem, qualis est forma carinæ navis, a qua pectus animalium *carinatum* dicit Plin. XI, 37, 82. Oppian. exprimit Cyn. I, 408, πλευρῶν ἐπικάρσια ταρσά.—*Costarum sub fine*, i. e. ubi desinit costarum series, ad armos. — *Decenter prona*, *gracefully sloping*, exponit Johnson. i. e. *biaisant avec grace*. Ed. — *Sicca*

Renibus ampla satis validis, diductaque coxas,
Cuique nimis molles fluitent in cursibus aures.
Huic parilem submitte marem, sic omnia magnum,
Dum superant vires, dum læto flore juventus,
Corporis et venis primævi sanguis abundat:
Namque graves morbi subeunt, segnisque senectus;
Invalidamque dabunt non firmo robore prolem.
Sed diversa magis feturæ convenit ætas.
Tu, bis vicenis plenum jam mensibus, acrem
In venerem permitte marem; sit femina, binos
Quæ tulerit soles: hæc optima cura jugandis.
Sed non Spartanos tantum, tantumve Molossos
Pascendum catulos; divisa Britannia mittit

alvus, macra et gracilis, *se colligat*, sensim contrahatur. Brevius hæc omnia, nec minus expresse Grat. 271.

112. *Renibus* pro lumbis dicit sequior latinitas. Opp. Cyn. I, 409: Ὀσφύες εὔσαρκοι, μὴ πίονες. — *Diducta* est lata.

113. *Nimis molles* omnes. *Minus* B. — *Nimis molles* pro *valde* usitatum recentiori ævo, et nihil tritius apud optimos auctores asserit Johnsonius. Auctor Cynosophii, cap. 4, in collect. Rigaltii: τὰ ὦτα ἐχέτωσαν μεγάλα καὶ μαλθακά.

114. *Sunt omnia magna* Scaliger. — *Parilem submitte marem*, ut Gratius, 263, *Junge pares ergo*. Proprie *submittere* de feminis dicitur, *admittere* de maribus. Sed hæc permutantur fere. Virgil. Ecl. I, 46, et Georg. III, 73. — *Sic*, ut canis femina, quam descripsi, *omnia magnum*, κατὰ πάντα. Virgil. Æn. IV, 558: *Omnia Mercurio similis*. Videtur hic ante oculos habuisse Virgilii locum, cujus et plura in sequentibus expressit, Georg. III, 54: *Tum longo nullus lateri modus; omnia magna.*

115. *Juventus*. Heinsius *Juventas*: Juventutis nimirum Dea, pro juventute posita: quam vocem Gronovius quoque multoties restituit. Ed.

116. *Abundans* A. G. et B. *Inundat* malebat Heins. *Et vernus primævi sanguis abundat* Scal.

117. *Subeunt*, proxime sequuntur. Virgil. Georg. III, 67. — *Invalidam prolem dabunt*, generabunt, sc. canes, quæ *non firmo robore*, ob morbum vel senectutem, erunt.

119. *Diversa*, sc. maris et feminæ. Ante *parilem* jusserat *marem submitti*, de forma et magnitudine loquens: de ætate aliter statuit, et mari anni quarti initium, feminæ annum secundum finitum constituit ad coitum. De hoc tempore alii aliter.

122. *Soles* h. l. pro annis. — Sic *ferre ætatem* Ciceronis dicterio nota phrasis apud Macrob. lib. II, cap. 3. Ed.

124. Observa accusativum post *pascendum*. Ita Virgil. *pacemque a*

Veloces, nostrique orbis venatibus aptos.
Nec tibi Pannonicæ stirpis temnatur origo,
Nec quorum proles de sanguine manat Ibero.
Quin etiam siccæ Libyes in finibus acres
Gignuntur catuli, quorum non spreveris usum.
Mox quum se bina formarit lampade Phœbe,
Ex quo passa marem genitalia viscera turgent,
Fecundos aperit partus matura gravedo
Continuo, largaque vides strepere omnia prole;
Sed, quamvis avidus, primos contemnere partus
Malueris, mox non omnes nutrire minores.
Nam tibi si placitum populosos pascere fetus,
Jam macie tenues, succique videbis inanes,
Pugnantesque diu, quisnam prior ubera lambat,
Distrahere invalidam lassato viscere matrem.
 Sin vero hæc cura est, melior ne forte necetur,
Abdaturve domo, catulosque probare voluntas,

rege petendum. ED. — *Divisa Britannia*, sc. ab orbe reliquo. Virgil. Ecl. I, 67. Hinc statim *nostri orbis.* De canibus Britannicis Grat. 175, et Opp. Cyn. I, 469, qui Agassæos vocat, sagacitate præstantes.

127. *Iberos* canes, qui ab Oppiano et Nemesiano nominantur, ex Iberia Asiæ, non Europæ, intelligendos, persuadet Vlitius.

130. *Quum se bina formarit lumine Phœbe*, h. e. quum bis fuerit plenilunium. — *Formare se* est implere orbem suum, ad justam formam redire, ut infra v. 287 dixit, *artus distento robore formant.*

132. *Fœcundo se ap. partu*, G. et B. —*Aperit partus* ex Horat. Carm. Sæc. 13. — *Gravedo*, hoc sensu insolens, ætati Olympii debetur; meliores gravitatem dicunt. Ovid. Met. IX, 287: *tendebat gravitas uterum mihi.*

134. *Quamvis avide* cupias multos habere canes, præstabilius tamen, si sapis, judicabis, omnes primi partus catulos contemnere, *mox* etiam, secundo partu, *non omnes* editos *nutrire*, quia catuli fient macilenti, et mater invalida. Columella, VII, 12, 11: *primus effetæ partus amovendus est.* — *Minores* dicit catulos, ut Grat. 303.

139. *Lassato viscere*, ubere, quod detracto nimium lacte deficit: Vid. Grat. 288. — *Viscera* præcipue vocantur, quæ ad formandum alendumque fetum pertinent. Hinc etiam *fessa viscera* dicit Claud. Rapt. Pros. I, 124, quæ desierunt generare et parere.

141. *Abdatur*, i. e. amoveatur domo, ejiciatur foras, ut præcipit de equo victo Virgil. Georg. III, 96: *abde domo, nec turpi ignosce*

Queis nondum gressus stabiles, neque lumina passa
Luciferum videre jubar; quæ prodidit usus
Percipe, et intrepidus spectatis adnue dictis:
Pondere nam catuli poteris perpendere vires,
Corporibusque leves gravibus prænoscere cursu.
Quin et flammato ducatur linea longe
Circuitu, signetque habilem vapor igneus orbem,
Impune in medio possis consistere circo.
Huc omnes catuli, huc indiscreta feratur
Turba; dabit mater partus examine honestos,
Judicio natos servans, trepidoque periclo;
Nam postquam conclusa videt sua germina flammis,
Continuo saltu transcendens fervida zonæ

senectæ. Conferend. Tib. II, 1, 82.

142. *Lumina pansa* probabat Heinsius. — *Passa* sunt aperta, a pando. Incerto et diverso tempore oculos pandi catulis, tradit Plin. VIII, 40, 62. — *Spectatis dictis*, i. e. præceptis usu probatis; *spectari* sæpe est dictum facto probare. Ovid. Metam. XIII, 120: *Denique quid verbis opus est? spectemur agendo.*

145. *Perpendere*, ponderando examinare. Gratius, v. 299, de eadem re *perpensare*. Sententiæ Gratii, quam ad loc. cit. asseruimus, non repugnat Nemesianus, et sic intelligendus est: *Poteris e corporibus gravibus*, vel iis, quæ præponderant, *prænoscere*, qui *leves cursu* futuri sunt, nempe leviores pondere; nam graves fortasse grandia membra promittunt, non autem velocitatem.

146. *Cursus* P. et Vlit. — Barthius, Advers. XV, 8, in versu 146 legit *cursus*, et locum e Demetrii Cynosophio allegat, quo idem examen commendatur, sed gravior catulus pro nobiliore haberi videtur: Ἔστι καὶ ἄλλη δοκιμασία τοῦ βελτίονος σκύλακος· ἐν ζυγῷ σταθμίσας τὰ κυνάρια, ἐπίλεξαι τὸ βαρύτερον. Ed.

147. *Ducatur linea*, ponantur ignes serie in orbem ducta. — *Habilem orbem* dicit ita aptum operi, ut catuli possint tuto eo orbe includi.

149. *Ut medio* malit Johns.

150. Elisio neglecta vocalis. Ultima syllaba in *Catuli* nullam patitur synalœpham: *Et succus pecori, et lac subducitur agnis*. Virg. Ecl. III, 6. Ed.

151. *Examen honesti* G. et B. — *Mater* ipsa *examine* suo, dum alium præ alio eligit catulum, *dabit*, prodet, indicabit, *partus honestos*, h. e. qui catulus sit generosior, et, ut Gratius v. 291 exprimit, *ille tuos non defecturus honores.*

152. Hunc versum abesse a G. dicit B. — *Trepido*, i. e. horrendo; passive enim sumitur. Ed.

154. *Fervida zonæ vincla* supra *flammato lineam circuitu* dixit. — *Transcendens* pro transiliens, ut infra 308. — *Primum* dicit principem et præstantissimum. — *Portatque*

Vincla, rapit rictu primum, portatque cubili,
Mox alium, mox deinde alium: sic conscia mater
Segregat egregiam sobolem virtutis amore.
Hos igitur genetrice simul, jam vere sereno,
Molli pasce sero; passim nam lactis abundans
Tempus adest, albent plenis et ovilia mulctris.
Interdumque cibo cererem cum lacte ministra,
Fortibus ut succis teneras complere medullas
Possint, et validas jam tunc promittere vires.
Sed postquam Phœbus candentem fervidus axem
Contigerit, tardasque vias, Cancrique morantis
Sidus init, tunc consuetam minuisse saginam
Profuerit, tenuesque magis retinere cibatus;
Ne gravis articulos depravet pondere moles.
Nam quum membrorum nexus nodosque relaxant,

cubili, in cubile; ut eumdem probandi modum exprimit Plin. VIII, 62: *Optimus in feta, qui novissime cernere incipit, aut quem primum fert in cubile feta.*

156. *Conscia*, i. e. secreto instinctu pulsa. Ed.

158. *Genetrice simul*, subintellige *cum*, quod sæpe deficit. — Vernum tempus canum nutritioni aptum asserit cum Xenophonte, cap. 7. — *Serum* lactis etiam Maro catulis præbere jubet Georg. III, 405. — *Passim* construendum cum *abundans*. *Tempus adest*, ubi obvium ubique et parabile lac est.

161. *Cererem cum lacte*, panem lacte mollitum (mazam vocat Gratius 307), *cibo ministra*, i. e. da in cibum; conf. Grat. 329.

164. *Candentem axem*, æstivum, quo maximus calor solis. — Per *tardas vias* intelligit dies longiores, quibus cursus solis tardior videtur, quia longior. — *Cancrum morantem* dicit, quia in eo sidere solstitium est, et incrementa dierum tarde consumuntur et minuuntur, ut vix percipi possint. Manil. I, 567.

166. *Saginam* dicit, quam supra descripsit, panis cum lacte, atque infra v. 183 *fortem de frugibus escam* vocat. — Per *tenues cibatus* molle serum intelligit. — *Moles* de pinguedine et gravitate corporis. — Xenophontea illa expressit cap. 20: Αἱ γὰρ βαρεῖαι πλησμοναὶ τῶν σκυλακίων διαστρέφουσι σκέλη, κ. τ. λ. Ed. — Et vid. Auson. Ephemer. v. 9.

168. *Nec gravis articulos depravat pondere molles* A. St. Gr. Post hunc vers. lacuna est in G. unde 3 vel 4 versus deesse putat B.

169. Putaverim hic legendum *nam tum membrorum*, ut ratio reddatur, cur tenues cibatus retinendi: nam tum laxare primum et explicare nodos artuum incipiunt, infir-

Infirmosque pedes, et crura natantia ponunt,
Tum etiam niveis armantur dentibus ora.
Sed neque conclusos teneas, neque vincula collo
Impatiens circumdederis, noceasque futuris
Cursibus imprudens: catulis nam sæpe remotis
Aut vexare trabes, laceras aut pandere valvas
Mens erit, et teneros torquent conatibus artus;
Obtunduntve novos adroso robore dentes,
Aut teneros duris impingunt postibus ungues.
Mox quum jam validis insistere cruribus ætas
Passa, quater binos volvens ab origine menses,
Illæsis catulos spectaveris undique membris,
Tunc rursus miscere sero cerealia dona
Conveniet, fortemque dari de frugibus escam.
Libera tunc primum consuescant colla ligari,
Concordes et ferre gradus, clausique teneri.

mosque pedes habent, quos ubi crassior ab alimonia pinguedo gravat, laxi et infirmi manent.

170. *Nutantia* P. et B. — *Natantia* recte omnino princeps editio, i. e. vacillantia, titubantia. Ovid. Art. I, 516: *nec vagus in laxa pes tibi pelle natet.*

173. *Impatiens*, moræ, vel procacis lasciviæ catulorum ante tempus compescendæ.

174. *Remotis*, abditis et secretis a familia.

175. *Vexare trabes*, mordere, vel labefactare unguibus. — *Mandere valvas* rescribebat Heins. ad Ovid. Metam. III, 84. — Pro *pandere* mallem cum Heinsio *mandere*, si auctoritas librorum adesset.

176. *Ah! ten.* B. *At ten.* conj. Burm. — *Torquent* hic fortasse positum pro *torquebunt*. Vid. v. 69.

177. *Obtunduntque* G. et B.

178. *Infringunt postib.* legit Heinsius, aptius et significantius. Stat. Theb. lib. II, vers. 556: *infringens cautibus uncas Exsuperat juga dira manus.*

181. *Spectaveris* non pendet a *quum*, nec est præteritum subjunctivi, sed futurum, et ἀπόδοσιν prioris membri continet, hoc sensu: *quum* octo menses a partu elapsi *validis insistere cruribus* passi fuerint, *mox* vel tum *spectaveris* fortasse, vel spectabis *catulos illæsis undique membris* esse. — *Tunc rursus conveniet cerealia dona*, h. e. panem *sero miscere*.

184. *Consuescant*, sc. canes. — *Ligari libera colla*, græcismus notus. — *Conc. ferre gradus*, juncti inter se, jugiter procedere, quando educuntur ad venatum. Virg. Georg. III, 167: *Junge pares, et coge gradum conferre juvencos.* — *Clausique teneri.*

Jam quum bis denos Phœbe reparaverit ortus,
Incipe non longo catulos producere cursu;
Sed parvæ vallis spatio, septove novali.
His leporem præmitte manu, non viribus æquis,
Nec cursus virtute parem, sed tarda trahentem
Membra, queant jam nunc faciles ut sumere prædas.
Nec semel indulge catulis moderamine cursus;
Sed donec validos etiam prævertere suescant,
Exerceto diu, venandi munera cogens
Discere, et emeritæ laudem virtutis amare.
Nec non consuetæ norint hortamina vocis,
Seu cursus revocent, jubeant seu tendere cursus.
Quin etiam docti victam contingere prædam,
Exanimare velint tantum, non carpere sumptam.

Varro, lib. I, cap. 21, R. R. *Canes consuefacias potius noctu vigilare, et interdiu clausos dormire, et catena vinctos esse, ut soluti acriores fiant.* Ed.

187. *Producere* de primo experimento rei, ut de avi pullos suos producente, Ovid. Met. VIII, 213.— *Parvam vallem* aut *septum novale* designat catulo immittendo, ne lepus longius evadat, aut canis tiro nimio cursu fatigetur: loquitur autem hic de Vertago.

191. *Faciles sumere p.* facili labore et citra magnam contentionem capere. In Nemes. fragm. de Aucup. 21, *præda est facilis et amœna scolopax.*

192. *Moderamina* corrigit Heins. et Johns. — *Nec semel* hoc facito, ut moderato, quemadmodum dixi, cursu catulorum viribus et ætati pareas, sed sæpius ita exerceto. — *Indulgere* est obsequi et accommodare se alterius ætati, captui, viribus. — *Moderamen cursus* est illa ejus moderatio, qua non permittitur nisi parva in valle, vel septo novali, et in leporem imparem viribus.

194. *Ven. munere* A. Gr. P. Vlit.

195. *Emeritæ* est omnibus experimentis spectatæ.

196. *Norint, hortamina, voces, Seu rursus revocent*, etc. Burmann. — *Hortamina* dicit, et vocabula, et imperia venatoris, quibus instigat, revocat, regit canes. Plura ejus generis præscribit Xenophon, l. c. inter quæ; ἰὼ κύνες, σαφῶς γε ὦ κύνες, εὖγε, εὖ κύνες. Ed. — *Hortatus* et *hortari* canes in ea re proprium est. Vid. Ovid. Met. III, 242. — Jo. Schraderus hoc observat Emend. cap. 8, p. 160, et citat Ovid. Met. X, 537; Heroid. IV, 40. Ed.

198. *Quin etiam* sic instituendi sunt canes, ut quem leporem cursu victum apprehenderint, enecent tantum, non etiam discerpere captum et vorare gaudeant. Romæ apud delicatos pretium accedebat lepori, si vivus et leviter læsus domino allatus a cane esset. Hinc in-

Sic tibi veloces catulos reparare memento
Semper, et in parvos iterum protendere curas:
Nam tristes morbi, scabies et sordida venis
Sæpe venit, multamque canes discrimine nullo
Dant stragem; tu sollicitos impende labores,
Et sortire gregem suffecta prole quotannis.
Quin acidos Bacchi latices Tritonide oliva
Admiscere decet, catulosque canesque maritas
Ungere profuerit, tepidoque ostendere soli,
Auribus et tineas candenti pellere cultro.
Est etiam canibus rabies, letale periclum,
Quod seu cælesti corrupto sidere manat,

telligendus Martial. III, 47, 11; XIV, 200.

200. *Hinc tibi* legendum putat Burm.—*Sic*, ea ratione, quam hactenus docui in fetura et educatione canum observandam, *memento semper*, i. e. quotannis, bonorum catulorum genus reparare tibi, eosque porro bene curare: nam, inquit, tristes morbi multos quotannis canes auferunt. Hinc transit ad remedia morborum. Virgil. Georg. III, 70: *Semper enim refice, et sobolem sortire quotannis*, qui locus a Nostro expressus conferri debet. — Vid. etiam Ovid. Met. lib. I, v. 363. Ed.

202. *Tristis morbi scabies, et sord.* A. Gr. P. — *Venis venit*, pro in venas, quia sanguinem quoque inficit scabies. Ed.

203. Conjic. Burm. *multamque cani d. n. Dat stragem*. — *Discrimine nullo* explicat Grat. v. 370: *juxtaque exercitus ingens Æquali sub labe ruit.* — *Dant stragem* hic passive accipiendum, ut *dedit ampla ruinam domus*, Virgil. Æn. II, 310. — *Sortire gregem*, h. e. sortitione et electione comple: versus expressus e Virg. Georg. III, 65 et 71.

206. Unguentum ex oleo et aceto mixtum præscribit scabiei et prurigini arcendæ, quod ὀξέλαιον uno vocant verbo, quale et Serenus Sammon. cap. 7, et Calpurn. Ecl. V, 81. — *Tritonis oliva* a Pallade Tritonide.

208. *Ostendere* est exponere soli.

209. Per *tineas* intelliguntur ricini, a quibus aures canum exulcerari scribit Varro, R. R. II, 9, 14. — *Candenti vellere* vel *evellere* malit Burmann. — *Candentem* cultrum jubet adhiberi, quo et extergantur tineæ, et partes aurium læsæ urantur.

210. Incipit letalis canum rabiei caussas et remedia exponere, in quo Gratium v. 373, seqq. imitatus, sed non assequutus videtur.

211. *Quod seu cælesti corruptio sidere manat*, conj. Burm. — *Corruptum sidus cæleste* est ipsum cælum sive aer, *segnibus*, i. e. languidis et minus ignitis Phœbi radiis, qui esse solent deliquium patientis, corruptus. Addit *attonito orbe*, quod de-

Quum segnes radios tristi jaculatur ab æthra
Phœbus, et attonito pallens caput exserit orbe;
Seu magis ignicomi candentia terga Leonis
Quum quatit, hoc canibus blandis inviscerat æstus:
Exhalat seu terra sinu, seu noxius aer
Caussa mali; seu, quum gelidus non sufficit humor,
Torrida per venas concrescunt semina flammæ.
Quidquid id est, imas agitat sub corde medullas,
Inque feros rictus, nigro spumante veneno,
Prosilit, insanos cogens infigere morsus.
Disce igitur potus medicos, curamque salubrem.
Tunc virosa tibi sumes, multumque domabis
Castorea, attritu silicis lentescere cogens.
Ex ebore huc trito pulvis sectove feratur,

fectionem solis prodigium terrificum et variarum pestium caussam habebant Veteres.

213. *Orbi* vult Barth.

214. *Seu magis*, ubi sol ardentissimus est, signum Leonis ingressus, *æstus hoc* malum canum visceribus insinuat. — *Candentia terga*, ut supra v. 164 candentem axem; eodem sensu.

215. *Quatit*, premit, Sen. OEdip. vers. 40. — *Immiserit* conj. Pith. *Immiserat* citat B. — *Inviscerat*, immittit visceribus, solitarium vocabulum, formatum ut *illatebrare* apud Gell. XVII, 2, *insinuare* Apuleii, *incorporare* Solini; infra v. 297, *rapiat per viscera*. — Contrarium *eviscerat* habent Virgil. Æn. XI, 723; Sil. Ital. XII, 847. Ed.

216. *Terra sinus* omnes antiqui. *Seu terra, situ seu noxius* vult B. — Correctionem Johnsonii sequuti sumus et Heinsii ad Ovid. Metam. IV, 393. Ed.

217. *Quum gelidus non suff. hum.* i. e. quum satis aquæ gelidæ non præsto est ad restinguendam sitim, quæ ipsa rabiei principium est. Vid. Grat. 388.

218. Heins. hic malebat *crudescunt* vel *inolescunt sem.* quia *concrescere* mox redit vers. 226. — *Concrescunt*, densantur atque exasperantur.

219. *Agitat*, sc. hoc letale malum, *imas medullas*, intima viscera. — *In feros rictus pros.* vermiculum respicit, de quo Grat. v. 387. — *Nigrum venenum* sæpe dicitur, quasi letale, sed hic maxime ob atræ bilis copiam.

223. *Virosa castorea*, ut apud Virgil. Georg. I, 58, sunt fetida et graveolentia, de quibus late Plin. XXXII, 3. — *Domabis*, conteres et comminues. — *Lentescere cogens*, i. e. terens et subigens eo usque, dum lenta et tenuis massa fiat: sic *lentos orbes* pistilli in tritis mollitisque herbis circumacti vocat auctor Moreti, v. 111.

Admiscensque diu facies concrescere utrumque;
Mox lactis liquidos sensim superadde fluores,
Ut non cunctantes haustus infundere cornu
Inserto possis, furiasque repellere tristes,
Atque iterum blandas canibus componere mentes.
  Quin et Tuscorum non est extrema voluptas
Sæpe canum: sit forma illis licet obsita villo,
Dissimilesque habeant catulis velocibus artus;
Haud tamen injucunda dabunt tibi munera prædæ:
Namque et odorato noscunt vestigia prato,
Atque etiam leporum secreta cubilia monstrant.
Horum animos, moresque simul, naresque sagaces
Mox referam; nunc omnis adhuc narranda supellex
Venandi, cultusque mihi dicendus equorum.
  Cornipedes igitur lectos det Græcia nobis,
Cappadocumque notas referat generosa propago,

226. *Admiscens diu*, sc. terendo et circumagendo.—*Sensim superadde*, per partes, instillando. — *Non cunctantes haust.* i. e. liquidos, non adhærentes. — *Infundere cornu inserto* mutuatus est a Virgil. Georg. III, 509: apud Colum. VI, 10, 1, *bovi facta sorbitio per cornu infunditur.*

231. Finitis his, quæ de canibus velocibus voluerat, ante quam ad equos transeat, pauca de canibus sagacibus interponit. Tuscorum vel Tyrrhenorum canum nemo alius meminit.

232. *Sed forma illis* Scalig.

233. *Dissimiles velocibus artus*, sc. breves sunt, informes et villosi.

234. *Prædæ* B. Vlit. Heinsius per appositionem malebat *prædam.*

235. *Odorato prato*, quod odorem ferarum vestigiis inhærentem servat. Gratius v. 223 vocat *signa vapore ferino Intemerata.*

238. *Supellex venandi*, arma Gratio vocantur, retia, plagæ, pedicæ, venabula, cultri, galeri, cothurni venatorum. — *Cultus equorum* est omnis cura circa equos eligendos, alendos, instituendos. In legendis equis patria præcipue spectatur: itaque de hac incipit.

240. *Det Græcia:* cujus maxime celebrantur equi Thessalici, Epirotici, Argolici, Achæi et Attici. Cappadoces quum primos laudat Nemesianus, Græciæ nomine Asiaticam quoque complectitur, simul ætatem suam prodit, qua Cappadoces equi præcipuo in honore erant. Quapropter etiam Oppian. Cyn. I, 197, eos mire extollit, et æquales Nostro alii scriptores, J. Capitolinus, Claudianus, Vegetius obiter laudant; antiquiores Xenoph. et Grat. minime.

241. Vid. Excursum tertium ad calcem hujus libri.

Armata et palmas nuper grex omnis avorum.
Illis ampla satis levi sunt æquora dorso,
Immodicumque latus, parvæque ingentibus alvi,
Ardua frons, auresque agiles, capitique decoro
Altus honos, oculique vago splendore micantes;
Plurima se validos cervix resupinat in armos:
Fumant humentes calida de nare vapores;
Nec pes officium standi tenet; ungula terram
Crebra ferit, virtusque artus animosa fatigat.
Quin etiam gens ampla jacet trans ardua Calpes
Culmina, cornipedum late fecunda proborum:
Namque valent longos pratis intendere cursus;

242. *Palmas* A. Gr. P. *Palmis* edidit Vlit. et Burm. Barthius ita hunc versum effingit: *Marte decet palmas grex nuperus omnis avorum*. Schwartius conjecit: *Æmathiæ palmas superat grex omnis Achivum*. Vlitius nihil mutat, sed sic explicat: Cappadocum notas referat grex omnis, generosa propago armata et palmis, i. e. instructa palmis avorum; ita ut τὸ *nuper* ad *avorum* referatur. Burmannus e vitiosa scriptura veteris G. Barthii sic legi vult: *Martius et palmas superans grex omnis avorum*. In primis edit. asteriscus est ante *armata*. — *Grex*, com. generis. Ed.

243. Refert nunc notas Cappadocum, sive formam præstantissimam equorum, qualem præter Græcos Xenoph. de re equest. c. 3, et Oppian. Cyneg. I, 173, delinearunt Virgil. Georg. III, 79, ad quem provocat Plin. VIII, 42; Varro, R. R. II, 7; Colum. VI, 29; denique Calpurn. VI, 52: quos conferre inter se et cum Nostro comparare poterit, cui otium est. — *Ampla æquora* dicit planum et spatiosum dorsum, quo pertinet *duplex spina*, quæ ab aliis laudatur.

244. *Immodicum*, mutuatum a Virgil. *tum longo nullus lateri modus*. —*Ingentibus*, quamvis ingentes sint. — *Agiles*, sc. quum micat auribus. —*Cap. dec. altus honos*, caput elatum et quasi ex alto despiciens.—*Plurima* in maxima sui parte, h. e. valde, prorsus. Vid. Grat. 30. — *Resupinat*, incurvat se, quo fiat ὑψαύχην. Sic Homero ἐριαύχενες ἵπποι. Ed.

249. *Nec pes*, etc. His respexit Virgil. Georg. III, 84, *stare loco nescit*, et 87, *cavatque tellurem*. Horum caussa generosa indoles, impatiens quietis; hinc addit, *virtus artus animosa fatigat*, i. e. assidue incitat et agit, ut quiescere non possint.—Παραφράζει illud Maronis, l. c. *micat auribus, et tremit artus*. Ed.

251. Gens ampla sunt universi Hispani, qui Olympio in Africa scribenti erant trans Calpen, quæ est una columnarum Herculis.

253. Velocitatem æque ac formam in equis Hispanis laudat, eosque suppares et similes facit Graiis

Nec minor est illis, Graio quam in corpore, forma.
Nec non terribiles, spirabile flumen, anheli
Provolvunt flatus, et lumina vivida torquent,
Hinnitusque cient tremuli, frenisque repugnant;
Nec segnes mulcent aures, nec crure quiescunt.
Sit tibi præterea sonipes, Maurusia tellus
Quem mittit, modo sit gentili sanguine firmus;
Quemque coloratus Mazax deserta per arva
Pavit, et assiduos docuit tolerare labores.
Nec pigeat, quod turpe caput, deformis et alvus
Est ollis, quodque infrenes, quod liber uterque,
Quodque jubis pronos cervix diverberet armos.

et Cappadocibus. — De Celtibericis loquitur Strab. lib. III, καὶ γὰρ ταχεῖς εἶναι, καὶ εὐδρόμους μᾶλλον τῶν ἄλλων. Et Oppianus, Cyn. I, 278, Πάρθοισι μέγα προφέρουσιν Ἴβηρες. Ed.

254. *Grato pro corpore fama* G. et B.

255. *Lumen anheli* Vlit. *Flumen abunde* G. *Flumen anhelis* B. vel totum v. delet. *Flumen anheli* amplectitur Johns. — Sic recte constituitur lectio hujus versus a Johnsonio. Describit poeta ingentem spiritum equi magnanimi ex nimio calore et conatu laborantis, sequiturque Maronem, Georg. III, 85, *Collectumque premens volvit sub naribus ignem.* — *Lumen* Vlitii debilius est, quam quod satis conveniat τῷ *terribiles*: *flumen* aptius τῷ *spirabile*; sic enim *humentes vapores* vocavit v. 248.

257. *Tremuli*, subito ardore percussi. Virg. *tremit artus*, Georg. III, 84. Tremor et pavor poetis vigoris et audaciæ indicium.

258. *Mulcent* displicet Burmanno, et *tollunt*, aut *motant*, aut aliud simile desiderat. — In *mulcent aures* mulcere notat componere, sternere, placare, ut Virgil. Æn. I, 66, *mulcere fluctus*, et Calpurn. VIII, 53, *mulcere querelas* dixit. *Nec* igitur referendum est ad *mulcent*: non illi remittunt et adsternunt aures, ut ignava animalia, sed *micant auribus*, ut Virgilius ait: *aures agiles* supra v. 245.

259. *Maurusia tellus*, Mauritania. — *Firmus*, i. e. solidus et totus, non diversis parentibus, nec admixto sanguine alieno ortus.

261. *Mazax* Mauritaniæ populus. — *Coloratus*, niger et sole perustus. Ut Mazaces hic Nemesianus, ita fere Numidas describit Grat. 519.

263. *Deformior alvus* G. et B.

264. *Est ollis*, de utroque loquitur, Mauro et Mazace. — *Liber uterque* habenis et vinclis, et nulla disciplina domitus. Virg. Æn. XI, 493.

265. Johns. cum Gronovio sic mutat: *Quodque jubas pronis cervix diverberet armis*. Burm. vult *everberat*. — *Diverberet* h. l. significare videtur, utrinque verberet, quasi sit compositum ut dilogia, diverbium, dispicio. — Sed in addendis dicit

Nam flecti facilis, lascivaque colla sequutus,
Paret in obsequium lentæ moderamine virgæ:
Verbera sunt præcepta fugæ, sunt verbera freni.
Quin et promissi spatiosa per æquora campi
Cursibus acquirunt commoto sanguine vires,
Paullatimque avidos comites post terga relinquunt.
Haud secus effusis Nerei per cærula ventis,
Quum se Threicius Boreas super extulit antro,
Stridentique sono vastas exterruit undas,
Omnia turbato cesserunt flamina ponto;
Ipse super fluctus spumanti murmure fervens,

Wernsd. Non accurate mihi videor significatum verbi *diverberet* indicasse, et parum apte vocabula *dilogia* et *diverbium* pro exemplis posuisse. Existimo potius particulam *dis* in compositione verborum vim augendi et amplificandi habere, ita ut *diverberet* sit valde, assidue et ubique verberet, quemadmodum in verbis *dispicere*, *dissuaviari* et aliis fit. Sic Lact. Inst. div. lib. II, cap. 7, 20: *Antronius Maximus quidam diverberatum servum sub furca medio circo ad supplicium duxerat.* Statius in pari re verbo *adverberat* utitur, Theb. IX, 685: *Venator raptabat, equus quem discolor ambit Tigris, et auratis adverberat unguibus armos.* Ed.

266. *Lascivaque colla solutus* malit Burm. — *Lascivaque colla sequutus*, h. e. flectens et vertens se ad tactum virgæ in lascivo collo, quod facillime quovis tactu afficitur, quasi per ludum. Vid. Sil. Ital. I, 216.

268. *Fugæ.* Fugere pro currere, et fuga pro cursu solenne poetis. Virg. Georg. III, 142. *Latumque fuga consumere campum*, infra v. 289. Ed.

269. *Permissi* voluerunt Heinsius et Johns. ac retulerunt ad equos, ut immissi campo intelligantur. Sed et ferri potest *promissi campi*, i. e. longi, porrecti, patentis, ut *latum campum* v. 289 dicit.

271. *Paullatim pavidos*, G. — *Avidos* intellige victoriæ.

272. Equum Numidicum illatum campo et cursu omnes vincentem comparat cum Borea, qui super alios ventos exortus in mare, horrendo flatu exterret æquora, ut reliqui cedant venti, ipse solus regnet pelago, et omnes eum Nereides mirentur. Facta comparatio ad exemplar Virgilii, qui Georg. III, 196, ipse velocitatem equi Aquiloni comparat.

273. Subintelligendum est *mare* post *super*. Ed.

274. Deest hic versus in G.

275. *Flumina* omnes vetustiores, nullo sensu. *Flamina* correxit Vlit. *Numina* conj. B.

276. *Ipse*, sc. Boreas. — *Fervens* accipio de concitato impetu ruentis super fluctus Boreæ, quo sensu et cursus et curriculum rotarum fervere dicitur. Confirmat, quod sequitur, *euntem spumanti murmure*, quod spumas ventus in agitato mari excitat.

Conspicuum pelago caput eminet; omnis euntem
Nereidum mirata suo super æquore turba.
Horum tarda venit longi fiducia cursus;
His etiam emerito vigor est juvenilis in ævo :
Nam quæcumque suis virtus bene floruit annis,
Non prius est animo, quam corpore, passa ruinam.
Pasce igitur sub vere novo farragine molli
Cornipedes, venamque feri, veteresque labores
Effluere adspecta nigri cum labe cruoris.
Mox lætæ redeunt in pectora fortia vires,
Et nitidos artus distento robore formant;
Mox sanguis venis melior calet; ire viarum
Longa volunt, latumque fuga consumere campum.

277. *Eminet*, super omnes, qui jam oppressi sunt, ventos, tanquam *caput* late *conspicuum pelago*, ut qui nunc conspicitur dominatum maris præcipue exercere : quapropter et omnis euntem Nereidum turba miratur. —Vid. Hor. Carm. III, 16, 19: *Late conspicuum tollere verticem*. Ed.

279. Hi Mazaces, vel Mauri, tarde ad eam virium maturitatem perveniunt, ut tuto iis fidere longo in cursu possimus; sed eam semel assequuti servant diutissime, et vigor juvenilis etiam ea ætate manet, qua emeriti videri poterant. — Utrumque de Cappadocibus canit Oppian. Cyneg. lib. I. Ed.

281. Sententiæ hujus, qua poeta præclare rem ornat, præcipua vis est in verbis *suis annis*, i. e. maturis, l. justo tempore, quod virtuti ad ἀκμὴν perducendæ debetur; nam quæ præcox et præmatura est, eadem non diuturna.

283. *Farraginem* Veteres equo dare jubent verno tempore ad purgandum, prius quam vena pulsetur. Vid. Varr. R. R. II, 7, et Veget. Veterin. I, 22. Est autem farrago, Isidoro auctore, lib. XVII, c. 3, herba hordeacea adhuc viridis et semimatura. —Adde locum Varronis de R. R. lib. I, cap. 31 extr. Ed.

284. *Veteres labores* sunt mala, quibus laborat equus ex veteri corruptoque sanguine.

285. *Tabe*, quasi tabo, G. — *Niger cruor*, vitiosus.

286. Trajicit G. *fortia pectora*.

287. *Firmant* G. *Distento robore*, id est, diffuso in venas et artus bono succo, ex quo robur. — *Formant*, id est, plenos et pingues reddunt, ut *formare* se luna, quum plena fit, dicebatur supra v. 130.

289. *Fuga*, i. e. cursu; vid. ad v. 268. — *Consumere campum* est totum celeriter percurrere, ea metaphora, qua degustari dicuntur, quæ inchoantur. Et plane ad eamdem rationem Virg. Georg. III, 142, *carpere prata fuga* : et alio sensu, ibid. v. 325 : « carpamus rura ». Ed.

Inde ubi pubentes calamos duraverit æstas,
Lactentesque urens herbas siccaverit omnem
Messibus humorem, culmisque armarit aristas;
Hordea tum, paleasque leves præbere memento.
Pulvere quin etiam puras secernere fruges
Cura sit, atque toros manibus percurrere equorum,
Gaudeat ut plausu sonipes, lætumque relaxet
Corpus, et altores rapiat per viscera succos:
Id curent famuli, comitumque animosa juventus.
Nec non et casses iidem venatibus aptos,
Atque plagas, longoque meantia retia tractu
Addiscant raris semper contexere nodis,

290. *Duraverit*, sc. ad maturitatem, cujus ratio amplius exponitur versu seq.

291. *Lactentes*, lacte, succo plenas. —*Urens herbas*, i. e. torrens, ut Virg. Æn. VII, 720, *sole novo torrentur aristæ: urere* Virgilius magis de vitio segetis usurpare, ni fallor, solet.

292. *Mensibus* A. St. Gr. P. *Messibus* correxit Vlit. et ita G. et B. — *Messibus*, ad messes, ut jam demeti possint; messis enim pro densis aristis et fruge adhuc demetenda. Ed.

295. *Manibus percurrere*, stringere et percutere. Per *toros* non cervicem solum, sed et reliquum corpus, tergum et crura, intelligit, quæ diligenter destringi jubet Xenoph. περὶ ἱππικ. — *Gaudeat ut plausu*: poppysmum intelligit. Est enim hoc ingenium equorum ut plurimum ducantur et exsultent laude et blanditiis. Vid. Virg. Georg. III, 186, et Æn. XII, 85. — *Relaxet Corpus*: gaudio concitatior fit spiritus et sanguis, et dum liberius permeat corpus, laxius efficit; atque hinc altores succi facilius diffunduntur venis.

298. Dum equi bene curandi officium, hactenus expositum, delegat famulis, hac occasione transit ad cætera eorum munia in retibus conficiendis, et reliqua supellectile venatoria. Quos famulos et comites Nemesianus, Gratius dicit *socios* v. 335, Græci συνεργούς. Vid. quæ notavi ad Grat. 219: nec carere plurium officio potuit venatio, et comitibus in venatum eductis Hippolytus sua munia distribuit apud Senecam, Act. I. Gratius præterea magistrum canum venaticorum memorat, eumque juventuti silvas domituræ præpositum, v. 328, nec vile ejus arbitrium dicit.

299. *Venatibus aptos*. Ovid. Epist. Œnon. *saltus venatibus aptos*. Ed.

300. *Longo meantia r. tr.* exposuimus ad Grat. 219, ut alia, quæ hic sequuntur passim. — *Maculas* interpretantur esse foramina, sive apertur as retium inter nodos.—*Servare modum maculis* est curare, ut sint omnes aptæ, nec nimis parvæ vel magnæ. — *Lino tenaci*, i. e. nexo et complicato, quo constant maculæ, ne ruptum aut nimis constrictum sit.

Et servare modum maculis, linoque tenaci.
Linea quin etiam, magnos circumdare saltus
Quæ possit, volucresque metu concludere prædas,
Digerat innexas non una ex alite pinnas:
Namque ursos, magnosque sues, cervosque fugaces,
Et vulpes, acresque lupos, ceu fulgura cæli
Terrificant, linique vetant transcendere septum.
Has igitur vario semper fucare veneno
Cura tibi, niveisque alios miscere colores,
Alternosque metus subtemine tendere longo.
Dat tibi pinnarum terrentia millia vultur,
Dat Libye, magnarum avium fecunda creatrix;
Dantque grues, cycnique senes, et candidus anser;
Dant, quæ fluminibus crassisque paludibus errant,
Pellitosque pedes stagnanti gurgite tingunt.

303. De linea et formidine satis actum ad Grat. v. 27 et 83. Plane sic loquitur Seneca, Hippol. 46: *picta rubenti linea pinna Vano claudat terrore feras:* et conf. alterum Sen. de Clem. I, 12.

305. *Digerat*, circum circa digestas et dispositas habeat.

307. *Ceu fulgura cæli terrificant:* propter pinnarum versicolorum splendorem. Conf. Grat. 78.— *Lini septum* totam indaginem, quam Latini vocant, retibus, cassibus simul ac formidine constantem, significat. Auson. epist. IV, 27: *circumdas maculis, et multa indagine pinnæ. Transcendere septum* Seneca de Clem. l. c. dicit *proculcare formidinem*.

309. *Fucare*, tingere, colorare. Vid. Grat. 86. — *Venenum*, sicut et fucus, pro quovis pigmento. —

311. *Subtegmina tempore longo* A. St. Gr. P. *Subtemine tempore* G. *Subtegmine tendere* Vlit. *Jungere* conj. Gron. *Ponere* B. in Advers. — *Alternos metus*, i. e. formidines s. pinnas diversi coloris alternatim et mixtim positas. — *Subtemen longum* est longa series pinnarum funiculo connexa et subtexta alteri.

313. *Magnæ aves*, struthiones, quorum etiam pennis usi sunt ad formidines.

314. *Cycni senes*, quia plumæ eorum incanæ; supra v. 37, *Cycnum plumamque senilem*. — *Senes cycnos* etiam dixit Martial. Epig. V, 37, 1. Ed.

315. Describit aves aquaticas et palustres, quarum *pelliti pedes*, digitis pelle vel membrana tenui conjunctis; anates, fulicas, mergos intelligit: nam *hinc*, i. e. ex aquaticis, sumi posse, ait, plumas punicei coloris, *nativo munere*, non arte et fuco quæsiti, quales maxime anatum aliarumque palustrium sunt. Vid. Gesneri lib. de avibus.

Hinc mage Puniceas nativo munere sumes;
Namque illic sine fine greges florentibus alis
Invenies avium, suavique rubescere luto,
Et sparsos passim tergo vernare colores.
His ita dispositis, hiemis sub tempus aquosæ,
Incipe veloces catulos immittere pratis,
Incipe cornipedes latos agitare per agros:
Venemur, dum mane novum, dum mollia prata
Nocturnis calcata feris vestigia servant.

317. Pro *munere* Barthius conjicit *murice:* et ita Heinsius.

318. *Illic* in fluminibus et stagnis. — *Florentibus alis*, versicoloribus, pictis ut flores; tale verbum etiam est, quod sequitur, *vernare.*

320. *Venare colores* A. St. Gr. *Vernat ager*, apud poetas, est variis floribus pictus. Posses etiam hic legere *variare.*

321. *His ita dispos.* hoc parato instrumento venatorio. — *Hiemis* tempus venationi maxime opportunum censetur: quod multa poetarum loca indicant. Intelligit autem hiemem incipientem, quo etiam aucupium inchoat. Nemes. fragm. 19: *Quum nemus omne suo viridi spoliatur honore.* Xenophon Κυνηγ. c. 5; Pollux, cap. 6, et Oppian. Cyn. l. I, nullum anni certum tempus, præter vernum, commendant.

323. *Cornipedem* volebat Heins.

324. Respicit Virg. Georg. III, 325, *rura Carpamus, dum mane novum, dum gramina canent:* item Senecam, Hippol. 39: *dum lux dubia est, dum signa pedum roscida tellus impressa tenet.* Nempe mane novo exeundum, quia tum vestigia ferarum recentia sunt, quæ paullatim evanescunt. Xenoph. c. 6: ἐξιέναι δὲ πρωΐ, ἵνα τῆς ἰχνεύσεως μὴ ἀποστερῶνται· et conf. Grat. v. 223.

EXCURSUS I

AD NEMESIANUM, v. 64.

........Divi fortissima pignora Cari.

DEFUNCTO Imperatore Caro, et filiis ejus Carino et Numeriano imperium tenentibus, Cynegeticum suum scripsisse Nemesianum, hæc verba indicare videntur : etenim non solum Divi appellatio, mortuum tum fuisse Carum, ostendit, sed ipsa etiam dedicatio docet, qua minime decebat, si in vivis erat Carus, eo præterito omnem honorem filiis Cæsaribus deferre, atque iis solis, ut hac digressione fit, res bello gestas, nulla Cari, qui eas auspicatus erat, mentione facta, tribuere. Sed sunt alia tamen, quæ hujus sententiæ rationes valde turbent. Carinus, cui Carus ad bellum Persicum profectus Occidentis imperium commiserat, haud diu illud, patre mortuo, tenuit; Numerianus, patrem comitatus in expeditionem, paullo post hujus excessum, in reditu ex Oriente, scelere Apri soceri sui, exstinctus est. Tam exiguum temporis spatium, quod a Cari obitu ad Numeriani necem intercessit, vix quispiam sufficere arbitrabitur condendo operi tam longo, quale est Cynegeticon, eoque pulvinaribus Augustorum digno ; et inchoasse tantum his Principibus, et mortuo Numeriano imperfectum reliquisse, quale nunc exstat, vix credibile est, quod Nemesianus alia, cum Cynegeticis conjuncta, scripsisse apud Vopiscum dicitur, ἁλιευτικὰ et ναυτικὰ, quæ, quoniam Cynegetica præcipua et primaria venationis pars sunt, non videntur, nisi his absolutis, ab eo scripta esse. Quin hæc omnia jam exstitisse in publico et nota fuisse, Caro ejusque filiis viventibus, ipsa Vopisci verba declarare videntur, qui nominatis Cyne-

geticis, aliisque a Nemesiano scriptis, vult ostendere, eam jam tum famam ejus fuisse, quæ admirationem Numeriani, cum eo contendere ausi, valde augeret: neque enim ex aliis, quam ex his majoribus carminibus Nemesianus famam, qua Numeriani tempore claruit, assequutus videtur, qui ipse Cynegetici versu 59 fatetur, ante hæc scripta se in parvis et ignobilibus rebus elaborasse. Relinquitur, ut Cynegetica vivo adhuc Caro Imp. scripta et perfecta esse existimemus. Quod autem filiis Cari apprime gratus et familiaris fuisset, voluit, his ad imperium accedentibus, dedicando opere suo eorum gratiam demereri, atque adeo exordium, quo eorum res gestas extulit, vel addidit demum absoluto Cynegetico, vel post mortem Cari repetita prælectione ejus denuo edendi, et laudibus Cæsarum ornandi consilium cepit. Certe apparet, totum illud exordium, quo in laudes Carini et Numeriani digreditur, eo tempore factum esse, quo nuntiata Cari morte, et confecto bello Persico, adventus Numeriani Romæ exspectabatur, et fama ejus interfecti nondum percrebuerat; vid. v. 77, seqq. Quum Vopiscus et Aur. Victor referant, mortem Numeriani fraude Apri soceri diu studioseque occultatam esse, mirum non est, si Romani in magna et diuturna spe felicis ejus reditus fuerunt. In ea exspectatione maxima quæque et amplissima expeditionis Persicæ munera, facta infectaque, prout vel incertus spargebat rumor, vel adulatio suggerebat, finxit et præcepit Olympius, unde in laudibus Cæsarum ita exsultat ejus oratio, ut tanquam prægestire et triumphare ante eorum triumphum videatur. Quæ omnia tamen quum paullo post tristis nuntius de interitu Numeriani everteret, et Nemesianus mutatum mox imperium, præsidium suum ablatum, et brevem fortunam suam, brevem libelli sui gratiam futuram videret, vix potuit e tam sinistro omine fiduciam persequendi operis, si tum inchoaverat tantum, concipere, ut consummare illud et edere vellet. Quod autem, id totum olim exstitisse, una cum Halieuticis et Nauticis, e Vopisco constat, hinc apparet, Caro adhuc vivente absolutum esse, et parte illa exordii, quæ Carini et Numeriani laudes canit,

post illius excessum addita, editum esse antequam Numeriani mors nuntiaretur. Certe abesse hanc partem posse, salvo carminis tenore, facile apparet, si versus 86 seqq. *Tu modo quæ saltus*, etc. post versum 62 legantur.

EXCURSUS II

AD NEMESIANUM, v. 91.

Sit chlamys aurato multum subtemine lusa,
Corrugesque sinus gemmatis balteus arctet
Nexibus.

Descripsit hactenus Nemesianus habitum Dianæ venatricis, qualem plerique alii poetæ, et præcipue vetustus ille Livius Andronicus pinxit, notissimis versibus a Terentiano Mauro, pag. 2426 Grammat. Putsch. servatis, quos omnino ante oculos habuisse Noster atque expressisse videtur:

Et jam purpureo suras include cothurno,
Balteus et revocet volucres in pectore sinus;
Pressaque jam gravida crepitent tibi terga pharetra;
Dirige odorisequos ad certa cubilia canes.

Sed paullo diligentius consideranda sunt, quæ Nemesianus de chlamyde et balteo Dianæ dicit, eo quod non satis accurate hæc explicata a doctis viris videntur. *Chlamys* venatorum vestis est, qua induti venatum exeunt Dido apud Virg. Æn. IV, 137, et Picus apud Ovid. Metam. XIV, 345. *Aurato subtemine lusa* est, quæ lusu quodam artis fila deaurata intexta habet. *Vestes illusas auro* vocat Virg. Georg. II, 464; et *picturatas auri subtemine vestes*, Æn. III, 483. Videtur exprimere Aurelius, quam Callimachus, Hymn. Dian. v. 11, vocat λεγνωτὸν χιτῶνα Dianæ, quam explicat virgis vel tæniis aureis intextam, et in iconibus veteris æris observari docet

Spanhemius ad h. l. Tunicam tantum vel χιτῶνα ad genua usque succinctam Diana apud Callim. l. c. a patre Jove petit, non chlamydem, et propterea, qua venandi præses est, Χιτώνη Ἄρτεμις vocatur; Callim. hymn. in Jovem, v. 77. Inde apparet, quam Nemesianus Dianæ tribuit, chlamydem non proprie dici, sed poni pro tunica, ut dudum vidit et annotavit Vlitius : tunicæ enim conveniunt *sinus*, nec *balteo* chlamys adstringitur, quæ brevis est, et circa humeros volat. Omnino ex veterum monimentorum iconibus, quales multas proposuit Spanhemius ad Callim. habitus Dianæ cognoscendus est, neque cum illo comparandus, quo Dido apud Virgilium et venatores alii apud poetas venatum exeunt. Apud Virg. Æn. IV, 137, Dido non solum chlamyde induta est, sed et *purpuream subnectit fibula vestem*. Hic nempe non *balteus sinum vestis arctat*, sed fibula inferiorem vestis oram, quæ alias ad talos defluit, ex parte substringit altius et nectit, ut gressus sit expeditior. Aliter Diana. Quæ ubi κυνηγὸς seu ἐλαφηβόλος pingitur, nunquam chlamyde induta apparet, sed sola tunica, eaque ad genua usque substricta duplici cinctu, quum contra φωσφόρος vel δᾳδοῦχος Diana tunicam ad talos defluentem habeat. Didonem, reginam, multis viris comitantibus in silvas exeuntem non decebat eo habitu pingere, quo Diana solet, semper venatrix, et Nymphas comites assiduas habens. Dabat igitur Virgilius, quod dignitas postulabat, chlamydem, et vestem interiorem fibula subnectebat. In Dianæ plerisque simulacris gemini cinctus apparent tunicæ, unus sub pectore, in ventre alter, quibus tunica non succingitur solum et corripitur, sed arctatur etiam et adstringitur corpori. Qui in pectore conspicitur cinctus, plane tam latus est, ut balteus, quem Nemesianus hic nominat, possit intelligi. Et cætera poetæ verba, si duplicem cinctum excipias, cum vetustis iconibus conspirant. *Balteus* ille *arctat sinus*, ne putemus modo suspendi eos et levari, quod fibula fit in veste Didonis; *corruges* sinus autem sunt deorsum crispati et complicati ex adstrictione cinguli. Non igitur ad explicandum Dianæ habitum hic descriptum pertinent, quæ a prioribus Nemesiani interpretibus

hic allegari loca solent, ut Virg. Æn. I, 320, *nodoque sinus collecta fluentes;* et Æn. IV, 139, *Aurea purpuream subnectit fibula vestem:* item Statii Theb. IV, 266, *Undantemque sinum nodis irrugat Iberis.* Nam hæc omnia de fluente sinu vestis sursum collecto et fibula subnexo agunt, non de balteo vestem substringente simul et corrugante. Accuratius habitum Dianæ venantis exprimit, et simul Nemesianum illustrat Claudianus, de Rapt. Proserp. lib. II, 33:

> Crispatur gemino vestis Gortynia cinctu
> Poplite fusa tenus.

Crispata vestis est *corrugis* Nostro, et quod hic *balteus*, ibi *cinctus* est. Quod addit Olympius, *gemmatis nexibus*, mera est descriptio baltei, quem gemmis vult esse distinctum, aut fibula, quæ et gemma est, instructum, qua ipse nectatur. Disputata hactenus sufficient ad tollendas interpretum, Vlitii maxime, fluctuationes. Si ex frequentissimis Dianæ venantis iconibus, a vetustate relictis, rem judicamus, non chlamydem, sed tunicam Dianæ, Nemesianus balteo adstrictam dixit, et chlamydem nominavit pro tunica. Exstant tamen simulacra Dianæ, quæ magis convenire cum Nemesiani verbis videntur, ubi Diana chlamydem habet curtæ inductam tunicæ, et utramque corrugatis laciniis balteus pectori subjectus uno cinctu continet et adstringit: quale est marmor a Spanhemio ad Callim. Dian. v. 104 productum. Sed in ejusmodi simulacris Diana sistitur pleniore ornatu Deæ venatricis, non, qualem hic Nemesianus vult, parata ad venandum, aut ipso actu feras persequens. Itaque etiamsi Nemesianus recte sibi visus sit chlamydem Dianæ tribuere e quadam antiquitatis auctoritate, non tamen perspexisse discrimen videtur, quod vetustas ipsa inter imaginem Dianæ venatricis, et ejusdem actu venantis habitum observavit; quanquam ne hoc quidem discrimen semper servare veterum monumenta solent: nam in nummo Gordiani junioris a Daldianis cuso, qui inter nummos majores Cimeliarchii regii Paris. tab. 26, et ab Harduino in num. pop. et urb. illustr. pag. 600 proponitur, Diana cervos venatu persequens non

solum tunicam gemino cinctu substrictam habet, sed et chlamydem leviter ex humeris volantem, eoque propius accedere ad Nemesiani descriptionem videtur.

EXCURSUS III

AD NEMESIANUM, v. 241.

> Cappadocumque notas referat generosa propago;
> Armata et palmas nuper grex omnis avorum.

Hic vexatissimus totius poematii et fere desperatus locus ita doctos viros exercuit, ut, quot ad eum accesserint interpretes, tot novos ejus emendandi explicandique modos repertos esse videamus. Diversas sententias in var. lect. memoravimus, sed omnes non potuimus. In loco manifeste corrupto, qualis hic est, et in scriptore, qualis est Nemesianus, ubi nullum emendandi a scriptis et vetustis codicibus auxilium est, infinita non modo sed inanis quoque et nullius usus conjectandi industria videtur, et intactus potius is locus relinquendus est, nisi ratio reperiri possit ejusmodi, quæ minima cum literarum mutatione emendet, planissimeque intelligatur. Ipse nunc, quid effecerim, exponam: facillima quidem omnium, quas vidi, emendationum, et ad scripturam proxime accedens est Gronovii, Observ. lib. III, cap. 13:

> Cappadocumque notas referat generosa propago
> Armenti, et palmas numeret grex omnis avorum.

In hac tamen *armenti* nondum satisfacit, quod eodem versu *grex*, ejusdem notionis vox, sequitur, quæ illud reddat superfluum; tum vero cum literis vocis *armata* non satis convenit. Vult Nemesianus equos e nobilissima stirpe legi, Cappa-

docum maxime, quos tanquam præcipuos ex omni Græcia nominat. His ita similem esse vult *generosam propaginem*, h. e. pullos equorum ad venatum educandos, ut et notas Cappadocum referant, h. e. formæ præstantiam, et virtutes ductas a genere Cappadocum. *Notas* equorum etiam Gratius dicebat, v. 497; phrasin expressit e Virgilio, Georg. III, 128, *Invalidique patrum referant jejunia gnati.* Ad nobilitatem et fortitudinem equorum designandam nihil frequentius est, quam eorum genus, stemmata, patres, avos memorare, fuitque usitatum antiquitus, ut Basilius M. auctor est, Homil. εἰς τοὺς πλουτοῦντας, genus equorum a patribus generosis deducere, ut hominum: Ἵπποι, inquit, παμπληθεῖς, καὶ οὗτοι γενεαλογούμενοι ἀπὸ εὐγενείας πατέρων, ὥσπερ οἱ ἄνθρωποι. Gratius, v. 228, *Thessalium quadriga decus, quam gloria patrum Excitat.* Juvenalis, Sat. VIII, 58:

> Sic laudamus equum, facili cui plurima palma
> Fervet, et exsultat rauco victoria Circo.

His addatur Papin. Statius, Silv. V, 2, 21:

> ....Romulei qualis per jugera Circi,
> Quum pulcher visu, titulis generosus avitis
> Exspectatur equus, cujus de stemmate longo
> Felix emeritos habet admissura nepotes.

Cappadocum equorum celebratissimam nobilitatem plurium scriptorum testimonio probavit Jac. Gothofredus ad Cod. Theodos. lib. X, tit. 6, de grege Dominico. Formosissimi juxta ac velocissimi habebantur, et singulares in Cappadocia alebantur greges, usibus Imperatorum destinati, unde lecti perpetuo mittebantur Romam ad ludos Circenses. Testatur hoc lex allegata de greg. Dom. et alia, lib. XV, tit. 10, de equis curulibus. Auctor veteris Orbis descript. a Gothofredo editus, cap. 21, de Cappadocia: *Mittit vestem leporinam, Babylonicas pelles, et illorum divinorum animalium formositatem.* Intelligit equos Imperatorum, quorum omnia divina vel sacra dici consueverunt. Auctor Itinerarii Hierosol. p. 577, edit. Wesseling: *Cappadociæ,* inquit, *mansio Andavilis, ibi est villa Palmati* (sic legit Gothofr.), *unde*

veniunt equi curules. Et Vegetius, Veterin. IV, cap. 6: *Curribus Cappadocum gloriosa nobilitas.* Ex his facile intelligitur, a Nemesiano pariter nobilitatem equorum Cappadocum a victoriis et palmis in certamine curuli acceptis describi, ita quidem, ut qui ab iis orti sint equi multas numerare avorum suorum palmas possint. Itaque non dubito, quin vitiosa vox *armata,* quæ in priscis exemplaribus asterisco notatur, pro græco ἅρματα *currus* habenda sit, et versus ipse sic legendus:

Harmataque et palmas numeret grex omnis avorum.

nam *currus* a Latinis subinde pro missibus Circensium et victoria curuli positos, æque mihi probabile videtur, atque illud certum est, a Cicerone, Plinio, Floro, aliisque *currum* pro triumpho dictum. Vid. Salmas. Exercitat. ad Solin. p. 271. Vegetius loco ante adducto sic usurpare videtur, atque ubi Cappadocum nobilitatem curribus gloriosam dicit, haud aliam eorum gloriam, quam ludis Circensibus acquisitam significat. Si denique græca vocabula *harmamaxa* et *hamaxari* (Vid. Plauti Trucul. II, 2) a Latinis recepta sunt, haud absurdum videbitur, a Nemesiano etiam græcam vocem ἅρματα admissam. Quod si tamen fortasse hoc cuipiam durum et insolens videatur, eo quod non alia auctoritas vocis illius sermone latino usurpatæ occurrat (1), age, missa hac conjectura aliam vocem illi similem, et argumento nobilitatis æque aptam substituamus hoc modo:

Stemmataque et palmas numeret grex omnis avorum.

Sint, inquit, omnes equi tui e nobilissima fortissimaque stirpe, præsertim Cappadocum, orti, in qua jam multi fuerint palmam fortitudinis adepti. Quæ lectio, quum et vestigiis scripturæ vitiosæ, ipsiusque poetæ menti accommodata, et e similibus aliorum formulis, quibus equorum generositas solet exprimi, petita sit, non video, quæ commodior faci-

(1) A medicis tamen Harma et Harmatium collyrium dictum est, quod ex quatuor rebus constabat, et celeres habebat effectus. Vid. Jo. Rhodium ad Scrib. Larg. comp. 28.

liorque emendatio reperiri, et quid aliud a poeta dici hoc quidem loco potuerit. Non igitur possum Jac. Gothofredi correctionem, in Comment. ad legg. cit. et ad vet. Orbis descript. prolatam, aliter quam coactam et contortam existimare, qua putat, a Nemesiano hoc versu gregem illum equorum designari, qui quondam Palmatii, viri in Cappadocia nobilis et equorum divitis, ætate Valeriani Imperatoris, fuisset, sed proscripto eo confiscatus et sacro stabulo vel usibus Imperatorum dicatus sit, atque hinc *gregis Palmatii, equorum Palmatiorum* vel *sacrorum* nomine appellatus (1). Tale quidem nomen equis Cæsareis in Cappadocia fuisse, ex legibus Codicis Theod. allegatis patet, et Gothofredus propterea in loco Itinerarii Hierosol. ubi *villa Pampali* legebatur, *Palmatii* substituendum arbitratur, unde Nemesiani versum sic refingit:

> ....generosa propago
> Argæa, et palmæ nuper grex nomine sacrum.

Nimirum existimat, hic *gregem sacrum*, h. e. sacrorum vel Imperatoriorum equorum, *palmæ*, i. e. Palmatii *nomine* designatum indicari, et lectionis mutatæ firmamentum e Claudiano petit, laud. Seren. 190:

> ....Dilectus equorum,
> Quos Phrygiæ matres, Argæaque gramina pastæ
> Semine Cappadocum sacris præsepibus edunt.

Sed Gothofredi eam correctionem facile est refellere: primo enim *Argæa* propago equorum, quam scribit, ab Argæo Cappadociæ monte dicta, est ipsa Cappadocum. Quæ igitur præceptio poetæ, propago Cappadocum referat notas Cappadocum? Palmatios equos esse, secundum Gothofredum, Aurelius indicat *palmæ nomine* insignitos, quod ipsum ta-

(1) Eamdem sententiam fovet Th. Reinesius, Epist. LXIX ad Rupert. p. 642. Guido Pancirollus, lib. II Thes. Var. lect. c. 257, equos palmatos ad Palmatum Præf. Urb. A. C. 414, Honorio X et Theod. V Coss. falso refert, oblitus eos A. C. 379, Ausonio et Olybrio Coss. ut liquet ex lege I Cod. Theod. de equis curulibus, in Imperat. patrimonio fuisse. Hæc Thomas Crenius Animadv. Philolog. P. XV, p. 267. Ed.

men rejicit Gothofredus, et Palmatios non a palma sed a Palmatio, viro nobili, nomen accepisse contendit. Vid. Comment. ad leg. de grege Domin. Palmatii equi non erant totius Cappadociæ, sed grex singularis usibus sacris Cæsarum destinatus, quos usurpare, ut ipse Gothofredus ad dictam legem ostendit, nemini privato fas erat. Qui igitur suadere Nemesianus poterat, ut equi venatici ex eo grege sumantur? Et quam obscura hæc et contorta: *propago Argæa,* quæ pascitur ad Argæum, *grex sacrum*, Imperatoriorum equorum, *palmæ nomine nuper,* sc.insignitus. Denique tota illa Palmatiorum equorum ab homine nobili Palmatio ducta appellatio mihi adhuc dubia videtur, quippe non alio, nisi valde recenti testimonio Hesychii Illustr. in V Chron. nixa, quod Glossarium Nomicum a Labbeo editum conservavit. Itinerarium Hierosol. etiamsi villam Palmatii, quod Gothofredus vult, memoret, tamen et illud satis recens est, et, qui Cappadoces equos sacro Cæsarum stabulo lectos memorant, scriptores alii et leges ex ævo omnes Christianorum Imperatorum sunt, et recentiorem adeo illum morem esse innuunt, quam qui significari a Nemesiano potuerit. Sed plura de Palmatiorum nomine afferre longum, nec nostri instituti, foret. Certe mihi, ut hoc tantum adjiciam, non improbanda eorum sententia videtur, qui equos ludis curulibus destinatos existimant *palmatos* esse dictos, quod iis palmæ signum, boni ominis caussa, inustum esset. Et Aug. Buchnerus, Epistol. P. II, 98, post sententias aliorum expensas hanc præcipue probandam putavit. Non aliis equorum generibus æque frequenter ac proprie tribuuntur palmæ, quam Epiri et Achaiæ, quibus in terris certamina curulia celebratissima fuisse constat, Signanter omnino Virgilius, Georg. I, 59, *Eliadum palmas Epirus equarum*, scribit, ubi palmæ equarum vix aliter, quam pro equis palmatis positæ videntur. Et Gratius, v. 531, diserte palma signatos dicit, si proprie accipere ejus verba velimus:

..........quis Chaonias contendere contra
Ausit, vix merita quas signat Achaia palma.

Vix igitur dubitandum, greges Dominicos in Cappadocia, quos serviisse ludis Circensibus certum est, eamdem ob caussam et palma signatos esse, et *palmatorum* nomen accepisse. Quin etiam in nummis quibusdam, quos affert Onuphr. Panvinius de lud. Circens. equorum circensium capitibus palmam, tanquam cristam, impositam cernimus.

SUPPLEMENTUM

EXCURSUS III

DE VOCE *ARMATA*, NEMES. CYNEG. v. 242.

Hactenus mendosum Nemesiani versum 242 ita correxi, ut pro corrupta voce *armata* Græcum ἅρματα vel *harmata* substituendum dicerem, eoque nobilitatem equorum Cappadocum a curribus et victoriis Circensibus peti ostenderem. Neque dubito, quin ea emendatio tum summa facilitate, quæ scripturam vocis non mutat, sed tantum interpretatur, tum aliis, quas adduxi, rationibus satis se æquis judicibus approbatura sit. Desideravi tantum exempla et auctoritates aliorum scriptorum, et præter usum medicorum veterum, quos dixi collyrium aliquod ob celeres effectus Harma vel Harmatium appellasse, neminem tum poetarum Latinorum adducere potui, qui Græcum *harma* pro curru vel celeritate cursus adhibuisset. Postea forte quadam, et aliud agendo, incidi in locum poetæ, quo *harmatium* eo sensu usurpatum, sed vitiosa scriptura huc usque obscuratum et abolitum, intelligebam. Quem locum hoc lubentius nunc adduco, quod eo emendando usum vocis, vix adhuc inveniendæ, asserere priscis scriptoribus, eoque veram ejus lectionem, acutis doctorum virorum conjecturis frustra quæsitam, li-

quido demonstrare licet: nempe Julius Rufinianus de figur. sentent. et eloc. num. XXVI, pag. 216, edit. Ruhnk. hoc fragmentum Lucilii adducit:

> Nam si tu fluctus, undasque e gurgite salso
> Tollere decreris, venti prius Hæmatium,
> Ventum, inquam, tollas.

R. Stephanus et Fr. Dousa legunt: *ventum prius Hæmatium tu*. Ruhnkenius V. C. ita huic ulceri medetur, ut scribendum affirmet: *ventum prius Emathium tu, Ventum, inquam, tollas;* Emathium ventum pro Thracio positum existimans, latius sumpto Emathiæ nomine. Pro Thracio vento etiam accipit P. Burmannus in not. ad Anthol. Lat. Tom. II, pag. 336, qui tamen *Hæmatium* retinet, et ab Hæmo Thraciæ monte ductum putat: et docte quidem cl. Ruhnkenius, quoad fieri hoc loco potuit, emendavit. Sed tamen faciliorem, certioremque emendationem facile requirat, qui verba paullo accuratius consideret. Etenim ventum Emathium uspiam pro Thracio dictum reperiri vix credo, neque caussa apparet, cur vento Thracio jam nominato rursus simpliciter ventum appellet; et, qui in antiqua lectione est, genitivus *venti* jubet in apposita voce *Hæmatium* substantivum, a quo ille pendeat, odorari. Huic autem voci prorsus simile *harmatium*, idemque huic loco aptissimum est, quia, quod maxime vult auctor, vim et celeritatem venti exprimit. Quare sine ulla hæsitatione lego:

> ....venti prius harmatium tu,
> Ventum, inquam, tollas.

Digna etiam vox *harmatium* stylo Lucilii est, quem vocabula Græca confertim usurpasse constat. Præterea currus et equos, ut hic harmatium, ventis et Diis marinis tribui, ut vis eorum in fluctibus excitandis significetur, vulgatum est. Vid. interpretes Virgilii ad Æn. I, 156; Horat. Carm. IV, 44; Sen. in OEdip. v. 255; Voss. ad Catull. p. 265. Præcipue Boream ruentem super fluctus maris Nemesianus, Cyneg. v. 276, ita describit, ut tanquam curru et rotis ferri videatur:

Ipse super fluctus spumanti murmure fervens,
Conspicuum pelago caput eminet; omnis euntem
Nereidum mirata suo super æquore turba.

Quare emendatio, quam feci, nihil intercedere credo, quominus pro certissima habeatur, ipsumque Cl. Ruhnkenium puto, pro amplissima eruditione et sagacitate ingenii, qua plurimas veterum scriptorum corruptelas felicissime persanare solet, eamdem facile reperturum fuisse, si quidem vox ea, quam pro emendatione posui, in aliquo poeta adhuc exstitisset vulgata, quam nunc primum in Nemesiano reperi, et Lucilio deberi demonstravi. Denique, ne quis prorsus dubitare possit Græcum ἅρματα in voce Latina *armata* apud Nemesianum latere, alia exempla dare possumus vocum mere Græcarum, quæ a Latinis scriptoribus plane translata in suum sermonem, et tantum forma Romana et literis Latinis expressa sunt : sic *probata* e Græco πρόβατα habet Plinius, Hist. Nat. lib. VII, c. 2; et Harduinus ad eum locum monet, pari ratione apud eumdem et alios legi *pyctam* pro pugile, *pallacas* pro concubinis, *actam* pro litore. Monuit idem Petr. Scriverius in Anecdot. Philol. c. 125.

APPENDIX

AD POETAS CYNEGETICOS.

I.

EPITAPHIUM CANIS VENATRICIS

INCERTO AUCTORE*.

GALLIA me genuit, nomen mihi divitis undæ
  Concha dedit, formæ nominis aptus honos.
Docta per incertas audax discurrere silvas,
  Collibus hirsutas atque agitare feras.
Non gravibus vinclis unquam consueta teneri,
  Verbera nec niveo corpore sæva pati :

* Appendicis loco poetis Cynegeticis subjicere placuit, cum quibusdam aliis Epigrammatibus quæ passim ex Anthol. Lat. Burm. collegi, hoc quoque canis venatricis epitaphium, quod post Maffeium in Museo Veron. p. 444, et Bonadam in Carm. lap. ant. vol. II, p. 538, edidit P. Burmannus sec. Anthol. Lat. lib. IV, ep. 402. Equidem cum Burmanno satis elegans et vetusti poetæ esse arbitror, præfero ei tamen, quod Martialis habet, epitaphium canis Lydiæ, lib. XI, ep. 69.

1. *Gallia me gen.* Gallicus canis priscis valde celebratus venationibus. Vid. Ovid. Met. I, 533; Martial. III, 47, 11. Eum esse puto, quem barbaro vocabulo Gratius v. 203, *Vertraham*, Martialis, XIV, 200, *Vertagum* nominat.

2. *Concha dedit.* Fortasse murex vocabatur, vel margarita.

4. *Collibus hirs.* Invenit hoc versu Burmannus apertam imitationem Propertii, I, 1, 12, *Ibat et hirsutas ille ferire feras:* atque hinc dubiam Propertii lectionem constituere vult, *ille agitare feras.* Ego vero ægre assentio.

Molli namque sinu domini dominæque jacebam,
Et noram in strato lassa cubare toro.
Et plus, quam licuit muto, canis ore loquebar,
Nulli latratus pertimuere meos.
Sed jam fata subi, partu jactata sinistro,
Quam nunc sub parvo marmore terra teget.

7. *Jacebam.* Ergo etiam venatrices canes in gremio dominæ jacebant? an forte huic cani domina venationis studiosa? Conspicio autem canem quoque mulieris sedentis gremio incubantem in monumento, quod Cup. ad Harpocr. p. 197 profert: quam Cuperus quidem pro aliqua Dearum, Diana aut Cybele, habet; ego vero nullum ejus certum signum reperio: nam quod lævo brachio amplectitur femina, non tympanum mihi, sed pars sellæ videtur.

9. *Loquebar.* Respicere videtur eam venatorii canis virtutem, quam sæpe attingit Gratius, quando inventam et propinquam feram variis signis prodit mutus, nec intempestivo clamore terret. Vid. Grat. v. 185, 207, 236, seqq.

11. *Sinistro.* Partus difficilis labore exanimata est.

II.

IN JUVENALEM VENATOREM *.

Excipit ingentem Juvenalis fortior aprum,
Incumbens humero, lævo pede pronior instat,
Et spumantis adhuc morsum de vulnere fraudat.

* *In Juvenalem.* Hoc Epigr. dedit e Schedis *Divionensibus* in Anthol. Lat. lib. V, ep. 177, vel sola imitatione Virgiliana non inelegans. Ed.

1. *Excipit. Et spumantis adhuc morsum*, etc. sc. hostem *excipere*, proprie de imperterrito vocabulum; ut Æn. X, 387, *Incautum crudeli morte sodalis Excipit, atque ensem tumido in pulmone recondit.* Edit.

2. *Incumbens humero*, id est, adhærens; Æn. V, 325, *calcemque terit jam calce Diores Incumbens humeris.*—*Pronior*, h. e. pronus.—*Instat* etiam ex more Virgiliano, Æn. X, 657, *nec Turnus segnior instat.* Ed.

3. Ita agit ut morsus apri spumantis irritus et sine vulnere fiat. Ed.

III.

DE APRO *.

Invadunt post terga suem: stat torvus in ira;
Creticus excutitur lunato dente rebellis,
Quem socius morsu auxilians defendit in hoste.

* *De Apro.* In Burmanni Anthol. Lat. lib. V, ep. 178. Ed.

1. *Invadunt*, sc. canes vel venatores.—*Stat torvus*, iratus aper et transversa tuens, ut hostes sibi imminentes observet. Ed.

2. *Creticus*, canis Creticus. Robore æque ac Laconici excelluerunt pariter Cretenses canes. *Pugnaces Cressæ*, Seneca. Unde et Xenophon ad aprariam venationem eas adscivit. — *Lunato dente*, apri, scil. qui extra os feri ad formam lunæ crescentis exseritur.—*Rebellis*, pugnax, resistens. Ed.

3. *In hoste.* Forte *ab hoste*. Ed.

IV.

AD DIANAM *.

MUNERE te hoc dono, Latonia, sancta virago;
Cornigeram cepi, virtute et laude potitus,
Exuviisque ejus templum tuum decoravi.

* *Ad Dianam*. Protulit vetus hoc epigramma Rickius in Primitiis Epistolicis, Epist. XLII, p. 71, et ex eo Barthius qui Riccium male vocat, ad Statii Theb. XI, 414, et in ultimo versu ut metro consulatur legendum putat: *Exuviis cujus templumque tuum decoravi*. Non male: forte tamen *templum tuum condecoravi* legi posset, ut *tuum* sit monosyllabum, vel si id nimis antiquatum videtur *templum tibi condecoravi*; ut in carmine Junoni Ardeaticæ scripto: *picturis condecoravi Reginæ Junoni' summæ conjugi' templum*. Exhibebat autem monumentum ipsum, ut Rick. testatur, in ædicula Dianæ sub ara insculptum venatorem, qui cervam a se captam huic Deæ offert, unde lucem hi versus accipiunt. ED.

V.

M. VAL. MARTIALIS

DE DAMA ET CANIBUS

FRAGMENTUM.

CONCITA veloces fugeret quum Dama Molossos,
Et varia lentas necteret arte moras;
Cæsaris ante pedes supplex, similisque roganti
Constitit, et prædam non tetigere canes.

* * *

Hæc intellecto principe dona tulit.
Numen habet Cæsar: sacra est vis, sacra potestas:
Credite; mentiri non didicere feræ.

* *De Dama et Canibus*. Ita inscripsit Scriverius. De *DAMMA QUAM CÆSAR DIMISIT*, Cod. Voss. et Schedæ Scalig. An Martialis sit hoc epig. dubitat Vlitius ad Gratii Cyneg. v. 181. Vide nostram Editionem Martialis, vol. I, pag. 48 et 49. Ed.

1. Scriverius conjiciebat: *ageret quum Dama Molossos*. Ed.

2. *Et varia lentas necteret arte moras*. Sic edidi ex verissima Heinsii emendatione, quæ vestigiis codicis Vossiani insistit, in quo *lintas*, quomodo in Schedis Scalig. sed in margine *Lyncas* et *mora*. Tollius legebat *longas moras*. Idem Heinsius etiam *obliquas* conjecerat. Ed.

6. *Hæc intellecto principe dona tulit*. Excidisse hexametrum indicant asterici, quem ita in margine ed. Scalig. suppleverat Scriv. *Damaque, quæ rabidis cessisset præda Molossis, Hæc intellecto principe dona tulit*. Ed.

JOANNIS CAII
BRITANNI
DE
CANIBUS BRITANNICIS
LIBER UNUS

JOANNIS CAII
BRITANNI
DE
CANIBUS BRITANNICIS
LIBER UNUS.

AD GESNERUM.

Scripsimus ad te, carissime Gesnere, superioribus annis variam historiam de variis quadrupedum, avium, atque piscium formis; variis herbarum atque fruticum speciebus et figuris. Scripsimus et de canibus quædam ad te seorsum, quæ in libro tuo de Iconibus animalium ordine secundo mansuetorum quadrupedum, ubi de Canibus Scoticis scribis; et in fine Epistolæ tuæ ad Gulielmum Turnerum de libris a te editis, inter libros nondum excusos, te editurum polliceris. Sed quia de canibus nostris quædam in eo libello mihi videbantur desiderari, editionem prohibui, et aliam promisi: quamobrem, ut promissis meis starem, et exspectationi tuæ satisfacerem, homini omnis cognitionis cupido, universitatem generis, differentiam atque usum, mores et ingenium, veluti methodo quadam conabor explicare. Dispartiar in tres species; generosam, rusticam, et degenerem; sic ut de illa primo, de hac postremo, de rustica medio loco tibi dicam. Omnes Britannicos vocabo; tum quod una insula Britannia, ut Anglicos omnes, sic quoque Scoticos omnes complectatur; tum quod venatibus magis indulgemus, quia

voluptati ex feris et venatione, propter animalium copiam atque hominum otium, magis Britanni sumus dediti, quam eorum animalium indigi et negotiosi Scoti. Ergo quum omnis ratio generosæ venationis, vel in persequendis feris, vel in capiendis avibus finiatur, canum, quibus hæc aguntur, duo genera sunt: alterum quod feras investiget, alterum quod aves persequatur; utraque Latinis uno et communi nomine dici possunt venatica. Sed Anglis quum aliud esse videatur feras sectari, aliud aves capere, ut primum venationem, secundum aucupium nominant, ita canum nomina volunt esse diversa; ut qui feras lacessunt, venatici; qui aves, aucupatorii dicantur. Venaticos rursum divido in quinque genera: aut enim odoratu, aut visu fatigant feras, aut pernicitate vincunt, aut odoratu et pernicitate superant, aut dolo capiunt. Qui odoratu fatigat, et prompta alacritate in venando utitur, et incredibili ad investigandum sagacitate narium valet; a qua re nos sagacem hunc appellamus, quem Græci ab investigando ἰχνευτὴν, a nare ῥινηλάταν dicunt: huic labra propensa sunt, et aures ad os usque pendulæ, corporisque media magnitudo. Hunc *Leverarium* vocitabimus, ut universum genus in certas species utque nomina reducamus; quum alioqui usus aut officii nomine, in unitatem speciei adigi nullo modo queant: nam alius leporis, alius vulpis, alius cervi, alius platycerotis, alius taxi, alius lutræ, alius mustelæ, alius cuniculi (quem tamen non venamur nisi casse et viverra) tantum odore gaudet, et in suo quisque genere et desiderio egregius est. Sunt ex his qui duos, ut vulpem atque leporem, variatis vicibus sequi student, sed non ea felicitate, qua id quod natura sequi docuit; errant enim sæpius. Sunt qui vulpem atque taxum solum, quos *Terrarios* vocamus, quod subeant terræ cuniculos, more viverrarum in venatu cuniculorum; et ita terrent mordentque vulpem atque taxum, ut vel in terra morsu lacerent, vel e specu in fugam aut casses cuniculorum ostiis inductas, compellant: sed in sagacium genere minimi sunt. Qui insequuntur, majores; propenso et hi labro atque aure, nec vivas tantum

uti memorati omnes, sed et mortuas quoque conspersi sanguinis odore persequuntur. Sive enim vivæ sauciantur feræ, atque e manibus venatorum elabantur, sive mortuæ ex vivario sublatæ sunt (sed profusione sanguinis utræque), isti canes odore facile persentiscunt, et subsequuntur: eam ob causam ex argumento *Sanguinarii* appellantur. Quum tamen fieri solet ut furum astu nullo consperso sanguine abripiatur fera, etiam sicca hominis vestigia per extentissima spatia nullo errore sequi norunt, in quantalibet multitudine secernere, per abditissima et densissima loca appetere, et si flumina tranent, etiam persequi; quumque ad ulteriorem ripam perventum est, circuitu quodam, qua fugitum est, investigare, si primo statim odore in vestigium furis non inciderint: sic enim arte inveniunt, quod fortuna nequeunt, ut recte videatur, ab Æliano scriptum, libro sexto, capite quinquagesimo nono de animalibus, τὸ ἐνθυμητικὸν καὶ διαλεκτικὸν, καὶ μέντοι καὶ τὸ αἱρετὸν, hoc est, *considerationem, ratiocinationem, atque etiam partitionem* seu *arbitrium* canibus hisce venaticis inesse; nec ante cessant persequi, quam sunt fures comprehensi. Eos luce, in tenebris habent heri; nocte producunt, quo alacriores in persequendo sint assueti tenebris, quibus prædones delectantur maxime. Iidem quum fures insequuntur, non ea donantur libertate, qua quum feras, nisi in magna celeritate fugientium furum, sed loro retenti, herum ducunt qua velit ille celeritate, sives pedes sit, sive eques. In confiniis Angliæ atque Scotiæ, propter frequentia pecorum et jumentorum spolia, multus usus hujus generis canum est, et principio discit pecudem et armentum persequi, postea furem relicto armento. In hoc genere nullus est aquaticus naturaliter, nisi eos ita nominare placeat, qui Lutram insequuntur, qui subinde ripas, subinde aquas frequentant. Non recusant tamen omnes, aviditate prædæ tranantis flumina, etiam aquis se committere; sed hoc desiderii potius est quam naturæ. Quod autem ex his aliquas, *Brachas* nostri, *Rachas* Scoti sua lingua nominant, in causa sexus

est, non genus: sic enim canes feminas in venatico genere vocare solent nostri. Ad postremum, in natura sagacium est, ut alii pervestigando taceant ante excitatam feram, alii statim ad primum odorem voce prodant animal, etsi remotum adhuc, et in cubili; et quo juniores, eo petulantioris oris et mendacioris sunt: ætas enim et venandi assiduitas, experientiam in his facit et certitudinem, ut in aliis omnibus; maxime quum norint obtemperare domino, vel inhibenti, vel animanti. Quod visu lacessit, nare nihil agit, sed oculo: oculo vulpem leporemque persequitur; oculo seligit medio de grege feram, et eam non nisi bene saginatam et opimam; oculo insequitur; oculo perditam requirit; oculo, si quando in gregem redeat, secernit, cæteris relictis omnibus, secretamque cursu denuo fatigat ad mortem. *Agasæum* nostri abs re, quod intento sit in feram oculo, vocant. Usus ejus est in septentrionalibus Angliæ partibus magis quam meridionalibus; locis planis et campestribus, quam dumosis et silvestribus; equitibus magis quam peditibus, quo ad cursum equos incitent (quibus delectantur magis quam ipsa præda), assuescantque sepes fossasque inoffense et intrepide transilire et aufugere, quo insessores per necessitates et pericula salutem fuga sibi quærant, aut hostem insequendo, quum velint, cædant. At si quando canis aberraverit, dato signo quam citissime accurrit, et feram de integro subsequens, clara voce, cursuque celeri ut ante lacessit. Quod pernicitate vincit, *Leporarius* dicitur; quod præcipua ejus cura, præcipuusque usus est in persequendo lepore. Quamquam et in capiendo platycerote, cervo, dorcade, vulpe, et hoc genus aliis feris, et viribus et memorata velocitate valent; sed plus minus pro suo quisque desiderio, et corporis firmitudine aut exilitate: est enim strigosum genus, in quo alii majores sunt; alii minores; alii pilo sessili, alii hirto. Majores majoribus, minores minoribus feris destinamus: cujus naturam in venatione magnam, in hoc miram deprehendi, quod, referente Joanne Froisarto historico, lib. hist. suæ IV, leporarius Richardi

secundi Anglorum regis, qui ante neminem præter regem agnoverat, venientem Henricum, Lancastriæ ducem, ad castellum Flinti, ut Richardum comprehenderet, relicto Richardo, Henricum solitis in Richardum favoribus exceperit, quasi adversitates Richardi futuras intellexerat et præsentiscerat: id quod Richardus probe animadvertit, atque ut præsagium futuri interitus verbis non dissimulavit. Quod sagacitate simul et pernicitate potest, et genere, et compositione corporis medium est inter sagacem illum, et leporarium; et a levitate appellatur *Levinarius,* a loro, quo ducitur, *Lorarius.* Hic propter velocitatem, et gravius feram urget, et citius capit. Quod dolo agit, *Vertagum* nostri dicunt, quod se dum prædatur, vertat, et, circumacto corpore, impetu quodam in ipso specus ostio feram opprimit et intercipit. Is hoc utitur astu: quum in vivarium cuniculorum venit, eos non lacessit cursu, non latratu terret, nec ullas inimicitias ostentat, sed velut amicus aliud agens, taciturna solertia prætergreditur, observatis diligenter eorum cuniculis. Eo quum pervenerit, ita se humi componit, ut et adversum ventum semper habeat, et cuniculum lateat: sic enim ille revertentis, aut exeuntis cuniculi, odorem facile sentit, et suum cuniculo omnino tollit, et prospectu feram fallit. Ad hunc modum compositus canis et prostratus, aut exeuntem cuniculum et imprudentem in ipso specus ingressu versute opprimit, aut revertentem excipit, atque ad latentem herum ore perducit. Minor hic est sagaci illo, strigosior, et erectiore aure: corporis figura leporarium spurium diceres, si major esset. Et quamvis eo minor multo sit, uno tamen die tot potest capere, quot justum equi onus esse possunt: dolus enim illi pro virtute est, et corporis agilitas. Huic similis, canis *furax* est, qui jubente hero noctu progreditur, et sine latratu odore adverso persequens cuniculos, cursu prehendit quod herus permiserit, et ad heri stationem reportat. Vocant incolæ canem *nocturnum*, quod venetur noctu. Sed hæc de iis qui feras insequuntur.

Qui aves, proximum locum habent: eos *Aucupatorios*

dici ante proposuimus. Hi ex generosorum numero etiam sunt, et duorum generum: alii enim per sicca tantum venantur; alii per aquas tantum aves persequuntur. Qui per sicca tantum, aut libero vestigio et latratu avem investigant et excitant, aut tacito indicio eamdem commonstrant. Primum genus accipitri servit, secundum reti. Peculiaria nomina primum genus non habet, nisi ab ave ad quam venandam natura est propensus: qua de causa falconarii hos *Phasianarios*, hos *Perdiciarios* vocare solent. Vulgus tamen nostrum communi nomine *Hispaniolos* nominat, quasi ex Hispania productum istud genus primo esset. Omnes maxima ex parte candidi sunt; et si quas maculas habeant, rubræ sunt, raræ, et majores. Sunt et ruffi atque nigri, sed perpauci. Est et hodie novum genus ex Gallia advectum (ut novitatis omnes sumus studiosi), sed ex toto in albo obfuscatum maculose, quem *Gallicanum* vocitamus. Secundum genus est, quod tacito pede atque ore avem quærit, et nutum juvantis heri sequitur, vel promovendo se, vel reducendo, vel in alterutram partem dextram aut sinistram declinando. Quum avem dico, perdicem et coturnicem intelligo. Quum invenerit, cauto silentio, suspenso vestigio, et occulto speculatu, humiliando se prorepit; et quum prope est, procumbit, et pedis indicio locum stationis avium prodit; unde canem *Indicem* vocare placuit: loco commonstrato, auceps exporrectum rete avi inducit. Quo facto, canis ad consuetum heri indicium seu vocabulum quam citissime assurgit, et propinquiori præsentia aves perturbat, atque ut inexplicabilius irretiantur facit. Quod artificium in cane, animali domestico, mirum videri non debet, quum et lepus agreste animal, et saltare, et tympanum anterioribus pedibus numero pulsare tympanistarum more, et canem dente atque ungue petere, pedibusque crudeliter cædere, in Anglia visus est omnium admiratione, anno salutis nostræ 1564. Nec est vanum istud, eoque relatum lubentius quod operæ pretium putarem, nihil prætereundum esse, in quo naturæ spectanda sit providentia. Qui per aquas aucupatur propensione natu-

rali accedente mediocri documento, major his est, et promisso naturaliter hirtus pilo. Ego tamen ab armis ad posteriores suffragines, caudamque extremam, ad te, Gesnere, detonsum pinxi, ut usus noster postulat, quo pilis nudus expeditior sit, et minus per natationes retardetur. *Aquaticus* a nostris appellatur, ab aquis quas frequentat sumpta appellatione. Eo aut aves in aquis aucupamur (et præcipue anates; unde etiam *Anatarius* dicitur, quod id excellenter facit), aut Scorpione occisas educimus, aut spicula sagittasque fallente ictu recuperamus, aut amissa requirimus; quo nomine et canes inquisitores eosdem appellamus. Quanquam anas, et canem, et aucupem quoque egregie subinde fallat, tum urinando, tum etiam dolo naturali. Etenim si quis hominum ubi incubant aut excludunt, propinquabit, egressæ matres, venientibus se sponte offerunt, et simulata debilitate vel pedum vel alarum, quasi statim capi possint, gressus fingunt tardiores. Hoc mendacio sollicitant obvios, et eludunt, quoad profecti longius a nidis avocentur; caventque diligenter revertendo, ne indicium loci conversatio frequens faciat. Nec anaticularum studium segnius ad cavendum: quum enim visas se præsentiscunt, sub cespitem confugiunt aut carectum, quorum obtectu tam callide proteguntur, ut lateant etiam deprehensæ, nisi fraudem canis odore detegat. Canem *piscatorem*, de quo scribit Hector Boethius, qui inter saxa pisces odore perquirit, nullum plane novi inter nostros, neque ex relatione aliquando audivi, etsi in ea re perscrutanda perdiscendaque diligentior fuerim inter piscatores et venatores; nisi lutram piscem dicas, ut a multis creditur; quo modo et pupinus avis, piscis esse dicitur et habetur. Sed qui perquirit piscem (si quis perquirat) venationisne causa, an famis faciat, more cæterorum canum, qui per inediam cadaverum morticinam carnem appetere solent, tum demum ad te scribam, quum de ea re certior fiam. Interim id scio, Ælianum et Ætium lutram, κύνα ποταμιὸν solere appellare. Intelligo etiam lutram hoc habere cum cane commune, quod per inopiam pi-

scium, excursiones in terram faciat, atque agnos laniet, rursusque ad aquam satur redeat: sed inter nostros canes is non est. Phoca etiam inter scopulos atque saxa prædatur piscem, sed in numero canum nostratium habitus non est, etsi canis marinus a nostris appelletur. Est et aliud genus canum generosorum apud nos, sex extra horum ordinem, quos *Melitæos* Callimachus vocat, a Melita insula in freto Siculo (quæ hodie usu derivante *Malta* vulgo dicitur, et Christiano milite nobilis existit) unde ortum id genus habuit maxime; atque a Melita Siculi Pachyni, ut auctor Strabo est. Perexiguum id est plane, et feminarum lusibus ac deliciis tantum expetitum, quibus quo minus est, eo gratius est, ut sinu gestent in cubiculis, et manu in pilentis, genus sane ad omnia inutile, nisi quod stomachi dolorem sedat applicatum sæpius, aut in sinu ægri gestatum frequentius, caloris moderatione. Quin et transire quoque morbos ægritudine eorum intelligitur, plerumque et morte; quasi malo in eos transeunte caloris similitudine. Generosorum canum genus jam explicui; nunc rusticum adjicio. In eo memorabilia duo tantum genera sunt: *pecuarium*, seu *pastorale*, et *villaticum*, seu *Molossum;* alterum ad propellendas injurias ferarum, alterum adversus insidias hominum utile. Pastorale nostrum mediocre est, quod illi cum lupo, naturali pecori inimico, res non est, quum apud nos nullus est beneficio optimi principis Edgari, qui, quo genus universum deleretur, Cambris, apud quos in magna copia erant, vectigalis nomine in annos imperavit trecentos lupos. Sunt qui scribunt Ludwallum, Cambriæ principem, pendisse annuatim Edgaro regi 3000 luporum tributi nomine, atque ita annis quatuor omnem Cambriam atque adeo omnem Angliam purgasse lupis. Regnavit autem Edgarus circiter annum Domini 959. A quo tempore non legimus nativum in Anglia visum lupum; advectum tamen quæstus faciundi causa ex alienis regionibus, ut spectetur tantum, tanquam animal rarum et incognitum, sæpius vidimus. Sed ad canem pastoralem. Is ad certam heri ju-

bentis vocem, aut ex pugno concluso et inflato clariorem sibilum, errantes oves in eum locum redigit, in quem pastor maxime desiderat; sic ut levi negotio, et immoto fere pede, pastor, quo velit modo, oves moderetur, vel ut se promoveant, vel gradum sistant, vel pedem referant, vel in hanc illamve partem se inclinent: etenim non ut in Gallia et Germania, non ut in Syria et Tartaria, sic in Anglia quoque oves pastorem sequuntur, sed contra pastor oves. Quandoque etiam nullo procurrente aut circumeunte cane, ad solum ex pugno sibilum sese congregant palantes oves, metu canis credo, memores una cum sibilo prodire quoque et canem solere: id quod in itinere diligenter sæpius observavimus, ad pastoris sibilum refrenantes equos, quo videremus rei experimentum. Eodem etiam cane ovem vel mactandam prehendit, vel sanandam pastor capit, nulla prorsus læsione.

Villaticum, vastum genus est et robustum; corpore quidem grave et parum velox, sed aspectu truculentum, voce terrificum, et quovis Arcadico (qui tamen ex leonibus creditur provenire) potentius atque acrius. Quod villis fideliter custodiendis destinamus, quum metus est a furibus, villaticum appellamus. His quoque utile, id est, contra vulpem atque taxum, qui rem pecuariam faciunt. Valet etiam ad sues agrestes persequendos, domesticos e frugibus aut arvis abigendos, taurosque capiendos atque retinendos, quum usus aut venatio postulat, singuli singulos, aut summum duo singulos, quamvis intractabiles: est enim acerrimum genus et violentum, formidabile etiam homini, quem non reformidat: neque enim ad arma expavescit; quoque acrius fiat, assuescunt nostri naturam arte et consuetudine juvare. Etenim ursos, tauros, arctylos, aliaque fera animalia, præfectis certaminum arctophylacibus, nullo millo, nullo corio defensos exagitare; sæpe etiam cum homine sude, clava, enseve armato concertare docent, atque ita ferociores acrioresque reddunt, et imperterritos faciunt. Vis illis supra fidem, et pertinax mordacitas, usque adeo ut tres ursum,

quatuor vel leonem comprehendant. Quod videns aliquando (ut fama est) Henricus septimus, Angliæ rex prudentissimus, quotquot erant suspendi jussit, indignatus quod infimi et ignobilis generis canes, generoso leoni, et animalium regi violentiam inferrent; memorabili exemplo subditorum, ne quid contra regem gens rebellis audeat. Haud absimilis etiam historia de eo fertur, qui falconem quemdam suum, a falconariis vehementer laudatum, quod in aquilam quid auderet, mox occidi jussit, ob eamdem rationem. Hoc genus canis, etiam *Catenarium*, a catenæ ligamento, qua ad januas interdiu detinetur, ne solutum lædat, et tamen latratu terreat, appellatur. Et quamquam Cicero pro Sext. Roscio opinetur, si canes luce latrent, iis crura suffringantur, nostri tamen homines, propter securitatem vitæ atque rei, longe aliter sentiunt: nam furum apud nos plena sunt omnia; etiam luce, neque infamem mortem suspendia metuunt. In caussa est non curta res solum, sed vestis vitæque luxus atque fastus etiam, sed petulantia, sed otium et superbia salaconum μεγαλοῤῥεόντων, qui nihil aliud, quam ut equi, insultare solo et gressus glomerare superbos, quam gyro breviori flecti; qui nihil aliud quam cevere, quam otiose mendicando accusata non merente corporis infirmitate spoliare. Sed his Valentinianus Imperator bene prospexit legibus latis, ut qui nullo corporis morbo laborantes, corporis infirmitatem desidiosi ignavique prætexentes mendicarent, perpetui coloni ei inservirent, qui eorum ignaviam proderet atque accusaret, ne eorum desidia onerosa populo, odiosave sit exemplo. Alfredus quoque regno administrando tanta vigilantia justitiaque usus est, ut si quis per vias publicas incedens, marsupium auro plenum vesperi perdidisset, mane, atque adeo post mensem unum, integrum et intactum inveniret, uti Ingulphus Croylandensis in historia refert: nostra autem ætate, nihil fere securum, ne in ædibus quidem, quamvis accurate conclusis. *Custos* quoque (Græcis οἰκουρὸς) a custodiendis non solum villis, sed et mercatorum ædibus, et quibus ampla

res est domi, canis iste nominatur. Eam ob rem canes publice alebantur Romæ in Capitolio, ut significent si fures venerint. Dicitur et *Lanarius*, quod eorum usus multus sit laniis agendis et capiendis bestiis. Sed et Molossicum quoque et Molossus Latinis dicitur, a Molossia Epiri regione, ubi hoc genus canes boni et acres erant. Est ex hoc genere quem *Mandatarium* ex argumento appellamus; quod domini mandato literas, aliasve res de loco in locum transferat, vel melio inclusas, vel eidem alligatas; quæ ne intercipiantur, vel pugna, vel fuga, si impar sit, diligenter cavet. Est et Lunarium, quod nihil aliud quam excubias agit, genus et insomnes noctes totas protrahit *baubando* ad lunam, ut Nonii verbo utar. Ex quibus grandiores atque graviores, etiam rotæ amplioris circumactu, aquam ex altis puteis ad usus rusticos hauriunt, quos *aquarios* appellamus ex officio; et sartores ærarios vagos manticis ferendis memorabili patientia levant, a qua re *sarcinarios* nuncupamus. Præter has Villaticorum qualitates atque usus, hanc unam habent præcipuam, quod amantes dominorum sint, et odium gerant in externos: quo fit ut per itinera dominis in præsidio sunt, quos a furibus defendunt, vivos salvosque conservant; a qua re etiam canes *defensores* jure dici possunt. At si quando vel multitudine, vel majori vi opprimatur dominus atque concidat, usu compertum est, herum non deserere ne mortuum quidem, sed eum ad multos dies per famis et cæli injuriosi patientiam peramanter observare, et homicidam, si occasio dabitur, interficere, aut saltem prodere vel latratu, vel ira, vel hostili insultu, quasi mortem heri ulturum. Hujus rei exemplo fuit nostra memoria canis cujusdam viatoris, qui Londino recta Kingstonum, octo regum coronatione percelebre oppidum, profecturus, quum bonam itineris partem confecisset, latronum insidiis in Comparco valle, amplo et spatioso, nemoribus obsito, et latrociniis infami loco, occubuit. Canis item ille Britannus genere, quem Blondus sua memoria scribit, non longe a Parisiis, hero a rivali interempto, et homicidam prodidisse, et ni canis ul-

tionem homicida deprecatus esset, jugulaturum fuisse. In incendiis quoque in conticinio seu intempesta nocte incidentibus, eo usque latrant annosi canes, etiam prohibiti, dum a domesticis excitatis percipiatur focus; et tum sua sponte cessant a latratu; quod usu compertum est in Britannia. Nec minor erat fides in eo cane qui domino profundam foveam per venatum incidenti nunquam abfuit, dum sui unius indicio sublatus is per funem fuit; in quem, quum oris cavernæ proximus esset, insiliebat canis, tanquam ulnis amplexurus revertentem herum, impatiens longioris moræ. Sunt qui focum non patiuntur dissipari, sed prunas in focum pede removent, prius cogitabundi aspicientes qua ratione id possit a se fieri. Quod si pruna ardentior fuerit, cinere obruunt, ac dein nare in locum promovent. Sunt quoque qui noctu villici officium præstant. Quum enim lectum petit herus, et omnia *Centum ærci claudunt vectes, æternaque ferri Robora, nec custos absistit limine Janus* (ut scribit Virgilius), tum si prodire jubeat herus canem, is per fundos omnes oberrat, quovis villico diligentior, et si alienum quid invenerit sive hominem, sive bestiam, abigit, domesticis relictis animalibus atque servis. Sed quanta in his fidelitas, tanta varietas in ingeniis: nam sunt qui ore infreno latrent tantum nullo morsu; verum hi minus tremendi, quod timidiores sunt: canes enim timidi vehementius latrant, ut est in proverbio. Sunt qui latrent atque mordeant. Ab his cavendum quidem, quia admonent futuræ injuriæ, sed non lacessendum, quoniam ita concitantur ad dentem, ipsi etiam natura acerbiores. Sunt qui sine voce prosiliunt, impetu involant, jugulum petunt, et crudelius lacerant: hos formidato, quia animosiores sunt, et incautos opprimunt. Istis notis ignavum genus a strenuo, audax a timido discernunt nostri: etenim ex malo genere, ne catulum quidem habendum existimant, quod nullum necessariis usibus humanis commodiorem canem strenuo putent. Nam si quis commemoratos eorum usus ad summas velit revocare, quis hominum clarius aut tanta vociferatione bestiam vel

furem prædicat, quam iste latratu? quis domitor ferarum potentior? quis famulus amantior domini? quis fidelior comes? quis custos incorruptior? quis excubitor vigilantior? quis ultor aut vindex constantior? quis nuncius expeditior? quis aquarius laboriosior? quis denique sartor ærarius gestandis sarcinis tolerantior? Atque hæc quidem de canibus Britannicis generosis atque rusticis, qui genus suum servant, diximus. De degeneribus, et ex horum diverso genere mixtis, quod nullam insignem veri generis qualitatem formamque referant, non est quod velim plura scribere, sed ut inutiles ablegare; nisi quod vel advenas latratu excipiant, etiam luce, et eorum adventus domesticos commonefaciant, unde canes *Admonitores* appellamus; vel quod in officio culinario, quum assandum est, inserviant, et rota minore gradiendo, verua circumagunt, pondereque suo æquabiliter versent, ut ne calo aut lixa quidem artificiosius; quos hinc canes *Versatores*, seu *veruversatores* nostrum vulgus nominat; postremos omnium generum, quæ primo memoravimus. Sunt etiam canes nostri degeneres et ad tympanum saltare, et ad lyræ modos se movere docti, multaque alia erecti pronique facere, quæ a vagis quæstuosisque heris exsequi didicerunt. Lyciscum nullum isthic in Anglia habemus nativum, ut nec lupum quidem, ut est, ante comprehensum; nec aliud genus ullum, præter Lacænam et Urcanum, illum ex cane et vulpe (quam multam habet Anglia, et domi inter canes vel animi vel morbi causa sæpe alit), hunc ex urso et cane Catenario: quos licet inimicos, pruriens tamen libido sæpe ita hic conjungit, ut alibi solet; nam cum tigride Hircanos, cum leone Arcadios, cum lupo Gallicos commiscuisse legimus. In hominibus quoque quibus ratio est, inimicos animos conciliat stulta illa res et naturalis, ut Moria loquitur. Est hic Urcanus, sæva bestia et *intractabilis iræ* (ut Gratii poetæ verbis utar), cæteros canes nostros omnes feroci crudelitate superans, vel aspectus torvitate terribilis, in pugna acris et vehemens, tantaque mordacitate, ut citius discerpas quam dissolvas: nec

lupum, nec taurum, ursum, aut leonem, reformidat; vel cum cane illo Alexandri Indico certe conferendus. Sed de his hactenus ut de Britannicis verba fecimus. Externos aliquos et eos majusculos, Islandicos dico et Lithuanicos, usus dudum recepit; quibus toto corpore hirtis, ob promissum longumque pilum, nec vultus est, nec figura corporis. Multis tamen quod peregrini sunt, et grati sunt, et in Melitæorum locum assumpti sunt; usque adeo deditum est humanum genus etiam sine ratione novitatibus. Ἐρῶμεν ἀλλοτρίων, παρορῶμεν συγγενεῖς· *miramur aliena, nostra non diligimus;* neque hoc in canibus solum, sed in artificibus quoque usu venit: nostros enim licet doctos et peritos fastidimus, belluam e longinqua barbarie alienoque solo profectam tanquam asinum Cumani, aut hominem Thalem nostri suspiciunt. Id quod Hippocrates sub initio libri sui περὶ ἀγμῶν recte sua ætate observavit, et nos libello nostro, seu consilio de Ephemera Britannica ad Populum Britannicum copiosius explicuimus. Atque in hoc genere quo quisque indoctior, audacior, incogitantior, hoc pluris fit apud nostros, atque etiam apud torquatos istos principes atque proceres. Cæterum de externis canibus nihil dico, quod de Britannicis tantum voto tuo satisfacere studeo, Conrade, vir doctissime. Inter ea tamen quæ alias ad te dedi de cane Getulo seorsum scripsi, quod rara species ejus videbatur. De cætero genere, ipse plenissime scribis. Verum quum longius jam produximus hunc libellum quam priorem ad te, brevius tamen quam pro natura rei, quod habuimus rationem studiorum tuorum, memoriæ causa quæ de canibus Britannis diximus, in diagramma reducemus. Et quia vulgaribus nominibus delectaris, ut ex literis tuis didici, ea quoque Latinis apponemus, et singulorum rationes exponemus, quo nihil tibi sit incognitum aut desideratum.

NOMINA,

				LATINA.	ANGLICA.
Canes ergo Britannici, aut sunt,	Generosi.	Venatici.	Sagax.	Terrarius.	*Terrierhound.*
				Leverarius.	*Harrierhound.*
				Sanguinarius.	*Bloodhound.*
				Agasæus	*Gazehound.*
				Leporarius.	*Greyhound.*
				Levinarius, seu Lorarius.	*Leviner, or Lyemmer.*
				Vertagus.	*Tumbler.*
		Aucupatorii.		Hispaniolus.	*Spaniel.*
				Index.	*Setter.*
				Aquaticus, seu Inquisitor.	*Waterspaniel, or Finder.*
		Delicati.		Melitæus, seu Fotor.	*Spanielgentle, or Lapdog.*
	Rustici.			Pastoralis.	*Shepherd's dog.*
				Villaticus, seu Catenarius.	*Mastive, or Bandog.*
	Degeneres.			Admonitor.	*Wap.*
				Versator.	*Turnspit.*
				Saltator.	*Dancer.*

Ista vocabula nostratia quum nihil apud te, hominem peregrinum, loquantur sine interpretatione, ut Latinorum vocabulorum rationem prius reddidimus, ita Anglicorum jam reddemus, quo tibi pateant universa, eo etiam quo prius observato ordine.

Hound igitur (quem inter Venaticos Sagacem diximus) a verbo nostro *hunt*, quod apud nostros *venari* significat, unica tantum immutata litera, derivata appellatione, nomen habet. Quod si a vocabulo vestrati *Hund* (quod canem in universum apud vos significat), propter vocum similitudinem appellari credas, mi Gesnere, ut non magnopere repugnabo, quum adhuc retinemus multa Germanica vocabula a Saxonibus, quum Angliam occuparunt, nobis relicta, ita illud admonebo, commune quidem nomen canis apud nos, *Dog* esse, venatici vero canis, *Hound.*

Similiter a verbo nostrati, *Gaze* (quod fixius rem aliquam et attentius contueri est), *Gazehound* appellatur nostris, quem ante Agasæum nominari diximus: neque enim odoratu, sed prospectu attento et diligenti feram persequitur iste canis, ut jam ante memoravimus, etsi non sum nescius etiam apud Latinos Agasæi vocabulum inter canum nomina reperiri.

A *Grey* quoque, *Greyhound* apud nostros invenit nomen, quod præcipui gradus inter canes sit, et primæ generositatis; *Grey* enim apud nostros *gradum* denotat : hunc latine Leporarium dicebamus.

A levitate, *Leviner,* a loro, *Lyemmer,* appellatur is quem Levinarium et Lorarium latine nominavimus : nam *Lyemme* nostra lingua *lorum* significat. Quod autem a levitate *Leviner,* hoc est, a Latina voce Britannicam deducimus; cur in libris nostris sparsim a Græcis dictionibus et Latinis, Italicis et Germanicis, Gallicis et Hispanicis nostratia multa derivamus, unde ortum eadem multa habuerunt; et quemadmodum ab origine sua etiam multa per corruptionem jam declinarunt, libello nostro de symphonia, seu consonantia vocum Britannicarum, fusius explicabimus.

Postremus inter Venaticos Vertagus est, quem *Tumbler* vocitamus; quod *tumble* apud nos *vertere* est Latinis, et *tumbiere* Gallis, unde ortum habet id nomen *Tumbler*, mutata vocali in liquidam nostro more; contra quam in lingua Gallica et Italica, in quibus liquida ante vocalem, magna ex parte in aliam vocalem vertitur, ut *impiere* et *piano*, pro *implere* et *plano*, quæ exempli gratia adduco, quum infinita sint.

Post Venaticos sequuntur Aucupatorii; inter quos primus est Hispaniolus, quem ab Hispania voce nomen accepisse prius diximus. Nostri, omissa aspiratione et prima vocali, *Spainel* et *Spaniel* expediti sermonis causa proferunt.

Secundus, Index, quem nostri a *Setter* nominare solent, a verbo *set*, quod *locum designare* nostris Britannis significat.

Post hunc subsequitur Aquaticus, hoc est, *a Waterspaniel*, a vocibus *water* et *Spain* (hoc est, aqua et Hispania) deducto nomine : nam *aqua*, in qua se exercet canis iste, *Water*; et Hispania (unde primum genus hoc tractum ex nomine creditur) *Spain* apud nostros vocitatur. Non quod isti canes non sint etiam nativi in Britannia, sed quod generale et commune nomen canum, qui ex Hispania primo profecti putantur, istæ canum species (ut et cæteri Aucupatorii) adhuc vulgo referunt, etsi in Britannia oriantur, et peculiari aliqua vocis nota, aut qualitatis indicio secernantur apud nos; ut est ista species vocis *Water*, hoc est, *aquæ*, appositione. Alio etiam nomine a *Finder* canis iste appellatur, quod quærendo invenit res deperditas, quæ res nostris, *find*, hoc est, *invenire*, dicitur. Nos tamen ab *inquirendo* Latinum nomen huic fecimus, quod præcipua pars inventionis in inquirendo est.

A Venaticis et Aucupatoriis transitus est ad Delicatos, Rusticos et Degeneres. Delicatum, Melitæum et *Spaniel-gentle*, hoc est, Hispaniolum generosum, nominavimus, a generositatis nomine data appellatione, quod inter nobiles

viros atque feminas versari, et iis in deliciis atque ad lusus esse consuevit; ut erat illud Gorgonis κυνίδιον apud Theocritum in Syracusiis, quod discedens, servæ diligentiæ pari cura cum infante commiserat, ut catellum quidem illa intro revocaret, puerum vero vagientem placaret. Ad alia omnia inutilis canis iste est, nisi ad ea quæ ante jam diximus, nisi ad fovendum stomachum debilitatum frigore, nisi ad prodendum adulterium, quod fecisse hujus generis catellum quemdam Siculum refert Ælianus, libro septimo, capite vicesimo quinto Animalium.

Rusticos *Shepherd's dogs*, *Mastives* et *Bandogs* nominavimus; illorum quidem deducto nomine a *pastore*, qui *shepherd* apud nos dicitur, quod custodit *oves*, quæ nostris *sheep* appellantur; istorum a *ligamento*, quod *Band*, et *sagina*, quod *masty* villicis nostris hominibus dicitur: est enim crassum genus canum, et bene saginatum Catenarium hoc. Etsi non sum nescius Augustinum Niphum, Mastinum (Mastivum nostri dicunt) pecuarium existimare; et Albertum Lyciscum ex cane et lupo genitum esse scribere; quamvis idem pro Molosso magna ex parte vertat.

Ad postremum, degeneres, *Wap* et *Turnspit* nominari dicebamus; hunc a verbo nostrati *turn*, quod est *verto*, et *spit*, seu *speed*, ad imitationem Italorum, quod *veru* dicitur; illum a naturali canis voce *wan*, quam in latratu edit admonendo; unde originaliter *Waup* dicendum fuit: sed euphoniæ bonæque consonantiæ gratia, vocali in consonantem mutata, *Wap* a nostris vocitatur. Etsi non me fugit Nonium, a voce naturali *bau*, formare suum *baubari*, non a *wau*, quemadmodum et Græci a suo βαΰζειν.

Jam vero quod *Dancer* nostris, *saltare* sit Latinis, si didiceris, non est de canis Saltatoris nostrati nomine, amplius quod ipse expetas.

Ita habes, mi Gesnere, non solum canum nostratium genera, sed et nomina quoque Latina atque Anglica, officia atque usus, differentias atque mores, naturas et ingenia, ut non sit quod desideres in hoc argumento amplius. Et quam-

quam forsan omni ex parte non satisfecerim tibi in edendo (cui in desideriis omnis festinatio in mora esse videatur) quod inhibuerim editionem rudioris illius libelli, quem ad te tanquam ad privatum amicum, non ad editionem publicam ante annos quinque dederim, tamen in hoc spero me satisfecisse tibi, quod mora fecit aliquanto meliorem, et δευτέραι φροντίδες lectu commodiorem.

HIER. FRACASTORII

ALCON

SIVE

DE CURA CANUM VENATICORUM

HIER. FRACASTORII
ALCON
SIVE
DE CURA CANUM VENATICORUM.

Assiduis nuper fessus venatibus Alcon,
Falleret æstivi ut fastidia longa diei,
Corvini qua se nemora excelsissima cælo
Extollunt, viridi dum captat frigus in umbra,
Dicitur ad juvenem senior sic fatus Acastum:
  Me segnes artus, defectaque viribus ætas
Et superare juga, et latis discurrere campis,
Et torquere leves hastas, et ferre pharetram,
Nate, vetant, densaque indagine cingere silvas.
Sed te pulvereum cursu transmittere campum,
Ferre æstum frigusque, leves agitare Molossos,
Et pinguem silvis ad tecta avertere prædam
Nunc decet, ac validam pro me exercere juventam.
En arcum pharetramque tibi, jaculumque relinquo;
Ne tamen usque adeo plenæ confide pharetræ,
Ut postrema canum interea tibi cura putetur;
Quorum ope veloces poteris prævertere cervos,
Aut aprum ingentem, aut fulvum superare leonem,
Ergo age, et hæc tecum semper mandata reserva.
  Principio ut generosa canum tibi copia nunquam
Desit, quæ certam valeat promittere prædam,
Elige degeneri nequaquam semine natos,

Sed quos assidue silvis exercuit altis
Et labor indomitus, sævarum et præda ferarum.
Nec vero parvi formamque genusque putaris;
Nam neque sunt animi, neque mores omnibus idem,
Et variæ diversa canum dant semina gentes.
Nam rabidas si forte feras te cura tenebit
Venari, et variis caput objectare periclis,
Spartana de stirpe tibi, de stirpe Molossa
Quære canes, Libycos illis, acresque Britannos,
Pannoniosque truces, et amantes prælia Celtas
Adde, nec Hyrcanos, nec Seras sperne feroces.
Si vero parvos lepores, capreasque fugaces
Malueris, timidosque sequi per devia cervos,
Delige Pæonios agiles volucresque Sicambros.
Quod tibi si latebras, abstrusaque lustra ferarum
Rimari certa catulorum indagine cordi est,
Hunc usum implebit Perses et Saxogelonus.
At genere ex omni præsertim delige, quæ nec
Corpore sit gracili, nec densis aspera villis,
Sed sublime caput, vivacia lumina et amplam
Ostentet frontem, atque ingentes oris hiatus;
Cui rectæ surgant aures, cui pinguia terga
Dividat in caudam descendens spina reflexam,
Sint armi lati, sint æque pectora lata,
Lata alvus, quæ sic costis adjungitur imis,
Ut tamen in spatium sensim se colligat arctum;
Ut cava diductis succedant ilia costis,
Excipiant siccis quas fortia crura lacertis;
Ima pedum parva signent vestigia planta.
Huic similem conjunge marem, quum vere tepenti
Tangit amor genus omne avium, genus omne ferarum;
Bis quinas tamen ante dies, accensus uterque
In venerem, venere abstineant; sic plena libido
Acrius exstimulat, viresque ad semina præbet:

Hinc major soboles, atque inde valentior exit.
Quæ simul ac sese numeroso protulit ortu,
Selige de multis quos jam præstare videbis
Pondere, vel stipulæ flammis include sonoris
Ingentem turbam; prolis nam mota periclo
Egregiam sobolem, melioraque pignora mater
Ocius eripiet flammis et inertia linquet.
Illi igitur plenis ubi nondum viribus ætas
Accessit, parvum cursu conscendere collem
Et molli assuescant sese demittere clivo.
Hinc tenerum leporem, vel crura infirma trahentem
Sectari capream, et facilem percurrere campum
Incipiat, verbisque viri parere vocantis.
Nulla mora est, ipsis crescent cum viribus anni.
Jam potes hos tuto densis committere silvis,
Perque altos montes, per lustra agitare ferarum.
Nec minus aut apro, aut fulvo objectare leoni;
Si modo vel capreas, vel dedignabere cervos.
Immodicis tum parce cibis, tum cursibus illos
Exerce assiduis; ac mox ad tecta reversi,
Vincla pati discant: ita demum libera colla,
Quum res ipsa, ususque vocat, majore feruntur
Impete, nec cursum remoratur pigra sagina.
  Hactenus in silvis catulos eduximus altis;
Nunc quæ morbosis sit cura adhibenda, docebo.
Insomnes quum forte canes occulta fatigat,
Vimque adimit febris, putrem tunc ore cruorem
Ferro emitte levi; dein Bacchica dona rosarum
Misce oleo, et rapidis simul omnia concoque flammis,
Terque die inserto demitte in guttura cornu.
Si vero nimio venandi langueat æstu,
Butyro lapathi succos, Siculique Lyæi
Pocula, contusumque piper simul omnia miscens
Prosubige; ut certi simul ac commixta liquoris

Prætulerint speciem, cupido canis hauriat ore.
Immodicam sed forte sitim dum sublevat atro
Fonte canis, lymphæ mala si successit hirudo,
Cimiceo suffire canem nidore licebit;
Aut oleo ptisanam et spumanti melle subactam
Incoquere, offensoque cani præbere vorandam.
At quum tetra lues, clavos dixere, palatum
Afficiet misere, silvestria sesama, necnon
Bacchi acidos latices, et chartam sume perustam,
Atque Ammoniaci frustum, dein singula in unum
Confundens, tetræ causam super illine pestis.
Tum vero, ardentes oculos inimica perurit
Quum tabes, crebræque fluunt a lumine guttæ,
Jam frondes sacræ myrti, silvestris et uvæ,
Ardentesque rosas diluto concoque Baccho,
Hisque affecta levi citus ablue lumina dextra:
Inde oleum, atque ovi niveos immitte liquores.
Quod si nativo stimulatur coxa dolore
Lemiulum lapidem, Meditem nomine dicunt,
Urina semel atque iterum demerge recenti;
Cui Bacchi dulces, acidosque adjunge liquores,
Quaque latet pestis sumpta circumline penna.
Ast ubi rupta novo manabit sanguine vena,
Tum murem geminum, ac telam pendentis arachnes
Ure foco, cineremque undanti impone cruori:
Proderit et ferro candenti tangere vulnus.
Obstructo vero lotii quum forte meatu
Vexari aspicies catulum, cerealia dona
Objice, lacte prius simæ perfusa capellæ.
At contra venis si quando sanguis apertis,
Pro facili urina, terram madefecerit atram,
Conveniet lente ferventi lactis aheno
Mollire, et tenues coriandri immittere succos,
Infractumque piper, laticemque undantis olivi,

Insertoque cani paulatim infundere cornu.
Quid? taceam nimio quum decidit ungula cursu?
Frangere namque juvat pallentis grana cumini
Dentibus, admotaque pedem lenire saliva;
Incipientque novi subcrescere protinus ungues.
Fit quoque ut immundo catulus juguletur ab œstro:
At tu silvestrem crepitantibus urere rutam
Ignibus, et fumo pariter mulcere salubri
Disce; dehinc acri perfundere vulnus aceto.
Quin aures etiam muscarum turba molesta
Impetit, usque adeo mutilatum appareat alte
Ut caput; ipse autem venienti occurre periclo,
Et prius has nucibus viridique putamine tinge.
Quid quum dura canes inter se prælia miscent,
Alter ut alterius percussus dente laboret?
Tunc etenim cervi flammæ subjecta voraci
Ossa teres, oleo subigens frondentis olivæ
Unguinis in morem, ac vulnus letale perungens;
Quamquam etiam possis ramenta inducere ferri:
Namque venenifero serpentis saucius ictu,
Quo valeat, scit sponte sua reperire salubre
Gramen, et ipse sibi nullo auxiliante mederi.
Senserit at rabidos ubi morsus, protinus ipse
Idæam rutæ foliis acrique Lyæo
Junge picem, læsæque adhibe hæc medicamina parti.
At mala quum scabies miseros depascitur artus
Latrantum, et fœde miserabile corpus adurit,
Cerusam, abdomenque bovis, resinamque tenacem
Butyrumque recens viridantibus incoque sensim
Lentisci foliis, infectaque membra perunge.
Sed tunc præcipue solerti mente cavendum est,
Quum rabie accensus, nunc hos, nunc impetit illos,
Ipsi infensus hero, datque insanabile vulnus.
Ergo illum primo valida compesce catena;

Inde rosæ agrestis radicem pondere saxi
Contusam vivi fontis consperge liquore,
Ut potus speciem lino colata nigranti
Præferat; hac sumpta revocari ad pristina tradunt
Sensa canem, ac posita rabie mitescere rursum.
Sunt qui silvestres ficus adipemque vetustum
Contundant; ederas alii ferventibus undis
Emollire jubent, donec pars una supersit
E tribus, atque ipsis foliis tepidoque liquore
Pascere quadrupedem aurora surgente furentem.
Nil tandem usque adeo prodest, ac prima sub ipsum
Principium morbi rescindere semina ferro:
Nam qua parte imo conjungi lingua palato
Cernitur, et fauces nativo concolor auro
Occupat, in rabiemque feros agit usque Molossos
Vulnificus vermis, suffunditque ora veneno.
Quem si quis potuit ferro resecare, potentem
Is tanti abstulerit caussam, stimulumque furoris.

Quæ superant, olim; nunc prædam ad tecta jacentem
Ferre monet præsens fugientis temporis hora;
Quandoquidem calamos posuit Corydallus acutos,
Et jam sublustres invectat luna tenebras.

AD

NEMESIANI

DUO FRAGMENTA

ET QUÆDAM ALIORUM POEMATIA

DE AUCUPIO

PRÆFATIO.

Duo hæc fragmenta Nemesiani e Giberti Longolii dialogo de avibus citavit Conr. Gesnerus, libro de avibus, p. 431, in *turdo*, et p. 444, in *scolopace*, simulque correxit passim et illustravit. Alterum de scolopace etiam Bonaventura Vulcanius adduxit in notis ad Glossaria, unde repetens Barthius, Advers. lib. XV, c. 8, spurium illud et Nemesiani nomine indignum judicavit; quam sententiam etiam profert in commentario ad Statii Silv. II, 2, 105. Janus etiam Vlitius, in commentar. ad principia Nemes. et hæc ipsa fragmenta, non dubitat insulsa nimium et exsucca, immo et solœca pronuntiare, quæ non audeat ipsi Aurelio, sed hoc aliquanto posteriori auctori tribuere; ego vero nolim tam inclementi de fragmentis hisce sententiæ accedere. Longolius quidem in allegato dialogo de avibus, quem Coloniæ A. C. 1544 excusum ipse inspexi, Nemesianum poetam asseverat de aucupio latinis versibus scripsisse, atque aliquot versus ejus libri, e quibus hæc duo fragmenta retulit, ait in bibliotheca Salvatoris Bononiensi ab Hieronymo Boragineo, Lubecensi, quocum ipse Bononiæ et Ferrariæ aliquandiu vixerit, furtim descriptos et secum communicatos esse : neque ego plane indigna Nemesiano ista fragmenta

esse arbitror. Solœca et barbara in iis non invenio, et quæ huc forte referri poterant, vel ex prava scriptura indocti librarii, qui hæc ad gustum et morem sui sæculi accommodavit, orta sunt, et levi mutatione emendari possunt, vel ita sunt comparata, ut ab ætate Nemesiani non plane abhorrere videantur, quod ipsum in annotationibus nostris ostendetur. Insulsa autem et exsucca in his fragmentis, aut ego non capio, quæ sint, aut Vlitius imprudenter et temere judicavit, auctorique injuriam fecit. Quantumvis enim levem et tenuem materiam, qualis est de forma et captura aviculæ, ea cum amœnitate tractavit, atque iis luminibus distinxit, quæ non insulsum nec ineptum ingenium prodere videantur : loca ipsa attento lectori facile se offerent. Si quis tamen existimet, non ea gratia neque ornatu, quo Cynegeticon, scripta fragmenta esse, ut uni Nemesiano possint tribui, is cogitet, ferarum agitationem nobiliorem fortioremque partem venationis esse, multosque apparatus et belli aliquam speciem habere, majoremque adeo ornatum capere, quam aucupium, quod pertenui arte et instrumento insidias avibus struendas docet, et tractationem tam exilem habet, ut fere non alia in re, quam in recensendis avium formis versari possit. Ex ejusmodi recensione avium ipsa hæc sunt, quæ adducimus, fragmenta, quæ si quis exsucca et jejuna existimet, is velim comparet ex Oppiani Græcis et Ovidii Latinis Halieuticis ea loca, quibus genera et naturas variorum piscium describunt, ut videat, quem illi majorem ornatum rebus exiguis afferre potuerint. Debuit Nemesianus æque, ac ille, in tenuibus adeo rebus simplici tantum narratione uti, et in avium forma capturaque exponenda licuit vulgaria adhibere vocabula, quæ frequentare sua ætate ipsi aucupes et piscatores solerent. Quapropter quum fragmenta sint, quæ habemus, et particulæ ex majore opere decerptæ, narrationemque contineant e medio sermone aucupum promptam, nefas sit, ex his de toto opere, ipsiusque auctore, judicare, qui nescimus, quo

ingenio et ornatu, et quam simile Cynegetico reliquum opus perfecerit. Denique vero insunt his fragmentis aliqua indicia veteris ritus et moris Romani, de quibus auctor, tanquam ipse viderit, loquitur, adeoque ætatem eam prodit, qua Roma adhuc et Romana respublica floruit; quo indicio etsi auctor Ixeutici, ejusque ævum, nondum certo asseri et definiri potest, hoc tamen recte colligitur, digna esse fragmenta ætate Nemesiani, neque detrudi ad barbarum et inficetum sæculum posse, quo proba latinitas cum imperio Romano exspiraverat. Si qua igitur videantur in iis occurrere aliena ab elegantia Romani sermonis, ea vel ex argumenti vilitate æstimanda sunt, vel ipsa pro nævis cadentis Nemesiani ævo latinitatis habenda, quibus nec Cyneticon ejus caret.

Cæterum quum exiguæ adeo reliquiæ veteris poematis de aucupio exstent, mihi vero institutum sit, omnes rei venaticæ partes, quatenus a poetis Latinis traduntur, hoc libello, quasi quodam corpore venaticorum poetarum, proponere, consultum duxi, etiam quæ de ἰξευτικῇ invenirentur Latina carmina huc conferre, ne scilicet, si qui veteris aucupii rationem et varia genera cognoscere cuperent, hac in sylloge ægre ferrent eam partem desiderari. Multis quidem locis poetæ, ii præsertim, qui in laudibus rei rusticæ et villaticæ versantur, avium capiendarum studium attingunt obiterque describunt; hæc autem ex majoribus poematibus decerpta huc congerere quum infinitum fere ac molestum, nec satis conveniens nostro instituto fuisset, qui singularia atque integra ejus argumenti carmina volebamus, selegimus e Martialis, Ausonii et Paulini Nolani poematiis tria, brevia quidem, sed integra, quæ de aucupii aliqua parte aut genere avium sigillatim agunt, quibus illustrandis occasio esset artem aucupatoriam Veterum, comparatis aliorum scriptorum locis, exponendi. Quoniam vero in annotationibus neque omnia licebit neque justo ordine enarrare, quæ ad aucupationem pertinent, placet jam præstruere his et brevi de-

scriptione complecti, quæ Veteres de ratione et modo aucupii passim tradiderunt. Officium aucupis breviter complexus est versibus Manilius in asterismo cycni, lib. V, v. 368 seqq. Instrumenta capiendarum avium pleraque enarravit Oppianus in Ixeuticis e paraphrasi Eutecnii, lib. III, p. 84, et singula plenius ex aliis scriptoribus exposuit Windingius, in præfat. ad Eutecnii paraphrasin. Quæ ut ipsi paullo distinctius proponamus, omnis supellex aucupis, vel ad ipsam avium capturam pertinebat, vel ad dolum et allectionem eorum. Capturæ serviebant laquei vel pedicæ, calamus viscatus, crates vel cavea, area, retia, ad quæ amites et plagæ pertinebant, quæque aut expansa et opposita volantibus, ut irretirent, aut super aream pascentibus avibus ducta. Ex his *cratis* mentio, paullo rarior, fit ab auctore Octaviæ, v. 412, si recta est lectio, quam constituit Gronovius : *Vel calamo aut brevi decipere volucres crate.* Hujus tamen et calami aucupio adhibiti schema exhibet gemma antiqua apud Gorlæum, Dactyl. tom. II, n. 480, quam etiam repræsentavit Drakenborchius ad Sil. Ital. lib. VII, v. 674. Ad dolum et deceptionem avium comparata erant esca, pinnæ, fistula vel cantus aucupis, et avis illex, quæ erat aut similis capiendarum avium (Oppianus l. c. σύμφυλον ὄρνιν vocat), aut inimica. Similem adhibebant, quia conspecta ea vel audita aves ejusdem generis aggregantur. Ad inimicæ genus pertinet noctua, quam amiti alligatam ubi viderint interdiu, involant aves, et sic capiuntur; quem aucupii modum memorat Palladius, Septembr. n. 12, et Ovid. respicit Met. XI, 24 : « Et coeunt ut aves, si quando luce vagantem Noctis avem cernunt ». Sed præcipuus in hoc genere est accipiter, quem sic instituebant et cicurabant Veteres, ut serviret aucupi, avesque alliceret simul et caperet. Refert accipitrem inter aucupii instrumenta Aristophanes, in Avibus, p. m. 574, et Oppianus, Cyneg. lib. I, 65. Amplius vero describit Martialis, lib. XIV, epigr. 216 :

Prædo fuit volucrum, famulus nunc aucupis; idem
Decipit, et captas non sibi mœret aves.

Hac in arte Scaliger, Commentar. in Cirin, Virgil. p. 85, quasi incunabula invenit ejus aucupii, quo per accipitres avium venatio fit in aere, apud Principes hodie valde celebrata. Singulari hoc bellum aviarium, ut ita loquar, carmine descripsit Jo. Aug. Thuanus, quod scriptoribus Rei accipitrariæ adjunctum est, Lutet. 1612 : sed veteribus Græcis et Romanis ignotum fuit. Aliter tamen sentire et bellum illud avium in aere ad Trojana adeo tempora referre videtur Joannes Saresberiensis, nescio qua auctoritate inductus. Verba ejus hæc sunt, lib. I, cap. 4, p. 11 de nugis Curial. « Quos vero species illa venationis oblectat, ut aves avibus insequantur, si tamen hoc genus aucupii venationi censeas annectendum, mitiori quidem vexantur insania, sed non impari levitate. Venatica tam terrestris quam aerea, quanto solidior, tanto fructuosior est. Auctorem aucupationis suæ ab antiquis historiis Ulyssem proferunt, qui primus, excisa Troja, armatas aves attulit Græciæ, quas suavi quadam et grata admiratione videntium, in cognati generis exitium animavit ». Cæterum antiquissimum, quo usus ejus aucupii probetur, testimonium censetur esse Sidonii Apollinaris, in panegyrico Aviti Aug. 202. Veteres artem et laborem aucupii præcipue impenderunt capiendis edulibus avibus, ut mensas suas instruerent. Et de hoc agunt poematia, quæ proponemus.

EX LIBRO NEMESIANI
DE AUCUPIO
FRAGMENTA DUO.

Et Tetracem, Romæ quem nunc vocitare Taracem
Cœperunt, avium est multo stultissima : namque
Quum pedicas necti sibi contemplaverit adstans,
Immemor ipse sui tamen in dispendia currit.
Tu vero, adductos laquei quum senseris orbes,
Adpropera, et prædam pennis crepitantibus aufer :
Nam celer oppressi fallacia vincula colli
Excutit, et rauca subsannat voce magistri

1. *Tetricem* vocabant Græci, ut Arist. Hist. Anim. VI, 1; vel, ut Athen. IX, 20, *Tetracem*, quem Romani *Tetraona*. Meminit ejus Plin. X, 22, et Sueton. Calig. 22. *Taracem* sua ætate dici cœpisse, Nemesianus hic indicat. Longolius urogallum, vel gallum silvaticum majorem interpretatur; Gesnero tetrax Nemesiani idem qui trappus vel otis videtur.

2. *Multo stultissima*, ut Gratius v. 133 *multum pulcherrima*, ubi plura ejus adjectionis exempla attulit Burmannus. — *Namque* Gesnerus conjecit, *nunquam* citavit.

3. *Contemplaverit*, antique : nam forma activa usurpasse hoc verbum Ennium, Accium, alios, observat Nonius, VII, 11. Sic etiam apud Plautum occurrit. Plurima autem antiquata sequioris ætatis scriptores revocare solent.

5. *Adductos laquei quum senseris orbes.* Conferri hic meretur Ovid. Metam. XI, 73 : *Utque suum laqueis, quos callidus abdidit auceps, Crus ubi commisit volucris, sensitque teneri, Plangitur, ac trepidans adstringit vincula motu.*

6. *Prædam pennis crepitantibus aufer.* Luculenta descriptio captæ avis frustra evolare tentantis. Val. Flacc. VI, 265, de capta ave : *irrita concitat alas.*

8. *Subsannare*, eludere, irridere, sequioris ævi vox, Tertulliano etiam usurpata. — *Magister* h. l. est auceps, ut apud Grat. 328, κυνηγὸς scil. venator.

Consilium, et læta fruitur jam pace solutus.
Hic prope Pontinum, et radicibus Apennini
Nidificat, patulis qua se sol objicit agris;
Persimilis cineri dorsum, maculosaque terga
Inficiunt pullæ cacabantis imagine guttæ.
Tarpeiæ est custos arcis non corpore major,
Nec qui te volucres docuit, Palamede, figuras.
Sæpe ego nutantem sub iniquo pondere vidi
Mazonomi puerum, portat quum prandia Circo,
Quæ Consul Prætorve novus construxit ovanti.

9. *Fruitur*, i. e. gaudet. Seneca, Herc. fur. 34 : *superat, et crescit malis, iraque nostra fruitur.*

10. *Prope Pontinum, et radicibus*, sic legit Vlitius. Gesner. cit. *prope Pontinum radice Apenn.* Burmannus mavult *in radicibus*. Pontinum sive lacum sive campum in Latio intelligit.

12. *Dorsum*, *collum* conj. Gesn. In Cyneg. v. 320 dicebat *sparsos tergo vernare colores*. — *Pullæ guttæ* legit Vlit. sic enim *Numidicæ guttatæ* Martiali, III, 58, 15 : sed Gesn. citavit *notæ*: quæ fortasse vera scriptura est, quod certum est, Nemesianum et Calpurnium veterem verumque syllabarum modum sæpe mutasse, idque exemplis probavit Vlit. ad Nemes. Cyn. v. 170. Similiter tamen Auson. Mos. v. 88 : *purpureis stellatus tergora guttis*. — *Cacabantis imagine*, i. e. perdicis : nam *cacabare* vocem perdicis esse, ait auctor carminis de vocibus avium, Anthol. Burm. lib. V, 143, v. 15 et 144, v. 12. Sic forte loquebatur vulgus rusticorum aucupantium, qui sua quamque avem voce designabant : nec recens adeo et barbarum vocabulum, ut cætera ejus carminis, existimes, quia κακκαβάζειν vel κακκαβίζειν jam Græcis usitatum. Vid. Jul. Polluc. V, 13, et Juventin. Philom. v. 19.

14. Hac ave nec anser, neque grus major est. Cur anser *Tarpeiæ custos arcis*, nota est historia. — Similiter Lucret. IV, 687 : *Romulidarum arcis servator, candidus anser*. Ed.

15. Palamedes quarumdam literarum a se inventarum figuras a gruum volatu vel forma didicisse dicitur. Hinc *volucres figuræ* h. l. sunt literæ volucris, i. e. gruis formam vel volatum referentes. Sic *gruis effigiem* vocat literam φ Ausonius, Idyll. XII. Vid. etiam Martial. XIII, 75.

17. Gesnerus cit. *Mazonoim*, sed emendat *Mazonomi*, recte : nam hoc habet auctor ab Horat. Serm. II, 8, 86 : *deinde sequuti Mazonomo pueri magno discerpta ferentes Membra gruis*. Mazonomum magnam scutellam interpretatur scholiastes Hor.

18. *Circo ovanti* quin legendum cum Burmanno sit, non dubito, et Circum intelligo de populo in Circo ludis et epulis vacante. Quippe Consules et Prætores, magistratum ineuntes, ludos in Circo et epulum

* * *

Quum nemus omne suo viridi spoliatur honore,
Fultus equi niveis silvas pete protinus altas
Exuviis; præda est facilis, et amœna Scolopax;
Corpore non Paphiis avibus majore videbis.
Illa sub aggeribus primis, qua proluit humor,
Pascitur, exiguos sectans, obsonia, vermes.
At non illa oculis, quibus est obtusior, etsi
Sint nimium grandes, sed acutis naribus instat.

dare solitos, notum est, et sequiore ætate sub Imperatoribus perpetuo usitatum, patet e Vopisco, Aurel. c. 12, et Cod. Theod. lib. VI, tit. de Prætor. Cœnasse etiam subinde Cæsares in Circo maximo, Sueton. in Ner. c. 27 ostendit. *Ovanti* est hilari, exsultanti: nisi forte legendum est *aventi*, i. e. avido et appetenti ciborum.

19. *Quum nemus*, quum folia arboribus decidunt, prima hieme. Vid. Cyneg. v. 321. *Suo viridi honore*, duobus epithetis, moleste dictum: sed vix aliter in Cyneg. 211, *cœlesti corrupto sidere*.

20. *Fultus equi niveis exuviis*. Provectus equo pelle nivea instrato, ea figura dictum, qua Virgil. Georg. lib. I, vers. 59, *Eliadum palmas equarum*, pro equis palmatis. Nempe pellibus ferarum uti pro strato equorum solebant præcipue venatores. Hinc apud Statium, Theb. IV, 272, Parthenopæus equum habet *velatum geminæ dejectu lyncis*. *Fulciri* toro, pellibus, dicuntur, qui incubant vel insident: sic apud Claud. de Nupt. Hon. 151, Venus Tritone vecta, pulvillis purpureis instrato, *navigat ostro fulta*. Conf. Halieut. v. 71.

21. *Scolopax*, genus avium, gallinæ corpore et moribus simile, rostro prælongo, nunquam insidens arbori; Latinis gallinago, et jam *rusticula* vocatur, de qua Mart. XIII, 76. — *Facilem prædam* in Cyneg. v. 191 dixit.

22. *Paphiis avibus*, columbis, Veneri sacris: *Paphie*, ut recte profert Modius, est Venus ipsa; sed *Paphia* Venus adjectivum a Papho, ut *Paphia myrtus* et similia. Burmann. in Antholog. vet. Lat. Epigramm. et Poem. tom. II, lib. IV, ep. 142, v. 5, legit *Paphie* et intelligit de Venere, sed addit *Paphie* hoc sensu Antiquis inusitatum, teste Vavassore de Vi et Usu quorumd. verb. pag. 30. Ed.

23. *Aggeribus primis*, extrema parte riparum, quæ maxime aquarum alluvie madescit, et in locis palustribus, pascitur.

25. *Illa* videtur ad *obsonia* referendum. — *Instat obsonia*, i. e. quærit et insequitur, antique dictum est. Plaut. Curcul. III, 6, *si me magis instabunt*, et Terent. Andr. I, 1, 120, *ille instat factum:* ubi vid. Donatus.

26. *Nimium*, i. e. valde *grandes*, recentiorum ipsiusque Nemesiani more. Vide ad Cynegetic. vers. 22 et 113.

Impresso in terram rostri mucrone sequaces
Vermiculos trahit, et vili dat præmia gulæ.

Citaverunt hæc ex V. C. Bononiensi Gib. Longolius et Conr. Gesnerus.

28. In *gula* penultimam produxerunt quidam sequioris ætatis. Sic alius Afer poeta, sed Nemesiano recentior, Luxorius, Epigr. 16, tomo II Anthol. Burm. lib. VI, *quid festinus abis gula impellente sacerdos;* ubi tamen *ventre* poterat scribi, quemadmodum et Nemesiano facile fuit scribere *atque gulæ dat præmia vili*, sed recentior librarius pro gustu ætatis suæ mutavit et transposuit, ut nunc legitur.

I.

MARTIALIS

LIB. IX, EPIGR. LV *.

Si mihi Picena turdus palleret oliva,
  Tenderet aut nostras silva Sabina plagas;
Aut crescente levis traheretur arundine præda,
  Pinguis et implicitas virga teneret aves;
Cara daret solenne tibi Cognatio munus,
  Nec frater nobis, nec prior esset avus.

* Selegimus hoc epigramma, quod et aucupii rationem et celebriora avium genera indicat.: re ipsa enim silvatici generis avium, quæ in deliciis erant, turdum, deinde agrestium et ignobilium aliquas, denique domesticas, sive villaticas memorat. Excusat se amico, quod solenni Charistiorum die, quo aves invicem muneri mitti solebant, ipse non aliam, quam domesticam, mittat, quandoquidem peregrinas et delicatas aucupio parare non soleat, suus ager vero ignobiles et macras habeat, quæ non expetantur.

1. *Si mihi Picena.* Si Piceno in agro aucupium exercerem, unde habere turdos possem olivis Picenis pastos et pinguefactos. — *Palleret* est pinguesceret: turdi oliva maxime pasci dicuntur. — Athenæus, lib. II, cap. 24: ἐλαιοφυλλοφάγοι s. ἐλαιοφάγοι κιχῆλαι. Ed. — Calpurn. III, 48, et Ausonius, Epist. 3, 1, *Picenæ populator turdus olivæ.*

2. *Tenderet.* Aut si in silva Sabina retia mea tenderem capiendis avibus, quæ ibi sunt optimæ.

3. *Aut crescente.* Aliud genus aucupii per arundinem vel calamum, quem describit Martial. XIV, 218. Erat arundo, vel potius series arundinum ex aliis atque aliis insitis composita, quibus pedetentim promotis in altum et ita *crescentibus*, summaque in parte visco oblitis, avis in arbore tacta et alligata detrahebatur. Hinc *structum calamum* vocat Propert. II, 19, 24; *calamum crescentem*, *viscatam arundinem*, et *substructam metam* Sil. Ital. VII, 676: neque aliud sequente versu est *pinguis virga*, i. e. viscata. Conf. Salmas. ad Solin. p. 765; Drakenb. ad Sil. l. c. Burm. sec. ad Anthol. tom. II, p. 178.

5. *Cara Cognatio* appellatur in vetustis Calendariis dies VIII Cal. Mart. qui alias Charistia vocabatur, de quibus Ovid. Fast. II, 617, et Val. Max. lib. II, c. 1, § 8. Eo die

Nunc sturnos inopes, fringillarumque querelas
  Audit, et arguto passere vernat ager.
Inde salutatus picæ respondet arator,
  Hinc prope summa rapax milvus in astra volat.
Mittimus ergo tibi parvæ munuscula cortis,
  Qualia si recipis, sæpe propinquus eris.

cognati inter se convivia instituere et dona mittere invicem solebant, præsertim aves; quod ipse Martialis sequente epigr. indicat: *Luce propinquorum, qua plurima mittitur ales.*

7. *Sturnus, fringilla, passer, pica, milvus* nota sunt avium agrestium et vilium nomina, partim quidem loquacium, sed quæ non expetantur ad cibum. — *Sturnos inopes* explico viles et fame emaciatos: contrario sensu *opimus* pinguis significat.

11. *Parvæ munuscula cortis* sunt aves villaticæ. *Cors*, quasi cohors, est septum, quo gallinæ, anseres, anates continentur. Martialis, III, 58, 12, *turbam sordidæ cortis* vocat, ejusque plures recenset, pavones, phœnicopteros, perdices, Numidicas, phasianos: *cohortis aves*, Ovid. Fast. IV, 704.

12. *Sæpe prop. eris*, h. e. pluribus annis hoc festo die tale munus, quasi propinquus esses, accipies.

II.

AUSONII

EPISTOLA III AD HESPERIUM *.

QUALIS Picenæ populator turdus olivæ
    Clunes opimat cereas;
Vel qui lucentes rapuit de vitibus uvas,
    Pendetque nexus retibus,
Quæ vespertinis fluitant nebulosa sub horis,

* Dignum videbatur hoc epistolium, quod adjiceretur, quum propter aliud aucupii genus hic memoratum, tum propter elegantem avium, quas Ausonius mittit, descriptionem, turdi, ficedulæ et anatis. Priorum versuum hæc sententia est: Mittere se quidem turdos de hiberna captura, sed tales et tam pingues, quales esse soleant, ubi adhuc oliva in arbore vel uvis pascantur.

1. *Picenæ*. Est Picenum Italiæ regio ad mare Adriaticum quæ vulgo ab Ancone urbe dicitur *la Marche d'Ancone*. Plin. Hist. Nat. lib. XV, scr. *Picenas olivas Italicis in cibis prælatas*. Ed. — *Populator olivæ*, qui depascit olivas: de hoc ad superius epigramma.—*Opimat*, pingues reddit. — *Cereas*, colorem ceræ referentes ob adipem.

3. *Lucentes*, ob pellucidum succum turdos etiam uvis vesci, nescio, quis prodiderit. Sed fortasse hic ficedulam, juxta turdum, describit, de qua Martial. XIII, 49: *Quum me ficus alat, quum pascar dulcibus uvis, Cur potius nomen non dedit uva mihi?*

4. *Nexus retibus*. Vinetus ad hunc locum genus aucupii significari ait, quando inter duas nemoris arbores proceras, ubi spatium et transitus avibus volantibus patet, primo diluculo et vespere expanditur rete tam amplum, quam alta lataque transenna est, in quod involantes capiuntur aves, dum in pascua exeunt vel revertuntur. — *Fluitant*, vento moventur. — *Nebulosa*, quæ in crepusculo quasi nebulæ videntur volucribus. Suspicor Ausonium ipsum genus retis hoc vocabulo exprimere, quod Græci νεφέλην appellant, qua aves ceu nube teguntur. Jul. Pollux, lib. X, c. 42: οἷς ἂν οἱ ὀρνιθοθῆραι χρῶνται, παγίδες, νεφέλαι, δίκτυα. Et Schol. Aristoph. in Avibus; p. 550: νεφέλη εἶδος ἦν δικτύου θηρευτικοῦ. Conf. Anthol. Gr. lib. I, c. 60, n. 4. — Latine *nebulas* dicit, iisque formidines adjungit A. Gell. lib. VIII, c. 10 argumento: « Disceptatio cum Grammatico quodam

Vel mane tenta roscido;
Tales hibernis ad te de sepibus, ipsos
Capi volentes, misimus,
Bis denos : tot enim crepero sub lucis Eoæ
Præceps volatus intulit.
Tum quas vicinæ suggessit præda lacunæ,
Anates maritas junximus,
Remipedes, lato populantes cærula rostro,
Et crure rubras punico;
Iricolor vario pinxit quas pluma colore,

præstigioso, tempora verborum et meditamenta puerilia ignorante; remotarum autem quæstionum nebulas et formidines, capiendis imperitorum animis, ostentante ». Ed.

7. *Hibernis de sepibus.* Quid sit illud, quod h. l. Ausonius ait mittere se turdos, ipsos capi volentes, id explicat Oppian. Halieut. I, 33, quasdam aves, dicens, ipsas incidere in plexa septa, cubili indigentes, ἐν ἕρκεσιν ἤριπον αὐτοὶ Εὐνῆς χρηΐζοντες. Latius id exponit in Ixeuticis, quæ in Eutecnii paraphrasi leguntur, lib. III, p. 84, ubi inter alia capturæ genera hoc refert, si virgultum aliquod vel arbor, ramis alienis aptatis, subornetur, et avis mansuefacta adhibeatur ad capturam; neque tamen (sic pergit pag. 88), ope avis illicis semper opus esse; nivoso enim et hiberno tempore, ubi nudæ sint arbores foliis, aviculas statione et tegumento indigentes in effictos subornatosque ramos, quasi veri illi essent, involare : τότε γὰρ ἕδρας τε καὶ σκέπης χρῄζοντες οἱ στρουθοὶ, τοῖς νόθοις τε καὶ σεσοφισμένοις τούτοις κλάδοις ὡς ἀληθέσι προσίπτανται. Igitur *hibernas sepes* vocat Ausonius, quas hieme ramis arborum integebant, vel exstruebant ad densi virgulti modum, in quas sponte involantes aves, tegumentum quærentes, visco adhærebant, vel reti concludebantur.

9. *Sub crepero lucis*, i. e. dubia luce matutina, vel primo diluculo: *creperum* Varroni et Censorino incertum et anceps significat.— Idem Festo et Nonio. Unde crepusculum appellatum tempus, quod noctis sit an diei, incertum est. Ed.

11. *Præda lacunæ*, i. e. deprædatio facta lacunæ, in quam inciderant anates. Lacunam intelligo collectionem aquarum, vel lacum ex inundatione vel influxu vicini maris ortum in litore. Hinc *marinas* lego cum Vineto, quibus et convenit quod mox dicitur, *populantes cærula*, i. e. pastum sectantes in lacubus marinis.

13. *Remipedes* sunt, quæ in aqua pedibus, quasi remis, utuntur, ut omnes aquaticæ, quas Plinius aliquoties *palmipedes* vocat, ut lib. X et XI. Inverso sensu Auson. Epist. V, 32, ratem dicit *remipedem*, et Mosell. v. 201, ubi *remipedes* lembi dicuntur.

15. *Iricolor pluma*, quæ varios

Collum columbis æmulas.
Defraudata meæ non sunt hoc fercula mensæ :
Vescente te, fruimur magis.

Vale bene, ut valeam.

arcus cælestis colores refert : hinc otiosum videtur, quod additur, *vario colore*.

17. *Non sunt hoc fercula*. Sic edidit Scaliger, quum antea legeretur *hæc ferc*. et omnino ratio verbi *defraudare* sic poscere videtur.

18. *Vescente te*. Quod edis, id magis me delectat quam si ipse ederem. Ed.

III.

PAULINI NOLANI

CARMEN I

ADDITUM EPISTOLÆ AD GESTIDIUM, CUI ALIQUOT FICEDULAS MITTIT.

SUME igitur pastas dumoso in rure volucres,
Quas latitans filicis sub tegmine callidus auceps,
Dum simili mentitur aves fallitque susurro,
Agmina viscatis suspendit credula virgis.
Tunc referens tenuem non parvo munere prædam,
Digerit aucupium tabulis, et primus opimis

1. Etiam hoc poemation dolum et morem aliquem aucupum breviter notat. — *Volucres* intelligi ficedulas, præcedens epistola indicat: quas tamen hic non fico aut uva pastas, sed *dumoso in rure*, vides. Sed hoc fortasse modeste Paulinus, ad excusandam earum tenuitatem.

2. *Filicis sub tegmine*, casam intelligit filice tectam, qua latitans auceps avibus insidias struit; crebroque ejus mentionem facit Eutecnius in paraphr. Ixeut. Opp. καλύβην vocans. *Filicum maniplis* humus sternebatur in stabulis; Virg. Georg. III, 297. — Aliter *filicis tegmine* explicat El. Vinetus ad Auson. p. 584. « Nempe auceps fascem sumit e longioribus filicibus, in eumque vinculo superne compressum caput immittit ita, ut totus præter pedes in filice lateat, atque ita contectus ad sepem venit, qua in regione sint uvæ, mora, baccæ, vel hujusmodi aliud, quo se alunt aviculæ. Prælongam virgam bifurcam, vel trifurcam, viscatam quam ab altera parte manu tenet, super summos frutices ostendit: ore susurrum edit, quem ubi acceperunt volucres, advolant et surculis residentes adhærent ». ED.

3. *Dum simili*. Dolum describit aucupis, quum susurro, fistula, cantu vocem avium imitatur, ut deceptæ tanquam ad similem congregentur. Martialis, XIV, 218: *Non solum calamis, sed cantu fallitur ales*. Et notum est illud Dion. Catonis, I, 27: *Fistula dulce canit*, etc.

6. *Digerit aucupium*, i. e. aves captas et necatas. Hic observare licet morem aucupum, non alias obvium, quo aves captas disponere in tabula per ordines et affigere, et sic dispositas deferre, vendere, mit-

Ordo nitet sensim tenuatus ad ima tabellæ,
Ut minus offendat macies; prælata saginæ
Gratia præventos pingui juvat alite visus.

tere ad alios solebant, fortasse ne congestæ in cumulum et stipatæ putere e contactu inciperent, tum vero ut pingues et macilentæ facilius discernerentur. Eadem ratione olim vimini in orbem flexo appendi atque ita connexæ venum ferri solebant: *quam coronam pinguibus gravem turdis* vocat Martial. III, 47, 10, et conf. ejusd. lib. XIII, 51. — Et Ovid. Am. I, 269. Ed.

7. *Sensim tenuatus.* Non ipse ordo avium ad ima tabellæ procedens tenuior et angustior fit, sed ita instructus est, ut superiore loco opimæ sint positæ, inferius sequantur tenuiores.

8. *Prælata saginæ gratia*, h. e. grata pinguitudo avium, quæ primo ordine locatæ sunt, ita visum occupat, ut reliquarum macies non advertatur.

IV.

EPITAPHIUM Q. MARII OPTATI.

Heu! juvenis tumulo qualis jacet abditus isto,
Qui piscem jaculo capiebat, missile dextra
Aucupium calamo præter studiosus agebat.

1. Hoc bene carminibus de aucupio subjunxi epitaphium quod aucupem laudat in Burman. Anthol. Lat. lib. IV, epigr. 236. Ed.

2. *Capiebat.* Greg. Majansius in Epist. I ad Burm. affert *captabat*. Ed.

3. Illud *præter* procul dubio mendosum est. N. Heinsius corrigebat *prædæ studiosus agebat*, quod et Burmanno placet et mihi. — *Aucupium calami* hic intelligendum est de arundine visco obducta, et *missile* ideo dicitur *aucupium*, quia plurimarum arundinum, quæ extendi poterant, seriem auceps, si avem in summo arboris culmine videret, tacita manu in altum erigebat, donec crescente earum ordine volucris corriperetur, et inhæreret visco, quo suprema arundo erat circumlita. Unde apud Prop. II, Eleg. 19, 25, *structo figere avem calamo*. Ed.

HALIEUTICA

QUÆ

DICUNTUR OVIDII

CUM

FRAGMENTO HALIEUTICI

AB

HIER. COLUMNA EDITO

FRAGMENTO

ΠΟΝΤΙΚΩΝ

C. JULII SOLINI

ET

FRAGMENTO PHAGESIORUM

Q. ENNII

ACCEDIT

AUSONII MOSELLA

EJUSDEMQUE ALIUD CARMEN

DE OSTREIS

IN
HALIEUTICA
PROOEMIUM.

I.

DE AUCTORE HALIEUTICI *
QUOD OVIDII DICITUR.

In primæ editionis exemplaribus opusculum hoc inscribitur P. OVIDII NASONIS HALIEUTICA. In codice Thuaneo, quem Vlitius et Heinsius contulerunt, ita legitur : INCIPIT OVIDII VERSUS DE PISCIBUS ET FERIS. Alius vero codex chartaceus, quem Heinsius allegat, Ambrosianus sive Mediolanensis, tantum inscribit HALIEUTICON. Quum in codicibus, quamquam paucis, tam varia reperiatur inscriptio, non videtur Ovidii nomen, nisi a librariis, additum auctoritate Plinii, qui volumen Halieuticon inscriptum, duobus locis a se lectum memorat, et Ovidio tribuit. Ponamus hic ea testimonia, ut deinceps, quid de auctore opusculi nobis videatur, subjiciamus. Ita vero Plinius, lib. XXXII, cap. 2 : *Mihi videntur mira et quæ Ovidius prodidit, piscium ingenia, in eo volumine, quod Halieuticon inscribitur.* Iterum capite 11 ejusdem libri : *His adjiciemus apud Ovidium posita nomina, quæ apud neminem alium reperiuntur; sed fortassis in Ponto nascuntur, ubi id volumen supremis suis temporibus inchoavit.* Quæ e verbis Plinii certo colliguntur, hæc sunt : inscriptum illud volumen fuisse Halieuticon ; fuisse

* Conf. quod editioni nostræ Ovidii, volum. primo, pag. 437, inseruimus, Halieuticon, et ibi notam *. Ed.

inchoatum opus et affectum, non absolutum, et fuisse illud ipsum opus, quod hodie habemus: etenim ipsa ea piscium nomina et ingenia, quæ in Halieutico hodie leguntur, enumerat, servatis non solum verbis ejus ut plurimum, et poeticæ dictionis vestigiis, quæ prompta e poemate significent, sed ordine etiam et divisione libelli observata; nam quum gemina quasi recensio piscium in Halieutico reperiatur, quæ interposita digressione de quorumdam terrestrium animalium natura dividitur, Plinius priore loco non nisi eorum piscium ingenia memorat, quæ priore Halieutici parte recensentur, et altero loco, quæ altera parte. An vero auctor Halieutici Ovidius eodem Plinii testimonio confirmetur, adhuc dubitari possit: nam Ovidium auctorem ita nominat, ut haud obscure prodere videatur, non inscriptum ejus nomen in fronte libri fuisse, sed eum a se pro auctore habitum. Neque tanta auctoritas Plinii apud Janum Vlitium fuit, quin ab eo discederet, et Gratium potius, vel alium quempiam, Halieutici auctorem esse, quam Ovidium, judicaret. Nemesianum adeo Halieutici auctorem probare conatus est Barthius, Advers. lib. XLIX, cap. 7. Et perpensis Vlitii rationibus, quas sane graves adduxit in præfatione ad Halieutica, non diffiteor me adduci, ut, si Plinius Ovidium pro auctore habuit, errore inductum putem. Equidem poema Gratii diligenter pertractando, ita mihi familiarem reddere ejus dictionem studui, ut pronuntiare non dubitem, plane ei geminum Halieutici stylum esse, præsertim in digressione, qua de animalibus terrestribus agit. Reperire mihi in eo videor parcam et duriusculam Gratii brevitatem, a molli et liquida Ovidii dictione multum diversam; video etiam vestigia imitationis Lucretianæ et Virgilianæ in Gratio identidem spectandæ; recognosco denique idiotismos Gratii ex ejus Cynegetico cognitos, qualis inprimis est ille, multum ab eo frequentatus, quando præteritis verborum utitur pro præsenti, vid. v. 56, et plura ejus convenientiæ cum Gratiano Cynegetico exempla in annotatione apposita

dabimus. Totum Halieutici adornandi consilium auctorem prodit totius θηρευτικῆς, qualis apud Veteres colebatur, studiosum et peritum. Qui animum ad colendam vel describendam venandi artem adjiciebant, iidem et piscationis studio tenebantur. Oppianus, qui de venatu scripsit, etiam piscatum et aucupium persequutus est; et Nemesianum κυνηγετικὰ non solum, quæ habemus, sed etiam ἁλιευτικὰ scripsisse, memorat Vopiscus. Gratium igitur venationis disciplina clarum, quis dubitet piscationi operam dedisse? et quum Halieuticon habeamus ejus ævo dignum, quidni ipsi Gratio vindicemus? In dissertatiuncula ista, quam interserit auctor de vi et ingenio quorumdam animalium, a versu 49 ad 82, non solum terrestris venationis amator et peritus, sed plane ipse Gratius apparet, qui de quarumdam ferarum vel impetu vel fuga, præterea de equorum fortitudine, tum de canum sagacitate, variisque eorum in venando virtutibus, plane ut expertus venator, atque ea, qua ipse Gratius, methodo disserit. Adjuvant præterea hanc opinionem codices MSS, quum primus ille, e quo Gratii Cynegeticon cum Halieutico primum editum est, tum alter ille Thuaneus, quorum uterque Gratii Cynegetico Halieuticon continuo subjicit. Quod si Halieutici auctor Ovidius agnitus etiam ab Antiquis est, qui factum est, ut in nullo operum Ovidii codice inveniretur? quum contra non defuerint, qui Ovidio plane aliena et spuria subjicerent, qui factum est, ut, quum Plinius illud Ovidio attribuisset, librarii tamen soli Gratio adderent? At quod Plinius opinatur, in Ponto Ovidium hoc opus supremis suis temporibus inchoasse, id maxime urget Vlitius, ut contrario argumento inde probet, Ovidii non esse: « Quomodo enim, inquit, Romam delatum, si non ab ipso « missum, ut reliqua, quæ in Ponto condidit? quomodo « mitti ab ipso potuit, si inchoatum tantum, et, ut re vera « est, inabsolutum et imperfectum reliquit? Si tamen in« choavit id volumen in Ponto Ovidius, cur hujus non me« minit, ut ejus, quod de bello Actiaco moliebatur, et al-

« terius Getico sermone, quæ item inabsoluta (1) reliquit? » Sane mihi videtur Plinius, quod ex ipsius verbis colligere licet, in fronte hujus fragmenti nihil aliud, quam HALIEUTICON legisse, hoc autem subjunctum reperisse alii libello cognati argumenti, e cujus vel titulo vel nomine auctoris adscripto falso conjiceret Plinius, auctorem utriusque Ovidium esse. Quid enim, si præmissum fragmento Halieutici carmen fuit Ποντικῶν inscriptum, quale illud Julii Solini fuit, cujus principium habemus? In quo quia præcipue pisces et ostrea in Ponto Euxino invenienda describerentur, nam hoc ipsum Ποντικῶν nomen indicat, suspicatus est Plinius, ab Ovidio, quum in Ponto esset, scriptum esse, quum etiam epistolæ ejus, e Ponto missæ, sæpe Ponticæ dicerentur. Immo Pontica dicta esse existimo quævis opera, quæ piscium et marinarum opum delicias describerent, quod celebratissimæ fere earum ex Pontico mari ferebantur. Unde facile erat, ejusmodi opus, cui conjunctum vel insertum Halieuticon esset, idque versibus scriptum, Ovidio poetæ, qui in Ponto vixisset, adscribere. Fortasse hanc ipsam ob rationem auctor illius operis, quo celebratius hoc esset, nomen Ovidii falso mentitus est, aut nomen ei simile gessit, quo inductus Plinius auctorem pro poeta Sulmonensi haberet (2). Exstant inter Romanos nomina Aufidii, Avidii,

(1) Porro autem si, quod Plinius opinatur, Ovidius Halieuticon in Ponto scripsit, et nomina piscium, qui in Ponto nascuntur, enarravit, credo abesse non potuisse, quin istius in enarratione Pontici maris vel obiter mentionem injiceret; quod quia nusquam factum videmus, hinc neque ab Ovidio scriptum opus illud credibile est. ED.

(2) De auctore Halieutici loquens suspicor inter alia, fortasse auctorem illius carminis nomen gessisse Ovidiano simile, quo inductus fuerit Plinius, ut eum pro poeta Sulmonensi haberet. Inter ea nomina quæ similia Ovidiano Romana antiquitas habet, debebat inprimis Nasonis cognomentum referri, quod plures familiæ Romanæ gesserunt: nam occurrunt passim apud veteres scriptores Axii, Actorii, Catii, Julii, Octavii, Otacilii, Valerii Nasones, denique et Oledius Nasso apud Philargyrium ad Ecl. III Virgilii. Videtur autem Nasonum cognomentum iis maxime

Veidii, Ovinii, Ofilii, quæ quum magnam affinitatem habent cum Ovidio, tum facillime poterant commisceri. Ego vero valde in eam sententiam propendeo; ut putem, Halieuticon non alicui equiti Romano, qualis Ovidius Naso

attributum, qui habitationes aut villas haberent regione aquosa, atque ex pascuis et piscium copia quæstum facerent: commodissime enim Nasonis nomen a verbo *nare* et *natare* ducitur, quod ut est a græco νάειν, unde Naiades, Deæ aquarum potentes, ita Naso nandi et aquationum amans, curator vel dominus, ut equiso, qui equos curat, agaso, qui jumenta agit. Ratio hæc optime in nomen et familiam Ovidii quadrat, qui patriam suam Sulmonem *aquosum* et *gelidis uberrimum undis* vocat, Am. III, 15, 11; Trist. IV, 10, 3. Ab eadem origine nassam, qua pisces capiuntur, et nasiternam vas aquarium dici arbitror. Propiorem fortasse Nasonum cognomento occasionem Nar fluvius dedit, quasi Naris accolis, ad quem qui campi adjacebant, fecundissimi Italiæ habebantur, teste Tacito Ann. I, 79, iidemque erant maxime aquosi et pascuis apti: nam in iis amnis et lacus Velinus, qui Narem emittebat, pluresque alii, unde pars ejus regionis *Septem Aquæ* vocabatur, Dionys. Halicarnassensi memorata, lib. I, 15. Velino adjacentem regionem ob insignem amœnitatem Tempe vocatam, testatur Cicero, et agri Reatini campo celebre admodum nomen erat Roseæ, quam Cæsar Vopiscus apud Varr. R. R. lib. I, 7, sumen Italiæ dicebat. Vid. præterea Varro, R. R. III, 2; Cic. ad Att. IV, 15; Virgil. Æn. VII, 712. Propter eam ubertatem soli, nemorum amœnitatem, lacuum amniumque frequentiam poterat regio Reatina in Sabinis sedes pastionum, venationum, piscationumque videri. Campestria Roseæ et agrum Reatinum nobilem esse asinis et mulis memorat Varro, R. R. II, 1. In fragmento Ποντικῶν ad describendas piscium copias Nymphæ invocantur *cava Tempea colentes*: quæ sane Thessalica esse non possunt, sed loca amœna et nemorosa ad lacum Velinum eo nomine celebrata Romanis. Et in hac regione ad Narem amnem magnas possessiones habebant Axii, et cognomentum gerebant Nasonum: nam L. Axius Naso in denario Romano legitur apud Valentem, Famil. Rom. vol. I, p. 170; atque idem L. Axius Naso, tribunus plebis, est in fragmento veteris inscriptionis, apud Grut. p. C, n. 5. Atque hic censetur fuisse filius Q. Axii, senatoris et Ciceroni familiaris, qui Varrone, R. R. lib. III, 2, et Cicerone ad Att. IV, 15, testantibus, villam habebat in Rosea ad lacum Velinum, aliamque ad Aquas septem. Quanta autem negotia Axii et quem quæstum e pastionibus suis habuerint, potest e quibusdam documentis apud Veteres relatis colligi. Q. Axio asinum CCCC millibus nummum emptum esse scribit Varro, R. R. III, 2, et Plin.

fuit, sed homini libertino tribuendum, qui forte olim uni ex gurgitibus Romanis, seu piscinarum Tritonibus, quos Cicero vocat, servierat rei rusticæ et villaticæ præfectus, eamque ob rem piscium omnis generis notitiam magno studio comparaverat, quod nobiliores Romani plerumque refugiebant, aut indignum persona sua judicabant. Habebant enim nobiles Romani piscinas tanto sumptu tantaque piscium copia instructas, ut dominis magister aliquis et no-

VIII, 43. L. Axius eques Rom. ante bellum civile Pompeianum singula paria columbarum quadringentis denariis vendidit, ut idem Varro, III, 7, et ex eo Plinius, X, 37, refert. Q. Axius denique is est, cui Varro libro III extremo de R. Rust. partes de piscinis disserendi defert, ut hunc maxime piscationum usu et scientia excelluisse intelligas. In nummo L. Axii Nasonis, una parte Mercurii caput, altera Diana venatrix expressa est. Quæ mihi non editam in Circo venationem indicare, sed vitam et negotia Axii Nasonis videtur, eo quod propter villarum agrorumque suorum abundantiam venationi et piscationi inprimis studebat, et Dianam Mercuriumque rerum suarum præsides colebat. Etiam hoc notatu dignum est, quod in fragmento Ποντικῶν Nymphæ et Napeæ invocantur Tempea incolentes: nam hinc colligitur, Tempea hæc, in qua regione ipsi villam habebant Axii Nasones, propter piscatum maxime celebrata fuisse, atque inde piscium notitiam præcipue petitam. Quapropter admodum mihi probabile videtur, Gratium, ab ea ipsa regione tam nobili et fœcunda, occasionem Halieutici scribendi habuisse, atque vel ipsum cognomento Nasonis usum, quod Axii Nasonis libertus esset, et studio piscationum excelleret, vel, quod Halieuticon ex mandato et præceptis patroni sui composuisset, L. Axii Nasonis, tanquam auctoris, nomen præscripsisse. Quo pacto omnis de auctore Halieutici suborta difficultas facile tollitur, et Gratius idem Halieutici, qui Cynegetici, auctor, propter manifestam styli similitudinem, est: Plinius autem, Nasonis nomine in fronte Halieutici reperto, facili errore hunc pro Ovidio Nasone habuit. In Gruteri corpore Inscript. p. 861, 1, occurrit L. Axius Charistus. Charisti nomen græcum idem est ac latinum Gratii. Habes igitur exemplum Gratii, ab Axii quodam liberto orti, aut in Axiæ gentis nomen assumpti. Et verisimile est, Gratium nostrum, quum serviret adhuc, Charisti nomen pro consuetudine, qua Græca nomina servis imponi solebant, habuisse, quod deinceps libertate donatus in Romanum Gratii mutavit, atque integro nomine L. Axius, Nasonis libertus, Gratius, vel Gratius Naso vocatus est. Ed.

menclator opus esset (1), qui piscium vocabula et genera teneret, et, quando opus esset, redderet. Fuisse hos nomenclatores maxime idoneos, qui, libertatem nacti et literis exculti, ipsam scientiam piscium oratione aut versu describerent, non est dubium : erant enim piscinæ, quæ istius scientiæ copiam præbebant, non levi opera aut qualicumque fluvialium vulgariumque piscium apparatû instructæ, sed ingenti operè, terris et montibus perfossis, immissoque mari, in tantam amplitudinem explicatæ, ut nobilissimos omnis generis pisces e peregrinis et remotissimis maribus in unum congestos continerent (2). Halieuticon, de quo agimus, eas copias piscium, marinorum maxime, recenset, ut plane ad apparatum piscinæ marinæ, qua magnates Romani delectabantur, compositum videatur. Fuerit igitur auctor ejus fortasse libertus divitis e Romanis viri, piscinarum magnitudine et copia delectati, cujus nomen, Halieutico vel Gratii Cynegetico præpositum, simile Ovidio esset. Sic Veidius Pollio, Augusti amicus, inprimis dicitur amplas et sumptuosas piscinas habuisse, quarum maxime notabilis piscina murænarum fuit, ob crudelitatem, quam exercebat ille, servos damnatos murænis objiciens consumendos (3). Fuerunt ejus nominis plurimi liberti, quorum aliqui supersunt in vetustis inscriptionibus, ut P. Veidius Philocles, P. Vedius Diogenes, et alii (4). Quod si forte horum aliquis librum ποντικῶν vel ἁλιευτικῶν scripsisset, quem Plinius in ad-

(1) Martial. lib. X, epigr. 30 : (vid. J. Meursium de Luxu Rom. in edit. nostra Val. Max. vol. III, pag. 385. Ed.)

Natat ad magistrum delicata muræna,
Nomenculator mugilem citat notum,
Et adesse jussi prodeunt senes mulli.

(2) De piscinis istis Romanor. vid. Varro de R. R. lib. III, cap. ult. et Columella, lib. VIII, cap. 16; Tibull. lib. II, 3, 45; Seneca, Controv. lib.V, 5, p. 463, ubi *navigabilium piscinarum freta* nominat.

(3) De Veidii Pollionis piscinis et crudelitate vid. Plin. lib. IX, cap. 53; Seneca de ira, III, 40; Dio Cass. lib. LIV.

(4) Grut. p. 333, n. 7, et p. 853, n. 5.

versaria sua Naturalis Historiæ conferret, quam facile tum erat pro Veidio legere Ovidium! Et permutati hujus nominis memorabile exemplum præbet nummus græcus Veidii Pollionis, quem pro Ovidio Nasone falso habitum ostendit Jo. Masson singulari dissertatione, tomo IV Operum Ovidii inserta a Burmanno. Gratium, Cynegetici auctorem, supra in præf. ad Cyneg. demonstravimus, fuisse libertinæ conditionis, qui, olim agro et silvis nobilis Romani præfectus, scientiam nactus erat exercendæ venationis, et occasionem adeo poematis de ea scribendi. Idem forte a piscinarum præfectura Halieutici adornandi facultatem adeptus est, et, libertus quum esset, nomen gentile ejus viri gessit, cui servierat. Fuerit igitur hoc Veidii, Avidii, Claudii, aut simile nomen, et ratio apparet, qua potuerit illud, præsertim negligentius et corruptius scriptum in fronte poematis, cum notiore et celebriore Ovidii poetæ nomine permutari. Sed desino plures exquirere fontes erroris, quo factum sit, ut Plinius Halieuticon Ovidio tribueret. Quas supra adduximus rationes satis, credo, evincunt, si Gratii non sit Halieuticon, certe nec Ovidii esse.

II.

DE FRAGMENTO HALIEUTICI

QUOD COLUMNA EDIDIT.

Si Halieuticon illud antiquum Ovidio abrogandum censuimus, multo minus pro genuino ejus fetu aliud habere fragmentum possumus, quod principium hactenus desideratum Halieutici ἀκέφαλον et alia supplet, et diserte auctorem Ovidium profitetur; sed certa fraudis simul et recentioris ætatis indicia prodit. Primum a Sertorio Quadrimano ex vetustissimo codice descriptum edidit Hieronymus Columna

in commentario ad Ennii fragmenta, pag. 153, edit. Hessel. repetitum in corpore Poetarum Latin. prof. et eccles. Hag. Com. 1721, tom. II, p. 1582, et fortasse alibi. Aliud ejusdem exemplum in scheda quadam Justo Lipsio inscripta, et ad hunc a Petro Pantino transmissa, quod ex ejus epistola ad Lipsium, in tomo I Sylloges Burm. p. 442 edita, intelligitur, Petrus Burmannus sec. reperit, indeque loca nonnulla, quæ ab exemplo Quadrimani differunt, indicavit in notis ad Anthol. Lat. tom. II, p. 384. Hoc fragmentum quin suppositum Ovidio et fraude confictum sit, non est dubium, neque tamen nulla prorsus consideratione dignum est. Discernendæ potius sedulo duæ ejus partes videntur, quarum altera procemium sive introitum ad totum Halieuticon continet, altera ipsum Halieutici fragmentum. Illud compositum esse alterius partis, sive ipsius fragmenti, caussa, ut Ovidii esse videretur, manifestum est: nam occasio, quam Ovidius habuerit de piscibus scribendi, exponitur; Glaucus invocatur, tanquam Deus maris, idque ob fabulam, quam Ovidius, olim a se in fine libri XIII Metam. narratam, hic quasi repetit; denique proponit, se a Siculi maris piscibus incepturum, quia scarus, qui ejus maris piscis censebatur (1), primus ipso in fragmento nominatur. Hoc ipsum vero mihi documento est, ab auctore hujus procemii ipsum Halieuticon Ovidii non inspectum esse : haud enim aliam plane connexionem vel rationem profert scari primo loco nominati, quam si legisset ille, non necesse habuisset, illam a Siculi maris descriptione in procemio petere. Igitur Plinii tantum excerpta videtur ante oculos habuisse, in qui-

(1) Petron. Satiric. cap. 119, Carm. de Bello civ. v. 33 :

> . . . . Siculo scarus æquore mersus
> Ad mensam vivus perducitur.

Et alios pisces nobiles e Siculo mari petitos esse testatur Macrob. Saturn. lib. II, cap. 11 : « Arcessebantur autem murænæ ad piscinas nostræ urbis ab usque freto Siculo, quod Rhegium a Messana respicit : illic enim optimæ a prodigis esse creduntur. Ed.

bus primus piscium ab Ovidio memoratorum scarus est; aut, quod verisimilius est, alium eumque recentiorem Halieutici auctorem spectavit, qui plurima ipse ex Ovidiano Halieutico et Plinii excerptis hauserat: nam ut multa sunt in fragmento Quadrimani quæ cum antiquo Halieutico conveniant, ita nec pauciora in quibus valde ab eo differat. Quosdam enim versus ejus integros, alios abruptos et dimidios affert, quosdam etiam plures in unum contrahit. (Vid. vers. 64 coll. cum Hal. v. 19 et 32, item vers. 106 coll. Hal. v. 106 et 107.) His autem singulis fere plures interseruntur versus alieni, quibus vel de piscatione præcipitur, vel alii pisces memorantur, quos Halieuticon non habet; ampliores etiam loci occurrunt, quibus miracula et portenta quædam piscium exponuntur. Quale est illud de Delphino Arionem portante, v. 68, de monstro marino, quo e mari emergente sol obscuretur et tempestas oriatur, v. 75 seqq. item de lapide alvo cujusdam piscis abdito, quem qui gerat, conspici non possit, v. 91, denique de alio pisce, qui instar avis et volet et cantet, v. 107. Hæc quum in Halieutico, quod nunc exstat, non inveniantur, sane declarant, non illud Halieutici Ovidiani, sed alius locupletioris, quod ipsum Ovidiani reliquias teneret, fragmentum esse. Si, qui illud consarcinavit, ipsum Ovidii Halieuticon habuit, idque ἀκέφαλον redintegrare apposito proœmio voluit, nullam equidem rationem video, cur corruptum potius et interpolatum, quam sincerum, addere proœmio voluerit. Antiquum Halieuticon Ovidii primum Venetiis A. D. 1534 editum est. Sertorius autem Quadrimanus non multo post, quam editum prodiisset, fragmentum suum reperiebat, idque ex antiquo codice transcriptum affirmabat (1). Quare non potuit sine insigni et manifesta impudentia antiquitatem codicis, ex quo pro-

(1) Neapoli non ita diu ex situ erutum esse affirmat P. Burmannus in Epist. Petr. Pantini ad Lipsium, anno 1589 Mantuæ Carpetanorum scripta. Ed.

tulerat, asserere, siquidem suspicioni locum reliquit, non aliunde id, quam ex edito Halieutico, aut eodem, unde hoc prodierat, MS corrasum esse. Itaque Sertorium quidem, qui e vetusto codice proferre affirmavit, bona fide egisse sentio, præsertim quum Petrus Pantinus idem testatus sit; tum vero inde confici arbitror, fragmentum Quadrimani, quum antiquius editione Halieutici Ovidiani, ab eoque diversum sit, ab alio Halieutici scriptore sumptum esse, qui ipse ex antiquiore Ovidii plures versus in suum transtulerit, multa etiam e Plinio et aliis ejusmodi scriptoribus hauserit, quorum vestigia in ipso fragmento exstant. Nemesianum olim ἁλιευτικὰ scripsisse versibus, e Vopisco constat; qui quum in hoc opere elaborando nec a Plinio suppeditatas copias, nec, quod hic Ovidio tribuerat, Halieuticon vel ignorare, vel negligere posset, sine dubio multa ex antiquiore carmine in suos usus vertit, quædam inde hausta brevius eloquutus est, quædam etiam quum perperam intellexisset, corrupit, suisque ipsius additamentis miscuit. Quod in his quasdam nugas fabularum et miraculorum admisit, fecit hoc poetarum more, qui ut delectent, mirabilia consectari, et sæpe vulgi opiniones adoptare solent: neque enim alii Veterum, qui in pari argumento versati sunt, Plinius et Oppianus ab isto nugarum et fabularum studio immunes reperiuntur. Dictio fragmenti haud absimilis stylo Nemesiani est, videorque mihi in verbis quædam ejus propria observasse. Tale est versu 73 *fluores*, quo Nemesianus usus est Cyneg. v. 227; tale etiam v. 104, *ovantes gutture cancri*, quod quidem a Virgilio, Georg. I, 423, sumptum, sed tamen alia significatione, est recentiori demum ævo recepta, qua *ovans* pro *avente* et præ cupiditate vehementius gestiente ponitur (1). Quo sensu Nemesianus in fragmentis v. 18 *cir-*

(1) Hanc significationem verbi *ovare* postea vidi a Gesnero ad Claudian. de Laud. Stilic. lib. II, 68, multis locis Virgilii et Statii probari: igitur hunc usum singularem Nemesiani esse nolim nunc affirmare. Ed.

cum ovantem dixit. Alia, quæ insolita et minus latina videri possunt, fortasse inscitiæ et negligentiæ exscribentis debentur; nec sane mirum est, talia in fragmento inveniri, quod ubique hiulcum, et imperite temereque corrasum est. Quemadmodum igitur e libello Nemesiani de aucupio servatæ reliquiæ ad ætatem nostram pervenerunt, ita fragmentum istud, quod in codice Quadrimani procemio ornatum et Ovidio tributum est, servatum ex Halieuticis Nemesiani arbitror: exstitit enim aliquis Nemesiano haud paullo recentior, qui quod Halieuticon Ovidii a Plinio memorari sciret, nec illud exstare alicubi, sed totum deperditum putaret, restituere quodammodo et postliminio reducere vellet. Sumpsit itaque locum illum Halieuticorum Nemesiani, in quem migrasse illa, quæ Plinius ex Ovidio allegasset, et pleraque alia, videret, eique procemium a se compositum aptavit, quo illud auctori Ovidio referret. Exscripsit autem negligentius et imperitius, ut, quum partim refugeret magnum piscium catalogum et ignota nomina repetere, partim illa consectaretur præcipue, quæ ex Plinii allegatione putaret ab Ovidio mutuata, hinc versibus aliis omissis, aliis truncatis, contra aliis Nemesiani, quæ jucunda ob fabulam et mirabilitatem essent, admissis, seriem orationis multum turbaret, ipsumque carmen valde luxatum redderet. Quæ a primo fragmenti compilatore fortasse integrius servata erant, postea inscitia librarii, cujus scheda ad Quadrimanum pervenit, magis corrupit. Procemium, quod fragmento additum est, non solum languidum et spiritu Ovidii plane indignum, sed et vitiosum et parum latinum (vid. vers. 37 et 44), barbaram ætatem prodit, et, si Quadrimani demum ætate confictum esset, qua dudum bonæ literæ in Italia refloruerant, sine dubio pulchrius et emendatius prodiisset. Quum itaque fragmentum illud Halieutici Ovidiani suppositum quidem et ementitum, excerptum tamen ex alio, quod de piscatu egerat, poemate, et servata in eo, si non Nemesiani, certe antiquioris cujusdam Halieutici, quamvis non

admodum pretiosa fragmenta putemus, placuit illud non plane abjicere, et antiquo illi, quod Gratio vindicavimus, adjungere.

Halieuticon illud post primas Gratii et Nemesiani editiones seorsum cum scholiis et aquatilium animantium ex Plinio enumeratione Tiguri edidit Conr. Gesnerus, octonis, anno non adjecto, sed, ut ex præfatione aliqua conjicio, A. D. 1556. Post hunc singularem interpretandi operam ei cum Venaticis edito præstitit Janus Vlitius, item Nic. Heinsius et P. Burmannus operibus Ovidii adjuncto (1). Ego quidem textum ipsum, qui dicitur, ex recensione Vlitii, sed subinde castigatiorem, dabo, cum supplementis versuum, quibus ille hiatus aliquot ex ingenio et subsidiis Plinii redintegravit: interpretationis autem operam viris, quos nominavi, demandabo, ita quidem, ut Gesneri notas, quæ piscium notitiam spectant, præcipue apponam; cæteris ita utar, ut emendandi illustrandique necessitas poscit, ipse paucis iisque brevibus annotationibus defungar. Fragmentum Quadrimani e Columnæ editione dabo; apponam autem cum brevi illustratione variantes, quas e Pantini exemplo Petr. Burmannus vir clar. excerpsit.

(1) Ovidius de piscibus post ejus libros de Arte amandi et Remedio amoris, de Medicamine faciei et de Nuce, editus est gallice cum notis. Lutet. Paris. 1660, in 8. Auctor versionis perhibetur Mich. Marollesius. Ed.

III.

DE FRAGMENTO ΠΟΝΤΙΚΩΝ.

Solini ποντικῶν fragmentum, seu initium potius deperditi operis, Janus Vlitius Halieutico præfixit, quod et materia et sensu adeo alteri congruere putavit, ut ovo prognatum eodem, et ejusdem orsi ac textus esse ei videretur: in quo facile ei morem gessi, ut eumdem ei locum assignarem, licet idem, quod Vlitius, de fragmento ipso non sentiam. Sub titulo C. Julii Solini Polyhistoris Ponticon ediderunt Pithœus in Poemat. vet. p. 267, edit. Lugd. et Scaliger Catalect. lib. II, p. 246; emendatius Salmasius in prolegom. ad Solinum, p. 26, ex veteri codice regio operis Solini, cujus ad finem legebatur incipit ejusdem Ponticon. E Pithœi collectione Vlitius Venaticis suis, et recentissime Petr. Burmannus vir clar. Anthol. Lat. lib. V, p. 383, intulit. Nonnulla etiam in hoc carmine C. Barthius, Advers. lib. XLIV, cap. 3, emendavit et explicuit. Titulum poematis Salmasius l. c. existimat πόντια potius scribendum fuisse, quam ποντικὰ, eo quod Solinus res marinas, animalia maris, et piscium omne genus eo libro enarraverit: πόντιον enim vocari, quidquid ex quolibet mari est, ποντικὸν vero gentile esse, a regione Ponti, vel mari ipso, quod Ponticum vel Pontus absolute dicitur. Hæc quidem recte; sed non animadverterat vir summus, ipso hoc titulo ποντικῶν indicari, auctorem non omnes omnium marium pisces, sed eos tantum enarrare voluisse, qui in Ponto invenirentur: idque ipsum mihi plane persuasum est. Nullum mare piscium multitudine et præstantia celebratius, quam Pontus, quod si quis recte cognoscere velit, legat tantum Plinii Hist. Nat. librum IX, ejusque præsertim caput XV, ubi de nominibus et naturis plurimorum pi-

scium agens Ponticum mare sæpissime in exemplum vocat. Immo non solum de piscibus Ponticis Solinus, sed præcipue de ostreis, strobilis, muricibus egit, quæ e Ponto plurima et nobilissima ferebantur: hinc enim a Catullo in carm. XVIII ad Priap. *ora Hellespontia ceteris ostreosior oris*, et ab aliis urbes Ponto vel Propontidi adjacentes, ut Abydos, Chalcedon, Cyzicos, ostriferæ vel ostreosæ vocantur. Vid. Columna ad Ennii fragm. p. 156. Ipse Solinus primis statim versibus significat, se de piscibus ostreisque, et quidem Ponticis, acturum. Primo versu ait se *pandere* velle *Tethya fecundam Ponto*, h. e. feracem piscium et ostrearum eo maxime mari, quod Pontus vocatur. Ut secundo versu *æquoreæ catervæ* pisces significant, ita tertio, *quæ Thetis sub æstifluis continet antris*, non alia sunt, quam ostrea, quæ in vadis et antris litorum maxime delitescunt. Quomodo etiam Ausonius describit epistola IX, v. 2:

> Aut refugis nudata vadis, aut scrupea subter
> Antra, et muriceis scopulorum mersa lacunis.

Hinc versu 21, Solinus *saltem primas pelagi arenas libare*, h. e. litus tantum peragrare ad eruendas ostreas vult. Majoris spiritus hoc carmen videri, et forte Varronis Atacini esse, Petr. Scriverius huic fragmento editionis Scaligerianæ adscripserat, testante viro clar. Petro Burmanno in notis ad hoc ipsum Anthol. Lat. tom. II, p. 383. Huic sententiæ ego libens subscribo, in eamque haud vana conjectura me duci arbitror. Varronis *libros navales* Vegetius de Re Milit. lib. V, cap. 11, et Joannes Saresberiensis, Policrat. lib. II, c. 2, p. m. 44, laudant, quibus videtur non solum omnem navigationis scientiam ejusque præcepta complexus, sed etiam pleraque maria quasi navigando obiisse, singulorumque animantia et cujusque generis copias descripsisse, ut de his libris potius, quam de Argonauticis, quæ Varroni pariter tribuuntur, intelligendus Ovidius videatur, qui Varronem hoc versu designat, Pont. IV, eleg. ult. v. 21:

> Velivolique maris vates, cui credere possis
> Carmina cæruleos composuisse Deos.

Tam insigne encomium libri navales Varroni meruisse videntur, non Argonautica, quæ quidem ei diserte tribuit Propertius, lib. II, eleg. 35, 85, sed in quibus tantum ex Apollonio traductis, judice Quintiliano, lib. X, cap. 1, 87, alieni operis non aspernandum interpretem egerat. Ex libris navalibus sunt versus, quos Servius ad Virg. Georg. I, 375, adducit, atque a Virgilio dicit expressos:

> Tum liceat pelagi volucres tardæque paludis
> Cernere inexpleto studio certare lavandi,
> Et velut insolitum pennis infundere rorem.

Nam his versibus id ipsum continetur, quod Vegetius l. c. Varronem ait in libris navalibus, dum sollicitos nautas instruit, tradidisse, aves etiam et pisces signa prodere futuræ tempestatis. Similis et affinis his libris argumenti alia scripta Varroni Atacino tribuuntur, quæ videntur unius operis partes fuisse. E *Chorographia* ejus versus leguntur, a Grammaticis servati, inter veterum poetarum fragmina astronomica, p. 162, edit. Commel. et Anthol. Lat. lib.V, ep. 48. Opus Varronis *de litoralibus* citat Solinus, cap. 11, idem fortasse, ac *de ora maritima*, cujus librum primum allegat Servius ad Virg. Æn. I, quod quamquam plerumque M.Varroni Romano tribuitur, potius tamen Atacini est, et versibus item scriptum fuit. Certe ex *Europa* ejus, quæ item pars ejus operis fuisse videtur, hemistichion allegat Festus, in *Tutum*. Etenim mihi iis libris Varro Periplum vel περιήγησιν Oceani et maris mediterranei instituisse, singulaque maria et oras maritimas lustrasse videtur, ita ut eum librum, quo Europæ maximam partem complexus esset, hujus nomine appellaret. Tam amplum opus, tamque varium, dignum certe erat, propter quod Varro ab Ovidio *velivoli maris vates*, ab ipsis Diis cæruleis adjutus, diceretur. Sed his titulis et vestigiis librorum Varronis suffragantibus conjectare

licet, partem illius vasti operis etiam ποντικῶν librum fuisse, quo scilicet, quidquid memorabile Pontici maris et ejus oræ maritimæ esset, sigillatim pisces et ostreas, persequutus sit. Non dubito, fuisse antiquitus vasti operis Varroniani codicibus, præsertim libro ποντικῶν, sæpe adjunctum, ob affinitatem argumenti, Halieuticon, qualem codicem Plinium olim habuisse, supra conjecimus, fortasse etiam Nemesianus habuit, qui eo ad imitandum adductus, ναυτικὰ et ἁλιευτικὰ, teste Vopisco, composuit, sicut Avienus, qui *oram maritimam* versibus iambicis scripsit. Inter imitatores Varronis, propter libros ejus navales et oræ maritimæ, in primis refero Solinum. Sicut ille cum geographica terrarum gentiumque maritimarum descriptione res cujusque regionis memorabiles exposuerat, ita idem institutum suum fuisse Solinus in præfatione profitetur: « Locorum, inquit, « commeminisse ita visum est, ut inclytos terrarum sinus, « et insignes tractus maris, servata orbis distinctione, suo « quæque ordine redderemus. Inseruimus et pleraque diffe« renter congruentia..... Inter hæc hominum et aliorum « animalium naturas expressimus, etc. » Ob similitudinem instituti et argumenti factum esse arbitror, ut librarii cum Varronis libris navalibus et Pontico frequenter Solinum conjungerent. Ex ejusmodi codice quum alius Solinum describeret, velletque deinde Varronis Ponticon adjungere, per errorem retinuit inscriptionem, quam in codice Varronis repererat, INCIPIT EJUSDEM PONTICON, atque sic ab aliis Solini opus existimatum est. Dabimus hoc fragmentum e recensione Pet. Burmanni sec. in Anthol. tom. II, p. 383.

IV.

Fragmentum Phagesiorum Q. Ennii quamquam nihil fere, nisi quorumdam piscium et ostreorum, locorumque ubi inveniantur, nomina continet, neque adeo valde gratum lectoribus futurum est, omitti tamen ex hoc fasce Halieuticorum non potuit, quum sit antiquissimi in eo genere poematis particula, quo verisimile est maximam partem copiarum maris enarratam fuisse. Sic enim testatur de eo Apuleius, qui in Apologia, pag. 299, edit. Elmenh. hoc fragmentum profert : *Q. Ennius Hedyphagetica quæ versibus scripsit, innumerabilia piscium genera enumerat, quæ scilicet cognoverat, ... et ubi gentium quisque eorum inveniatur, ostendit.* Hier. Columna *Phageticorum* fragm. inscripsit, quod ipse tamen mendosum putavit : *Phagesiorum* P. Pithœus, Epigr. vet. p. 161, edit. Lugd. De Phagesiis vid. Meursius in Græcia fer. *Hedypathian* titulum Enniani poematis fuisse judicavit Parrhasius, epist. 65, et Trillerus, vir ill. Observ. crit. lib. I, cap 14; quoniam Ennium putant carmen suum ex græco Archestrati transtulisse, quod Athenæus, lib. VII, c. 8, ἡδυπάθειαν nominatum docet (1). At Scaliger corrigendum censuit *Hedypathetica*, in Catalect. vet. poet. p. 215. Alias eruditorum de titulo Enniani carminis sententias enarrant Fabric. Bibl. Lat. lib. IV, cap. I, 7, et P. Burmannus sec. ad Anthol. Lat. lib. III, ep. 135. Præter viros commemoratos et commentatores Apuleii, operam versibus Ennianis illustrandis dederunt Turneb. Advers. lib. XXI, c. 21, et Salmas. ad Solin. p. 794 edit. Traject. Versus ipsos e recensione Columnæ dabo.

(1) Trillerus tamen ante conjecit scribendum esse *Addephagia* vel *Addephagica*, i. e. gulositas vel voracitas, quomodo Hesychius interpretatur, Ἀδηφαγία, πολυφαγία. Ed.

DE HALIEUTICIS

SUB OVIDII NOMINE EDITIS

ELOGIA AUCTORUM AC JUDICIA.

I. Gyraldus de Poetar. hist. dial. IV, pag. 226 extr. edit. Lugd. Bat. 1696, fol. ubi de Ovidio.

Reliquit idem Ovidius inchoatum opusculum de piscibus, ex quo multos Plinius enumerat, quod tamen Actius Sincerus, poeta clarissimus, et alioqui certus homo, se invenisse fatetur, et se mihi ostensurum aliquando spopondit.

II. Casp. Barthius, Advers. lib. XLIX, cap. vii.

Ἁλιευτικῶν fragmentum ego nondum persuaderi potui, ut Ovidio adscribendum existimem. *Post alia:* Auctor Latinorum versuum procul dubio Olympius, non Ovidius est: nam Nemesianum Halieutica scripsisse adeo verum est, ut sint docti homines, qui ea se vidisse ausint dicere cum blattis luctantia. Stylus autem hujus fragmenti potius et ævum et ingenium Olympii refert, quam Ovidii, quod nemo equidem negaverit; et inde judicium irrefutabile merito summo capitur.

Idem Barthius in notis ad Rutilii Itiner. I, 333.

Auctor fragmenti Halieutici nequaquam Ovidius, quod tamen plerique credunt, potius Nemesianus, aut paris ævi alius scriptor.

III. Pierius Valerianus Hieroglyph. lib. XXX, cap. xii, de scaro.

Ovidius eo volumine, quod Halieuticon inscribitur, quod opus olim a Nigidio elucubratum aiunt.

IV. Janus Vlitius in Epist. ad Nic. Heinsium, tomo III Syllog. Burmann. pag. 695.

Percurrebam oculo attento nunc jam ἁλιευτικῶν fragmentum, quod Gratio meo stylus vindicat, et locutionum quarumdam, ut ostendemus, mira affinitas. Ovidio quod adscripserit Plinius, memoriæ lapsus dicendus est: ejus non esse, quis dubitet, quum intimus Nasoniani genii mystes Heinsiades meus abnegaverit?

HALIEUTICI

ARGUMENTUM.

Principium hoc est operis majoris, inchoati tantum, quod ipse Plinius tradit, et nunquam perfecti, idque ipsum deinceps capite truncatum per injuriam temporis aut negligentiam librarii. Apparet tamen in eo ratio quædam et descriptio incepti operis, ut intelligatur, propositum fuisse auctori integrum et justum Halieuticon conscribere, quod et antiqua ejus inscriptio professa est, fallique eos, qui cum J. Vlitio putent, auctorem universam animalium historiam magis, quam piscium enumerationem, spectasse, quandoquidem terrestrium animalium æque mentio fiat, et in quorumdam naturis exponendis multi versus consumantur : nam curatius attendenti facile apparet, hæc omnia a poeta exempli et amplificationis caussa, et in comparatione cum aquaticis, dici, operamque dare auctorem, ut tenuitatem argumenti, quæ in piscium enarratione est, amœniore aliquo excursu compenset. De omni piscatione proponit auctor, ipsamque tractationem ingreditur, versu 82 :

Noster in arte labor positus, spes omnis in illa.

E qua propositione ratio intelligenda est eorum, quæ ab initio dixit : haud dubie enim orsus erat, ut Oppianus utriusque poematis principio fecit, comparatione venatoris cum aucupe et piscatore, atque omni venationi, sive hæc terrestrium, sive aquatilium sit, dixerat inesse laborem cum arte conjunctum; hoc autem differre, quod terrestris venationis labor fere major sit et cum periculo conjunctus, propter ferociam et celeritatem ferarum, piscatio arte maxime et nullo fere periculo constet, propter naturam piscium qui non tam viribus et fuga quam ingenio et fraudibus certent. Prioris asserti rationem primis fragmenti versibus affert, quibus affirmat, naturam omnibus animantibus fugam mortis et horrorem ingenerasse, et cuique

instrumentum et scientiam ejus avertendæ dedisse, quo fiat, ut nulla captura animantis sine labore sit. Deinde, ut alterum de differentia terrestris venationis probet, excurrit ad silvatica animalia, eaque dicit vel timida fuga, vel feroci occursu et pugna venatorem fatigare. Qua occasione eorum vel timori vel sævitiæ generosam equorum fortitudinem, et canum sagacitatem opponit, eamque verbis exquisitis laudat. Denique piscationem aggressus pronuntiat, in hac omnia fere arte et solertia agi, ut et locus piscationi aptus eligatur et instrumenta adhibeantur idonea. Incipit de loco, et ante omnia suadet, ne quis altum et profundum mare petat; plerumque in litore, aut medio inter hoc et profundum loco, piscatum exercendum; tum videndum, quæ sit natura loci et litoris, num saxis asperum, num alga et herbis vadosum, num umbrosum imminente monte: nam pro varietate loci et diversa piscium genera inveniri, et diversum piscandi modum requiri. Deinde pisces incipit in suas classes dividere, et primo quidem ex sedium sive locorum, in quibus maxime versari soleant, diversitate, dividit in *pelagios* et *litorales*: illos a versu 96 incipit enumerare, hos a versu 120. Singulos postquam suis nominibus et notis breviter designavit, deficit ipsum opus, nec plura videntur ab auctore profecta.

HALIEUTICA

QUIBUS PRÆMITTITUR

FRAGMENTUM PONTICON.

Tethya marmoreo fecundam pandere Ponto,
Et salis æquoreas spirantis molle catervas,
Quæque sub æstifluis Thetis humida continet antris,
Cœptantem, Venus alma, fove; quæ semine cæli,
Parturiente salo, divini germinis æstu,
Spumea purpureis dum sanguinat unda profundis,
Nasceris e pelago, placido Dea prosata mundo.
Nam quum prima foret rebus Natura creandis

1. *Tethyu* Scaliger edidit; *Tethya* Pith. Vlit. Salmas.—In *Ponto* intelligendum est mare Ponticum, in quo Tethys præcipue fecunda est proferendis alendisque piscibus et ostreis.

2. *Æquorei spirantis mole* edid. Pith. et Scal. sed ita, ut dedi, restituit ex vet. cod. Regio Salmasius, tam in prolegom. quam in Exercit. ad Solin. cap. 18. Oceani enim, seu salis æquorei, quasi spirantis naturam facit ex opinione Veterum. Burm. Mihi *spirantis* (pro *spirantes*) *molle* rectius accipi de piscibus, et *salis æquorei* probum videtur. — *Æquorei* et *spirantes* edidit Vlit. Ed.

3. Hoc versu describit ostreas, quæ æstu maris allatæ in antris vel lacunis litoris resident.

4. Tangit fabulam poetarum, quæ Venerem e semine Cæli et spuma maris concretam fingit.

6. *Purpurei profundi* legendum arbitratur Lindenbrogius, et Heinsius in margine edit. Pith. De verbo *sanguinare*, quod h. l. est sanguine fluere, vid. Barth. ad Stat. Theb. III, 173. — Adde notas doctorum ad Dialog. de Orat. cap. 12, quo in loco *sanguinantem* eloquentiam etiam probavit Nicol. Loensis, lib. IX, Miscell. Epiph. c. 5. Ed.

8. *Rebus Natura profundis* ediderunt Pith. et Scal. sed *creandis* correxit Salmas. auctoritate codicis Regii, quem sequutus est Vlit. et Burm. — *Creandis*, i. e. producendis, ut apud Virgil. Georg. II, 9:

In fœdus connexa suum, ne staret inerti
Machina mole vacans, tibi primum candidus Æther
Astrigeram faciem nitido gemmavit Olympo.
Te fecunda sinu Tellus amplexa, resedit
Ponderibus librata suis; elementaque jussa
Ætherias servare vices: tu fetibus auges
Cuncta tuis; totus pariter tibi parturit orbis.
Quare, Diva, precor, quoniam tua munera parvo
Ausus calle sequor, vitreo de gurgite vultus
Dextera prome pios, et lumine læta sereno
Pierias, age, pande vias; da Nerea molli
Pacatum gaudere freto, votisque litata
Fac saltem primas pelagi libemus arenas.

Principio arboribus varia est natura creandis. Lucretius, lib. I, 51: *Unde omnes Natura creet res, auctet, alatque;* et hinc *rerum Natura creatrix* eidem v. 622. *Creandis* hic etiam probasse videtur Casaubonus, qui oræ ed. Pith. id adscripserat cum cæteris cod. Regii lectionibus. Ed.

11. *Gemmavit*, i. e. stellavit, quæ verba sæpius alternant apud poetas, licet vix activa significatione. Barthius, qui h. l. *geniavit* legit, pro animavit, vitalem fecit, haud justa ratione ducitur. —Vid. Lucret. lib. II, 319; Columella, lib. X, 37; Carm. Didus ad Æneam v. 73; Venantius, lib. VI, 1, carm., et plura apud Tollium ad Auson. Cup. cruci adfix. v. 74; Rivin. ad Pervig. Vener. Weitz. ad Petron. Taubman. ad Culic. p. 54. Ed.

13. *Ponderibus librata suis fundata* in vet. cod. et sic hujus auctoritate edidit Salmas. in præf. ad Sol. Alterum tamen verius putat celeb. Burmannus, et plurimis Veterum locis adstruit; inprimisque affert Ovid. Met. lib. I, 12: *Nec circumfuso pendebat in aere tellus Ponderibus librata suis.—Elementaque jussa* Salmas. e vet. cod. et Barthius e conjectura dederunt: vulgo *visa* legebatur. — Sed passim *jussa* de elementis divinæ potentiæ parentibus; sic in epigr. de Xerxe, in Anthol. Lat. Burman. tom I, p. 191: *Tellus jussa facit.* Ita Lucan. X, 218: *Oceanus lunaribus incrementis Jussus adest.* Ed.

14. *Æternas servare vices* Barthius conjiciebat, quod sane placet.

15. *Fetibus auges cuncta tuis.* Lucret. I, 4: *per te quoniam genus omne animantum Concipitur, visitque exortum lumina Solis.* Lindenb.

18. *Prome pios*, etc.; *tuos* ex MS margini edit. Scalig. adseverat Scriverius; sed *pios* ex vet. cod. Regio etiam adfert Salmas. id est benignos et faventes. Burm.

17. *Vitreo de gurgite*, ut apud Virg. Georg. IV, 350 de Nymphis marinis: *vitreisque sedilibus omnes Obstupuere.* Ed.

21. *Pelagi libemus arenas.* His Poeta videtur indicare, se eas maris

Vos quoque, qui resono colitis cava Tempea cœtu.

* * *

Accepit mundus legem, dedit arma per omnes,
Admonuitque sui; vitulus sic namque minatur,
Qui nondum gerit in tenera jam cornua fronte;
Sic damæ fugiunt, pugnant virtute leones,
Et morsu canis, et caudæ sic scorpius ictu;
Concussisque levis pennis sic evolat ales.
Omnibus ignotæ mortis timor, omnibus hostem
Præsidiumque datum sentire, et noscere teli

opes velle persequi, quæ in ora maris et prope litora inveniuntur, ut ostreas, turbines, conchas, etc.

22. Veteres schedas habere *citu* affirmat Pithœus, idemque in cod. Regio invenit Salmas.—*Tempea* hoc loco per catachresin vocari videntur loca litoribus vicina, quæ marinis undis alluuntur, silvis consita, et speluncis vel lacunis cava. In his *resonus cœtus* est, scil. aquarum, quæ æstu illatæ antra ista flagellant, et in his ex mente poetarum versari solent Dii marini Tritones, Glaucus, Proteus, quos poeta videtur hoc versu invocare. Vide specum Protei apud Virgil. Georg. IV, 418 seq. — Fateor hoc in versu interpretando valde me hæsitasse, quod toto carmine de mari solummodo et marinis copiis sermonem esse opinarer, neque adeo, quo sensu hoc loco Tempea nominari possent, nisi loca litoralia silvis consita intelligerentur, viderem. Nunc probabilius arbitror intelligi Tempea Italiæ, quæ in agro Reatino, teste Cicerone ad Att. IV, 15, eo nomine celebrari solebant, respicique adeo ad lacum Velinum vicinasque ei regiones, piscationibus maxime celebres, et Nymphas hoc versu invocari lacuum amniumque incolas. Ed.

---

1. *Accepit mundus*. Omnia mundi animantia hanc a Natura legem acceperunt, ut vitam defendere, et ob eam rem data sibi arma, scirent. — In *dedit* subintelligitur Natura e præcedentibus, quæ perierunt. Hæc abrupta dictio, cum subjecti mutatione Gratio frequens et solennis est. Vid. Cyneg. v. 2 et 3, 7 et 8.

2. *Minatur*. Ita Pithœus ex MS Thuan. Sic et Ambrosianus habet, et margo Gesneri. *Minaci* edidit Aldus ex MS Sannaz. — *Sic nempe* malebat Burmannus. Cæterum hæc et sequentia expressit Poeta ex his Lucret. lib. V, 1032: *Sentit enim vim quisque suam, quam possit abuti; Cornua nata prius vitulo quam frontibus exstent, Illis iratus petit, atque infensus inurget*, etc.

6. *Pinnis* edid. Ald. Gesn. et Pith. *Pennis* Vlit. et Thuan. et Burm.

7. Burmannus conj. *innatus mortis timor;* sed nihil mutandum.

Vimque modumque sui; sic et Scarus arte sub undis,
Contextam si forte levi de vimine nassam
Incidit, assumptamque dolo tandem pavet escam,
Non audet radiis obnixa occurrere fronte,
Aversus crebro veniens sed verbere caudæ
Laxans subsequitur, tutumque evadit in æquor.
Quin etiam si forte aliquis *dum pone* nataret
Mitis luctantem Scarus hunc in vimine vidit,
Aversi caudam morsu tenet; atque *ita flexu*
Liberiore natans, quem texit *nassa*, resultat.

9. *Et noscere teli vimque modumque sui.* Hæc ad verbum fere expressit Ælian. de Nat. Anim. lib. IX, cap. 40: Οἶδε δὲ ἄρα τῶν ζώων ἕκαστον, ἐν ᾧ μέρει κέκτηται τὴν ἀλκὴν· καὶ τούτῳ θαῤῥεῖ, καὶ ἐπιβουλεῦον μὲν χρῆται ὡς ὅπλῳ, κινδυνεῦον δὲ ὡς ἀμυντηρίῳ. Ed. — *Sic et Scarus.* MS *Sic Escarus;* atque itidem v. 38. Isidorus quoque *Escarum* pro Scaro posuit lib. XXII, c. 6, et ab esca dictum finxit. Gesnerus ἔσχαρον aliud aquatile animal a Scaro longe diversum constituit; nam et hic σκάρος Græcis est. Vlit.

10. *Contextam...* Ita Gesnerus supplevit. Ald. hujus versus intervallo hanc vocem servat: * *sin* **. Unde ego olim ita centunculum illum resarciebam: *sic et Scarus arte sub undis Utitur, et forsan si nassæ vimine clausus*, etc. Vlit.

11. *Incidit.* Ita Gesnerus, ut supplementum juvaret. MS et A. *decidit*, quod meo insititio versui quadrat. — *Assumptam*, forte *assutamque dolo.* Vlit.

13. *Veniens sub verbere*, A. et Gesn. *Vimen sub* Cod. Thuan. et Ambros. pro *sub* margo edit. Gesn. *sed*, quod et connexio requirit. Hinc Heinsius legit *crebro vimen sed verbere*, quod Burm. edidit. Plinius sic expressit: *Scarum inclusum nassis non fronte erumpere, nec infestis viminibus caput inserere, sed aversum caudæ ictibus crebris laxare fores, atque ita retrorsum erumpere.*

15. *Dum pone nataret.* Ita Pantagathus et Gesnerus restituerunt ex vet. lect. quæ est in A. *Dampus nataret.* Pith. *dampro nataret* ex MS qui ita: *dam pronatareto*, f. *dum pronatat extra.* Plinius: *quem luctatum ejus si forte alius Scarus extrinsecus videat, apprehensa mordicus cauda, adjuvare nisus erumpentis.* Vlit. E scriptura codicum Heinsius rescribit *si forte alius, dum prænatat, arcto*, etc. quod valde placet.

17. *Atque...* Legi potest: *atque trahendo Captivum texto socium de carcere solvit.* Gesn. Ald. *atque* * MS. et Pith. *atque ita**. Vlit.

18. *Uber servato quem texit inresultet*, Thuan. Ambrosian: *Uberet nato quem texit quem resultat.* Puto: *Atque ita tandem Victor servato, quem texit, cive resultat.* Vel, *quem traxit*, vel, *liber servato quem texit.* Heins. Vlitius supplevit, ut edidimus, *flexu Liberiore natans;* Auson.

Sepia tarda fugæ, tenui quum forte sub unda
Deprensa est, jamjamque manus timet illa rapaces,
Inficiens æquor, nigrum vomit illa cruorem,
Avertitque vias, oculos frustrata sequentes.
Clausus rete Lupus, quamvis immanis et acer,
Dimotis cauda submissus sidit arenis;
Atque ubi jam transire plagas persentit, in auras
Emicat, atque dolos saltu diludit inultus;
Et Muræna ferox teretis sibi conscia tergi,
Ad laxata magis conversa foramina retis,
Tandem permultos evadit lubrica flexus,
Exemploque nocens, cunctis intervenit una.
At contra scopulis crinali corpore segnis
Polypus hæret, et hac eludit retia fraude,

Mosell. 94: *Liberior laxos exerces, Barbe, natatus. Flexus* ita v. 51, etiam usurpat Noster et ibid. Plinius.

19. *Sepia tarda fugæ*. Plinius hanc omittens a Scaro ad Lupum transit. Hæc prima illius oscitantia circa Sepiam altera quod quum lib. IX, c. 15, dicat Sepiam non esse in Ponto, postea tamen de Ponticis piscibus hic tantum agi ab Ovidio harioletur. Ed.

21. *Vomit illa cruorem*. Τὸ *illa* ex præcedente versu repetitum temere est, pro quo forsan scriptum erat: *vomit ore cruorem*. MS *vomit illace*, quod alteri conjecturæ meæ adstipulatur: *nigram vomit ilicet iram*, vel *undam*. Vlit. Burmannus etiam cum Heinsio legit *vomit ore*. Sed vide, an scripturæ codicum et sensui magis conveniat: *nigrum vomit illico rorem*.

22. *Avertitque vias* MS et Pith. ita leg. Plin. IX, 29, de Sepiis: *ubi sensere se apprehendi, effuso atramento, quod pro sanguine his est, infuscata aqua absconduntur*. Et ad verbum Oppian. lib. III, 162, καὶ ἠμάλδυνε κέλευθα, *obscuratque vias*. Vlit. Ald. et Gesn. dederunt *Avertitque vices*.

24. *Sidit arenis*, ita Vlitius dedit. Pith. *sidet arenis*. Thuan. et Ambrosian. *ridet arenis ... in auras*. Ald. *sedet armis ... in austri*. Illa *in auras*, vel *in austri* sequentis versus ultimæ voces sunt.

25. MS et Pith. *** *in auras;* quibus ego præfixi: *Atque ubi jam transire plagas persentit, in auras*, etc. præeunte Plinio: *Lupum reti circumdatum arenas arare cauda, atque ita conditum transire rete*. Vlit.

29. *Evadit lubrica*. Plinius: *Murænam maculas appetere ipsas, consciam teretis ac lubrici tergi, tum multiplici flexu laxare, donec evadat*.

30. *Intervenit una:* sic et scripti; castigandum omnino: *Exemploque nocens cunctis iter invenit una*. Heinsius. — *Exemploque vocet*, habent Ald. et Gryph. Ed. — Gesnerus in

Et sub lege loci sumit mutatque colorem,
Semper ei similis quem contigit : atque ubi prædam
Pendentem setis avidus rapit, hic quoque fallit
Elato calamo, quum demum emersus in auras
Brachia dissolvit, populatumque exspuit hamum.
At Mugil cauda pendentem everberat escam,
Excussamque legit. Lupus acri concitus ira,
Discursu fertur vario, fluctusque ferentes
Prosequitur, quassatque caput, dum vulnere sævus
Laxato cadat hamus, et ora patentia linquat.
Nec proprias vires nescit Muræna nocendi ;
Auxilioque sibi, morsu nec cominus acri
Deficit, aut animos ponit captiva minaces.
Anthias his, tergo quæ non videt, utitur armis,

margine, et Burm. ediderunt *quod prævenit una*.

33. *Sub lege loci.* Plinius, lib. IX, c. 29 de Polypis : *colorem mutat ad similitudinem loci.* Idem de Polypo tradit Ælian. Var. I, 1.—Pro *mutatque* Ambros. *mittitque.* — Oppian. Halieut. II, 297 : ἀλευόμενος περὶ πέτρην Πλέξηται, χροιὰν δὲ πανείκελον ἀμφιέσηται. Ed.

35. *Pendentem setis avidus. Setis*, i. e. lineæ, cui annectitur esca, vel cirris, i. e. capillamentis et brachiis suis rapit et invadit. Ovidius scribit, Polypum hamos appetere, nec prius dimittere, quam escam circumroserit, aut arundine levetur extra aquam. Plin. Gesn. *Setis* etiam Thuan. et Ambros. *Retis* Ald. et Gesn. ed.—Pro *fallit* Thuan. *stillit.*

36. *Tum demum* Ambros.

38. *At Mugil. Scit et Mugil esse in hamo escam, insidiasque non ignorat: aviditas tamen tanta est, ut cauda verberando excutiat cibos.* Plin. Gesn.

39. *Lupus acri concitus ira. Minus in providendo Lupus solertiæ habet, sed magnum robur in pœnitendo : nam ut hæsit in hamo, tumultuoso discursu laxat vulnera, donec excidant insidiæ.* Plin. Gesn.

40. *Discursu.* MS *Dissussus*, i. e. *discussu*. Vlit.

43. *Muræna etiam non ignorat, vires proprias tum nocendi aliis, tum ad auxiliandum sibi, in morsu esse sitas : præmordet enim lineam, neque mordendi vim remittit, donec omnino debilitata se captam et victam fateatur.* Plinius ex Ovidio. Gesn.

44. *Auxilioque sui*, habent Pith. et Thuan. *Sibi* Ald. et Gesn. et probat Vlitius. — Ordo est : nec auxilio sibi deficit Muræna, nec morsu. Ed. — Plinius recte sensum expressit : *tum nocendi aliis, tum ad auxiliandum sibi.* — *Cominus* MS, recte. *Nec eo minus* Ald. et Gesn. qui in marg. *nimis*.

46. *Anthias his.* Plinius : *Pytheas id tradit* (lego, *Anthiam tradit idem*), *infixum hamo invertere se, quoniam,*

Vim spinæ novitque suæ, versoque supinus
Corpore, lina secat, fixumque intercipit hamum.
 Cætera quæ densas habitant animalia silvas,
Aut vani quatiunt semper lymphata timores,
Aut trahit in præceps non sana ferocia mentis.
Ipsa sequi natura monet, vel cominus ire.
Impiger ecce leo venantum sternere pergit
Agmina, et adversis infert sua pectora telis:
Quoque venit, fidens magis, et sublatior ardet,
Concussitque toros, et viribus addidit iram;
Prodidit, atque suo properat sibi robore letum.
Fœdus Lucanis provolvitur ursus ab antris,
Quid nisi pondus iners, stolidæque ferocia mentis?
Actus aper setis iram denuntiat hirtis,

sit dorso cultellato, spinaque lineam præsecare. Gesn. Idem de hoc pisce Plin. lib. IX, c. 59: *Anthiæ, quum unum hamo teneri viderint, spinis quas in dorso serratas habent, lineam secare traduntur: eo, qui tenetur, extendente, ut præcidi possit.* Ed. — *Tergo quæ non videt* Ald. Gesn. et Vlit. ed. *quem non vidit* Ambros. Hinc Heins. et Burmannus legendum censuerunt *tergo quæ concutit:* quod mihi non videtur.

49. Digreditur ad animantes terrestres, ut eos minus industriæ vel astutiæ, quam plerosque pisces, habere ostendat. Equos tamen et canes laudat. Gesn.

52. *Ipsa sequi natura.* Sequi fugientia, et cominus ire resistentibus. Gesn. *Monet* MS et Pith. *Movet* Ald. Vlit.

53. *Ecce leo* MS et Pith. et Ciofan. *et telo* Ald. Vlit. Ob lectionem Aldinam *et telo* Gesnerus hunc versum cum sequentibus legi volebat post v. 58 et 59, omnesque de urso accipere.

55. *Quoque venit.* Sensus videtur, quo propius venit, vel quo magis vulneratur. Gesn. *Quoque* Ald. *Quodque* MS et Pith. — Pro *sublatior* MS *sibi latior.* Vlit. Heins. malebat *quaque venit.* Burm.

57. *Prodidit.* Gesnerus maluit *proruit*, si active acciperetur: *prodigus* conj. Vlitius, *procidit* Burmannus. Ego *prodiit* legendum puto, hoc sensu: Dum prodiit, vel, simul atque prodiit, letum suo sibi robore properat. Est hic Gratianæ genius dictionis, cui similem vide Cyneg. v. 60, 293 et 417. Quo etiam pertinet versu præcedenti præteritorum *concussit et addidit* usurpatio locum præsentium. Vid. Cyneg. v. 45, 204, 227, et alios.

60. *Actus aper. Actus et per retis* MS. Τὸ *agere* ita passim ponit Gratius, *Glympice, te silvis egit,... stimulisque potentibus acti, In furias vertere*

Et ruit oppositi nitens in vulnera ferri,
Pressus, et emisso moritur per viscera telo.
Altera pars fidens pedibus, dat terga sequenti,
Ut pavidi lepores, et fulvo tergore damæ,
Et capto fugiens cervus sine fine timore.
Hic generosus honos, et gloria major equorum;
Nam capiunt animis palmam, gaudentque triumpho,
Seu septem spatiis Circo meruere coronam.
Nonne vides victor quanto sublimius altum

canes. Item alibi, *ille vigebit centum actus spatiis.* Vlit.

61. *Et ruit oppositi.* Similiter Silius Ital. X, 2: *Ceu fera, quæ telis circum cingentibus ultro Adsilit in ferrum, et per vulnera colligit hostem.* Ed.

62. *Emisso;* forte *immisso.* Heins. At *emisso telo* est ita acto per viscera, ut per alterum latus exeat.

65. *Et capto fugiens.* Capto, id est, concepto, ut paulo post: *nam capiunt animis palmam.* Gesn. Post hunc versum inseritur iterum ille: *Ipsa sequi natura monet, vel comminus ire.* Ita Pith. ex MS; nisi quod MS *irate.* Ald. *docet vel cominus;* quamquam supra habeat *movet.* Ego vero hic ejecl versum, quem semel legi sufficit. Vlit.

66. *Hic generosus.* Equorum animus generosus est, neque timidus, neque insane audax aut furibundus. Gesn. *Hic* adverbium est. Hic, ubi cum feris istis equos comparamus, generosus eorum honos et gloria major intelligitur.

68. *Seu septem spatiis.* Videtur Vlitio ante hunc aliquis versus excidisse, vel alium sensum suppeditari ex Plin. lib. VIII, c. 42, qui et postremum versum illustrat. Sensus idem quem in Cynegetico his versibus decoravit ipse Gratius: *Spatiis qualis permissa Lechæis Thessalium quadriga decus, quam gloria patrum Excitat, et primæ spes ambitiosa coronæ.* Quæ si comparentur inter se, et sequentia cum illis quæ de equis in fine Cynegetici sunt, eumdem genium ac auctorem referre, nemo negaverit. Sed constructio intricatior sic explicanda est: Capiunt animis palmam, et gaudent, sive *triumpho* incedunt victoris, sive *Circo meruere coronam.* Similis occurrebat supra v. 43: Non nescit proprias vires, et *nocendi* aliis, et *auxilio* sui. Hæc talia certe non Ovidio digna, sed Gratio sunt.—Quamquam et alii poetæ sic orationem construxerunt, ut Virgil. Æn. XII, 685: *saxum Quum ruit avulsum vento, seu turbidus imber Proluit.* Horat. Carm. I, 32, 6: *Qui ferox bello, tamen inter arma, Sive jactatam religarat udo Litore navem,* etc. Ed. — Illud etiam *capiunt animis palmam* Gratianum est, ut Cyneg. 275, *quod magnos capiat motus.*

69. *Nonne vides.* Formula e Virgilio expressa, Georg. III, 103: *Nonne vides, quum præcipiti,* etc. sicut in Cyneg. v. 62: *Nonne vides, veterum quos prodit,* etc. Totus hic locus Virgilianam imitationem sapit, Gratio valde familiarem.

Attollat caput, et vulgi se venditet auræ?
Celsave quum cæso decoratur terga leone,
Quam tumidus, quantoque venit spectabilis actu,
Compescatque solum generoso concita pulsu
Ungula sub spoliis graviter redeuntis opimis?
  Quæ laus prima canum, quibus est audacia præceps,
Venandique sagax virtus, viresque sequendi?
Quæ nunc elatis rimantur naribus auras,
Et nunc demisso quærunt vestigia rostro,
Et produnt clamore feram, dominumque vocando

72. *Spectabilis actu.* Actum accipio de incessu et gradu, ut in illo Virgil. Æn. IX, 696, *se primus agebat.* Paullo aliter in Cyneg. *primos nequidquam offenderet actus.*—*Quanto veniat* Gesn. in marg. quod et Heinsius vult.

73. *Compescatque solum.* Nihil in hoc versu desidero: asteriscum tamen appositum reliqui; sic et Lucanus eleganter dixit *undas compescere remis.* GESN. *Conspescat* Ald. et Gesn. *Conspiciatque* Pith. *Compescatque* Thuan. forte *concutiatque* Heins.

75. *Quæ laus prima canum.* Sic omnes edd. Thuan. tantum *qui*, unde Heinsius formavit *Quid.* Vulgatum retinendum puto cum signo interrogationis hoc sensu: Canes autem quod attinet, quam primam eorum laudem dicam? nam sunt et fortes, et sagaces, et veloces: quibus virtutibus tria canum genera hoc et sequente versu expressa, auctorem venationis peritum, i. e. Gratium, manifeste produnt. — *Audacia præceps.* Mera Gratii phrasis de cane Hyrcano: *Sed præceps virtus*, etc. Pertinet hoc ad genus bellicosum, *Quum vocat extremo* (ut ibi canit) *præceps discrimine Mavors.* Ad sagaces quod sequitur: *Venandique sagax virtus:* quibus *natura sagax* et *solertia naris* ab eodem attribuitur in Cyneg. Tertium genus faciunt illa: *viresque sequendi.* De tribus his generibus quum ita distincte hic agatur, non immerito Gratium agnoscemus auctorem, qui primus inter Latinos triplex canum genus instituit. ED.

77. *Naribus auras.* Gratius Cyneg. 239, *celsas adprensat naribus auras.*

79. *Et produnt clamore feram, dominumque vocando Increpitant.* Scilicet fugiente jam fera hoc omnino necessarium ut si absint venatores cum bellicosis canibus, eo advocentur; vel si præsto sint, eo major animosiorque sit invadentium impetus et simul terrorem adaugeat undique excitatus fragor. Quapropter et tubas clamoresque adhiberi in ursorum venatione docet Oppianus, lib. IV, 398. Virgilius hoc quoque decorum venationi attribuit Georg. III, v. 411: *Sæpe volutabris pulsos silvestribus apros Latratu turbabis agens; montesque per altos Ingentem clamore premes ad retia cervum.* Sed sagacibus latratu omni interdicitur antequam cubili suo

Increpitant : quem si collatis effugit armis,
Insequitur tumulosque canis camposque per omnes.
Noster in arte labor positus, spes omnis in illa.
Nec tamen in medias pelagi te pergere sedes
Admoneam, vastique maris tentare profundum.
Inter utrumque loci melius moderabere finem,
Aspera num saxis loca sint; nam talia lentos
Deposcunt calamos; at purum retia litus.
Num mons horrentes demittat celsior umbras
In mare; nam varie quidam fugiuntque petuntque.
Num vada subnatis imo viridentur ab herbis
Gurgite; limosa num quis pascatur arena,
Oblectetque moras, et molli serviat algæ.
Descripsit sedes varias natura profundi;
Nec cunctos una voluit consistere pisces:

excitanda sit fera. Vid. Gratium Cyneget. v. 186, ubi Ætola canis venationi inepta censetur, quia nondum conspectos apros clangore excitat; et laudatum in Acarnane quod *taciturna supervenit hostes*. Ed.

80. *Quem si*, i. e. dominum jam congressum et arma conferentem si effugit fera. Ita et Gesnerus explicat, et nihil in loco mendosum, quod Heinsius putabat. — *Armis*. Tamen Vlitius de canibus intelligit, et conjicit: *quæ si collatis effugit armis;* et arma canibus passim a Gratio attribui, exemplis aliquot demonstrat. Ed.

82. *Noster in arte labor*. Piscatio arte maxime constat, quia, quod supra docuit, pisces non natura sua, aut viribus, aut fuga, sibi semper consulunt, ut feræ silvestres, sed insuper ingenio et fraudibus certant. Vlit.

85. *Moderabere funem* Ald. et Vlit. ed. *finem* Thuan. Gesn. Pith. et sic omnino legendum, ut vers. 104, *scopulorum fine moratus*. Inter utrumque loci finem, nempe litus et profundum maris, melius moderari piscationis negotium, et experiri poteris, num aspera saxis, etc. Pro *num* Pith. dedit *non*.

87. *Purum litus*, saxis et algis vacuum.

89. *Fugiuntque petuntque*. Quidam pisces varias in mari sedes fugiunt aut petunt, saxa, algas, umbras, neque adeo omnes omnibus locis et omni tempore inveniuntur.

90. *Num vada*. Post hunc deest versus talis aut similis: *In fundo, soleatque illic se pascere piscis*. Gesn. Quem inseruimus, Vlitius supplevit ex Oppian. Halieut. v. 102.

92. *Oblectetque moras*, sic Gesn. Pith. et Vlit. Heinsius et Burm. *objectet*.

93. *Descripsit*, i. e. fecit et di-

Nam gaudent pelago, quales Scombrique, Bovesque,
Hippuri celeres, et nigro tergore Milvi,
Et pretiosus Helops nostris incognitus undis,
Ac durus Xiphias, ictu non mitior ensis,
Et pavidi magno fugientes agmine Thunni.
Parva Echeneis adest, mirum! mora puppibus ingens;
Tuque comes ratium, tractique per æquora sulci
Qui semper spumas sequeris, Pompile, nitentes,
Cercyrosque ferox scopulorum fine moratus.
Cantharus ingratus succo; tum concolor illi
Orphus, cæruleaque rubens Erythinus in unda.

stinxit. Gesn. *Varias* Gesn. Pith. Vlit. *Varie* Thuan. ut supra *varie quidam fugiuntque petuntque.*

95. *Nam gaudent pelago.* Pisces pelagii. Boves Oppianus collocat in cœno maris. Gesn.

97. *Helops nostris incognitus undis.* Nam in Pamphilio tantum mari capitur, testibus Columella et Æliano. *Præclarus Elops* dicitur a Lucilio.

98. *Xiphias* Plin. lib. XXXII, c. 2, s. 6; Ælian. lib. IX, c. 40, et aliis locis memoratus, Latine *Gladius* dicitur. De ejus captura in freto Messanensi agit Dorvillius in Siculis, cap. XVI, p. 272. Piscis est sex, septem pluriumve pedum longitudinem, et cornu sive gladium supra maxillam superiorem habens. Hujus mentionem habet Oppian. Halieut. lib. I, 182: ξιφίαι τε φερώνυμοι. Ed.

99. *Thunni.* MS *Dunni.* Plinius initio excerptorum: *Orphum rubentem, rhacinumque pullum.* Forte: *pavidumque thunnum;* nam pavidi hic dicuntur thunni. Vlit. Sed in Plinio *Erythinum* potius intelligendum puto, qui et Orpho jungitur v. 105.

100. *Parva Echeneis.* MS *Etheneis.* f. *parva et Echeneis, mirum:* nam τὸ *adest* insititium est. Plinius: *Est parvus admodum piscis, Echeneis appellatus: hoc carinis adhærente, naves tardius ire creduntur, inde nomine imposito,* etc. ἀπὸ τοῦ τὰς νῆας ἔχειν. Vlit.

101. *Tractique per æquora.* — *Factique* MS.—Plinius: *Pompilum, qui semper comitetur navigiorum cursus.* Vlit.

102. *Pompile.* Opp. Hal. I, 186, penultimam corripit: Ἐν κοινοῖς νέμεται καὶ Πόμπιλος, ὃν πέρι ναῦται Ἄζονται. Gesn. Pro *nitentes* f. leg. *natantes* ex Auson. Mos. 107: *Spumarum indiciis caperis, Mustella, natantum.*

103. *Cercyrosque.* MS *Cercyroesque.* Plinius: *Cercyron in scopulis viventem.* Ita dudum ego, et pridem Gesnerus. Vulgo *Bopgyron*, monstrose. Vlit.

105. *Orphus.* Ald. Gesn. Pith. *Orphas.* Plinius: *Orphum rubentem rhacinumque pullum.* MS Chiffl. *orphym, rubentemque acynum pulum.* Forte: *Orphum pullum, rubentemque Erythinum,* quod sequitur: *cæruleaque rubens Erythinus in unda.* Vlit.

Insignis Sargusque notis, insignis et alis,
Et super aurata Sparulus cervice refulgens,
Et rutilus Pagur, et fulvi Synodontes, et ex se
Concipiens Channe gemino fraudata parente.
Tum viridis squamis parvo Saxatilis ore,
Et rarus Faber, et pictæ Mormyres, et auri
Chrysophrys imitata decus; tum corporis Umbræ
Liventis, rapidique Lupi, Percæque, Tragique.
Quin laude insignis caudæ Melanurus, et ardens
Auratis Muræna notis, Merulæque virentes,
Immitisque suæ Conger per vulnera gentis,

106. De Sargo Festus: *Sargus piscis genus, qui in Ægyptio mari fere nascitur;* et Ælian. lib. I, c. 24. Lucilius: *Quem præclarus Elops, quem Ægypto Sargu' movebit.*

108. *Et rutilus Pagur. Pager* vel *Pagrus*, Græcis φάγρος vel πάγρος. Aliqui saxatilibus adscribunt. Gesn. De *Synodonte*, qui Latinis *Dentix*, Ælian. lib. I, c. 49.

109. *Concipiens Channe.* MS *Channem gemino sibi fundata parente.* Plinius: *Præter hæc insignia piscium tradit, Channem ex se ipsa concipere.* Lego: *ingenia piscium tradit.* Nam insignia piscium, quæ ad colores spectant, jam ante recensuerat. Vlit. — Et præterea Plinius de nostro auctore loquens, c. 11: *Mihi videntur mira et quæ Ovidius prodidit piscium ingenia, in eo volumine quod Halieuticon inscribitur.* Ed.

110. *Tum viridis.* Lego: *Tum viridis Teragus parvo saxatilis ore:* nam Plinius *parvum Teragum* ex Ovidio nominat. Gesn.

111. *Et pictæ Mormyres.* MS *pietate.* Plinius: *pictas Mormyras, aureique coloris Chrysophryn.* Ita emendaveram, quum postea vidi Gesnerum præoccupasse. Hoc ultimum de Chrysophry est, quod sequitur: *et auri Chrysophrys imitata decus.* Vlit.

112. *Umbræ.* Umbram alii saxatilem faciunt, et alios quoque ex his, quos Ovidius hic pelagios facit, ut Merulam, scorpium: litorales vero Melanurum et Mormylum, Lupos circa ostia fluminum, etc. Gesn.

113. *Percæque Tragique.* MS *Percatæque.* Pergit cum Nostro Plinius: *Præterea parvum Teragum, et placentem cauda Labrum:* quem ita emendo: *Præterea Percam, Tragum et placentem cauda Melanurum;* quibus vestigiatim Nostrum expressit. Vlit.

115. *Merulæque virentes.* MS *munera notis merelateque.* Vlit.

116. *Conger.* Ita Ald. et Gesn. De eo Plin. IX, c. 20. Græcis κόγγρος. Gesnerus, lib. IV de aquatil. ex Aristotele notavit, congros se invicem maxime vorare. Pithœus tamen h. l. e MS edidit *Cancer*, quæ lectio placet Vlitio. Et sic etiam compilator fragmenti a Quadrimano reperti v. 104, accepisse videtur: *et ovantes gutture cancri*, i.e. voraces.

Et capitis duro nociturus Scorpius ictu,
Ac nunquam æstivo conspectus sidere Glaucus.
At contra herbosa pisces laxantur arena,
Ut Scarus, epastas solus qui ruminat escas,
Fecundumque genus Mænæ, Lamyrosque, Smarisque,
Atque immunda Chromis, merito vilissima Salpa,
Atque avium dulces nidos imitata sub undis;
Et Squalus, et tenui suffusus sanguine Mullus:
Fulgentes Soleæ candore, et concolor illis

117. *Et capitis. Captus* Ciacconius legit. MS *Scorpio jactu*, vel *Scorpios ictu*. Ita *Scorpion* dixit Naso Met. II, initio. VLIT.

118. *Æstivo sidere*. MS *Stivo*. Plinius: « Glaucum æstate nunquam apparere ». VLIT.

119. *At contra herbosa*. Pisces litorales. *Laxantur*. Ald. Gesn. Pith. MS *luxantur*. An *lætantur?* minime. Gratius enim ita τῷ *laxare* utitur pro expandere in Cyneg. de retibus: *laxanda reponite fumo:* supra, *laxare vimen*, *os*, etc. VLIT. Mihi non est dubium, legendum esse *luctantur*, i. e. impedite et difficulter natant, arenis et herbis immersi.

120. *Ruminat*. MS *ruminet*. Plinius de Scaro: « solus piscium dicitur ruminare, herbisque vesci ». VLIT.

121. *Fecundumque genus Mænerelamyrosque*, Ald. Lego: *Mænæ, Lamyrosque;* nam et *Mænæ* fecundæ sunt, et *Lamyrus* piscis a Plinio nominatur; idem forte qui *Larimus* Oppian. Hal. lib. III. GESN. De Lamyro Plin. XXXII, 11; de Mæna egimus Fast. II, 578. HEINS. — Conjicit Vlitius *Mænæ*, *Gerræque*, *Smarisque;* nam hi tres pisciculi ejusdem fere generis; Martial. lib. XII, epigr. 32: *Fuisse Gerres aut inutiles Mænas*. ED.

123. *Atque avium dulces*. Chromin qui nidificet in aquis Plinius ex Ovidio nominat, sed inepte, nisi librarii corruperint. Aristoteli Phycis sive Fuca piscium solus nidificat, l. VIII, fine: Μονὴ δὲ φυκὶς τῶν θαλαττίων ἰχθύων στιβάδας ποιεῖται. Quamobrem post sequentem versum: *Atque avium dulces*, etc. addo: *Fuca sagax*, principium alterius versus, cujus reliqua desunt: quamvis scio *Fuca* pro Phycide a Gaza factum esse nomen. GESN. Vlitius hunc versum legere vult: *Atque avium Phycis nidos imitata sub undis*. Sed nec hoc opus esse arbitror. Ovidius Phycidem periphrastice descripsit, ipso nomine præterito, quod satis notum et celebre erat. Plinius ea falso retulit ad Chromin, quem sequutus est Bellonius, omissa per intervallum Salpa. Plura de Phycide congessit Cannegieter, ad Avian. fab. 38. *Dulces* omnes libri retinent, et Thuan. *dulcis nives*.

124. *Et Squalus et tenui*. Ita recentiores edd. Ald. Gesn. et Pith. *et Squalus tenui*. Nam prima potius producenda est, sive ex κέφαλος contrahitur, quod Gesnero visum, sive, ut verisimilius, a *squaleo*. MS *Et Squa et tenui*. Hic itaque

Passer, et Adriaco mirandus litore Rhombus:
Tunc Epodes lati, tum molles tergore Ranæ.
Extremæ pas*cunt propter confinia ripæ*,
Aut fixæ scopulis, hærent Pernæque, Sudesque,
Lubricus et spina nocuus non Gobius ulla,
Et nigrum niveo portans in corpore virus
Lolligo, durique Sues, sinuosaque Serpens,
Et tam deformi non dignus nomine Asellus;
Tuque peregrinis Acipenser nobilis undis.

malim: *Et Squatus et tenui*, et Squalum supra ad v. 95 relegare: *Squali, Scombrique, Bovesque. Squatus* autem idem, qui *Squatina*, ut ostendit Gesnerus. Vlit.

126. *Passer*, in cœno degit Oppiano. Gesn. Rhombos, Soleas et Passeres etiam conjungit Plin. lib. IX, c. 20. Juvenalis, IV, 39: *Incidit Adriaci spatium admirabile Rhombi.*

127. *Tunc Epodes.* MS *Lepores læti.* Plin. excerpsit, *Epodas lati generis.* Vlit.—*Ranæ*, ranas marinas de piscium genere intelligo. Gesn.

128. *Extremi pascunt.* Ald. Gesn. *Extremi pareuc* * Thuan. et Pith. *pareus* Ambros. Heins. Ego reliqua ex Oppiano: Halieut. I, initio ita supplevi: *Extremæ pascunt*, etc.— *Pernæque Sudesque* ex Plinio, qui hinc citaverat, in locum hunc postliminio restitui. Vlit.

130. *Gobius.* Gobii vel Cobii in petris et arenis degunt Æliano. — *Lubricus* Gobii epitheton dixerim: quamquam *Olisthos*, i. e. Lubricus, sui generis piscis est Oppiano, prope ostiâ fluviorum. Gesn.

132. *Lolligo.* Pelagia est Lolligo magna. Gesn. *Dirique sues* passim citat Gesnerus: *sinuosaque serpens* ego conjiciebam. MS *sinuosa Caris.* Pith. quoque *Caris.* Ald. et Gesn. *sinuosaque cess.* f. *Thessa*, quæ a Plinio nominatur in catalogo piscium. Pantagathus: *cestra.* Vlit.

133. *Asellus.* Plinius, lib. IX, 17: « Asellorum duo genera, Callariæ minores et Bacchi, qui non nisi in alto capiuntur, ideo prælati prioribus ».

134. *Acipenser. Helopem quoque* Ovidius dicit « esse nostris incognitum undis; ex quo apparet, falli eos, qui eumdem Acipenserem existimaverunt ». Ipsum tamen Plinium in hoc falli putat Vlit. Quasi Acipenser Romæ cognitus esset, quum Ovidius eum quoque peregrinum esse canat. Gesn. Plinius non pugnat cum Ovidio. Hic nobilem Acipenserem vocat, quod plerumque peregrinis aut dissitis ex maribus advehatur: Plinius, quod rarum inventu, licet non plane incognitum Italicis maribus, ut Helopem, sciebat, propterea mirabatur eumdem Acipenserem existimari. Cæterum raro quidem, capi tamen in litoribus Italiæ Acipenserem, atque ideo apud antiquos nobilem in primis habitum, ipse Plinius, IX, 17, et Macrob. Saturn. II, 12, e Plauto et Cicerone, affirmant.

OVIDII HALIEUTICI

INITIUM CUM FRAGMENTO

QUOD SERT. QUADRIMANUS REPERIT

EDIDIT

HIER. COLUMNA *.

Tertia Phœbei referunt hiberna jugales,
Quum magni Jovis imperiis te, Roma, reliqui,
Conjugis et vultu semper cariturus amico.
Exsul in extremas adigor moriturus arenas,
Semper ubi immiti canescunt arva pruina,
Æthereusque ruit sublimi a vertice Corus,
Quando alibi radiis flammantibus arva perurit
Phœbus, et exhaustis fervescunt flumina ripis;
Hic ego barbaricæ vitans commercia gentis,
Quum primum noctis tenebras Aurora fugavit,
Desertos scopulos, et litora sola frequento;
Aspiciensque ferox oculis lacrymantibus æquor,
Conqueror heu! superos necquidquam voce fatigans.
Exciti gemitu pisces e fluctibus imis

* Reddo hoc fragmentum, ut a Columna est editum, in notis ad Ennii Phagetica, p. 153, edit. Hesselii. Addo aliquot variationes, quas e Pantini exemplari ejusdem fragmenti excerptas dedit Petr. Burmannus vir. cel. Anthol. Lat. tom. II, p. 384. Indicabo præterea, qui versus hujus fragmenti, et e quibus Halieutici Ovid. aut exscripti, aut corrupti contractique sint. Obiter pauca illustrationis caussa adnotabo.

8. Pro *exhaustis fervescunt*, ut in schedis MSS et apud Columnam, præstat *exustis arescunt*. B.

Emergunt, mecum forsan fera fata vocantes;
Et ni vox desit, vellent lenire dolentem.
Unquam nec latebris abducunt corpora cæcis,
Ni prius ipse abeam, Solis jam luce cadente.
Ergo equidem experiar, possim si digna referre
Præmia, et æternis inscribere nomina chartis,
Nomina, quæ nullis pereant fugientibus annis.
Quare, o magnorum pars non spernenda Deorum
Quos tegit in gremio Tethys longæva virente,
Glauce, fluentisonis placidum caput effer ab antris,
Et mecum immensi percurras litora ponti,
Dum populos pelagi canimus, gentemque natantum.
Spero ego te mihi præsidio per cuncta futurum,
Ut qui squamigeræ gentis bene nomina noris,
Ni mendax fuerit quæ de te fabula fertur:
Te quondam herboso projectos litore pisces
Obstupuisse maris rursus sub stagna reverti,
Exstincti quum jam cælesti luce carerent;
Gramine quum tacto patriæ sola dulcia linquis,
Canæ Amphitrites magno succensus amore.
Quare, si veteris durant vestigia moris,
Si precibus hominum flectuntur numina ponti,
Huc adsis, *dirigas*que pedes, humerosque natantis.

29. *Fabula fertur.* Ipse hanc fabulam Ovidius in fine libri XIII Metam. narrat de Glauco, e piscatore in Deum marinum verso, quum herbas quasdam litoris, quibus impositos pisces revixisse et in mare rediisse viderat, ipse decerptas momordisset. Ovidium sequutus eamdem fabulam elegantibus versibus complexus est Ausonius in Mosella, v. 276 seqq. Alias Proteum Homerus omnium rerum, quæ in maris penetralibus latent, scientem facit Odyss. IV, 385: Ἀθάνατος Πρωτεὺς Αἰγύπτιος, ὅστε θαλάσσης Πάσης βένθεα οἶδε, Ποσειδάωνος ὑποδμώς.

35. *Vestigia moris* edidit Columna; sed in ima pagina conjecit *amoris*, ut in Pantini schedis. B.

37. *Natantes* Pantinus, non *natantis*, ut apud Columnam. Sed quis illo loco ferat: *Huc adsis, dirigasque pedes?* vitio in metrum satis gravi. Burmann. Scribere poterat *vertasque pedes;* quod et sensui multo convenientius foret.

Sicaniæ primum quæramus marmora, non qua
Enceladus vastas volvit trans nubila flammas,
Et totas quatit assiduis succussibus urbes;
Ast ubi Neptunus magno fera saxa tridente
Trudens, Italiam Siculis discindit ab arvis.
Forsan et inde tibi veniet pergrata voluptas;
Saxa videns ponti furiis nunc obvia sævis,
In quo, proh! Circes letalia gramina, vultus
Dilectæ quondam Scyllæ mutastis amatos.
Hic tu non poteris fletum cohibere cadentem,
Sed longum veteres etiam lugebis amores,
Amplexusque manu duræ dabis oscula cauti;
Quamvis cæca fremant gemitu spelæa sonanti,
Atque obsessa gerat latitantibus inguina monstris.

* * *

Mitem luctantem Scarus in limine vidit

* * *

Jactantemque manus rapitur diversa, nec unquam
Desinit infestare minores obvia Thynnos.

* * *

Adversi caudam morsu tenet*

* * *

At tu, quum vastas terras super aureus it Sol,

46. Male in exemplo Pantini: *vultus Dilectæ quondam Scyllæ mutastis amatæ*, pro *amatos*, ut in margine conjecit Pantinus, et edidit Columna. B. Amatam a Glauco Scyllam esse, idem Ovidius l. c. refert.

51. *Latitantibus inguina monstris*. Perperam apud Columnam, et in schedis Pantini, qui recte emendaverat *latrantibus*. B. Et sic est apud Virgilium, Ecl. VI, 75.

52. Est hic versus 16 Halieutici Ovid. unde hic legendum: *Mitis luctantem Scarus hunc in vimine vidit.*

55. Hal. versus 17.

56. Præcipit de tempore piscationis, ne fiat interdiu, aut nocte illustri, sed ut circa ortum vel occasum Solis. Quod sumptum ex Aristotele videtur, Hist. Anim. lib. VIII, c. 19: ἁλίσκονται δὲ μάλιστα οἱ ἰχθύες πρὸ ἡλίου ἀνατολῆς καὶ μετὰ τὴν δύσιν· ὅλως δὲ περὶ δυσμὰς ἡλίου

Plenaque vel tacito vectatur Cynthia cælo,
Necquidquam insidias tendas sub nocte silenti:
Namque procul fluitantem hamum, vel retia cernunt,
Candida nocturnas pellit quum Luna tenebras:
Idcirco, ponti subeat dum templa, morare.
Tunc vero nigris videas volitantibus umbris.

* * *

At Murena ferox dimotis*

* * *

Sæpia tarda fugæ, nec non et Polypus hæret.

* * *

Fluctibus occiduis dicunt hæc monstra vagari,
Quæ miseros nautas, navesque morantur euntes.
At Mugil cauda pendentem verberat hamum.

* * *

Auxiliumque vagas Delphin lature per undas:

καὶ ἀνατολάς· οὗτοι γὰρ λέγονται εἶναι ὡραῖοι βόλοι. Similiter Plinius, lib. IX, c. 16: « Vagantur gregatim fere cujusque generis squamosi. Capiuntur ante Solis ortum: tum maxime piscium fallitur visus. Noctibus quies: illustribus æque, quam die, cernunt ». Oppianus autumnali tantum tempore matutinam et vespertinam piscationem opportunam esse ait, Halieut. III, v. 50.

57. Dicendum erat *Plenave quum tacito*.

61. *Ponti subeat dum templa, morare*, bene correxit Pantinus, pro *morari*, ut in cod. MS et apud Columnam. B. Sed non aliter dedit Hesselius, et editor Corporis Poetarum.

62. *Volitantibus umbris*, forte *volventibus*, vel *venientibus*. Eloquutus est perinde, ac si de animabus, vel de idolis somniorum, quæ et umbræ et volitare dicuntur, sermo esset. Vid. Ovid. Metam. XIV, 411, et Petronius, cap. 104: *Somnia, quæ mentes ludunt volitantibus umbris*. — Virgil. Æn. VII, 89: *Multa modis simulacra videt volitantia miris*.

63. Conflatus ex versib. Halieut. 24 et 27.

64. Ex versib. Halieut. 19 et 32.

65. De Cetis hic loquitur, quos et Oppianus dicit in mari Hesperio vel Atlantico vagari, et navigantibus timori esse, Halieut. V, 56: Πολλάκι καὶ νήεσσιν ἄγει δέος ἀντιόωντα Ἑσπέριον κατὰ πόντον Ἰϐηρικὸν, ἔνθα μάλιστα Γείτονος Ὠκεανοῖο λελοιπότ' ἀθέσφατον ὕδωρ Εἰλεῖται, νήεσσιν ἐεικοσόροισιν ὁμοῖα. Vid. etiam Auson. in Mosell. v. 144. — Valer. Cato in Diris, v. 55: *Nigro multa mari dicunt portenta natare*. Ed.

67. Halieut. vers. 38.

68. Fabulam de Delphino Ario-

Namque tuas persensit opes Dis carus Arion,
Quum tu subducto spumosa per æquora tergo
Illæsum vectas, patriaque exponis in acta.

* * *

Nam gaudent pelago, quales Scombrique, Lupique,
Atque Boves patula captantes nare fluores.

* * *

Dicendum Illyricis volitat qui piscis in undis,

* * *

Quam vastas habeat vires in corpore, quamvis
Arma haud ulla homini dederit Natura nocendi.
Ipse Lupo assimilis parvo, setæque comantes
Demissæ extremæ lambunt confinia caudæ,
Purpureoque micant tenuissima colla colore.
Si forte adventante die caput extulit undis,
Atque recens orti lumen conspexit Eoi,
Pallidus exstincto tabescit Cynthius orbe,
Nec lucem attonitis fundit mortalibus almam.
Vidi ego, quum nulli volitarent aere venti,
Atque obscura novo cessissent nubila Soli,
Ardua turbinibus mundi convexa sonoris

nem portante Oppianus narrat Halieut. V, 448; plenius Ovidius Fast. II, 93, seqq. — Adde Herodot. I, c. 24; Æl. de Animal. lib. XII, c. 45; Gell. lib. XVI, c. 19; Serv. ad Virgil. Ecl. VIII, 56; Hygin. fab. 194. Ed.

69. Legi malim *Namque tuam persensit opem*, non *tuas opes*, ut apud Columnam et in schedis Pantini. B.

71. *Patriaque exponis in alga*, eædem schedæ: sed *acta* edidit Columna, et conjecerat Pantinus, qui et v. 73 legebat *patula captantes nare*, non *patulos*. B.

72. Halieut. vers. 95.

73. *Fluores*, Nemesiano et aliis sequioris ævi usitatum vocabulum. Vid. Cyneg. v. 227; Auson. Mosell. 366 et 446.

75. Quænam bellua marina, cujus hic dira portenta narrantur, intelligenda sit, obscurum est. Fortasse de bove marino sermo est, in quem conveniunt ex parte, quæ hic de ejus forma et viribus dicuntur. Vid. Ælian. de Animal. lib. I, c. 19, et Oppian. Halieut. II, 140, seqq.

79. *Purpureoque micant* edidit Columna, recte. *Meant* est in schedis MS. B.

Impelli, et crebris nubes fulgescere flammis.
Ac tempestatem mox advexisse serenam,
Postquam sub pelagi fluctus ferus ille refugit.

* * *

Parva Echeneis adest, mirum, mora puppibus ingens.

* * *

. . . . purpureo tellus qua tunditur æstu.
Antheris est tergo prorsus florente decorus;
Hujus in immensa residet lapis abditus alvo
Cæruleus, stellasque gerit, velut aurea cæli
Tecta micant, postquam Phœbus cava Tartara adivit,
Nec curru nocturna volat Phœbea nitente.
Hunc si Cecropiæ suffusum cæde volucris
Quis gerat, hic poterit medios impune vagari
Per populos, incedentem non ulla videbunt
Lumina, nigranti veluti res aere septas.

* * *

87. *Fulgescere* vox serioris latinitatis, quam etiam Firmico adscribunt lexica.

88. Fortasse legendum *advenisse*.

90. Hal. vers. 100.

91. *Tellus qua tunditur æstu, Antheris est tergo*. Sic apud Columnam: sed in exemplo Pantiniano, *qua tunditur æstro Ætheris*. B. Lege *æstu ætheris*. — Potest tamen *tunditur æstu* etiam de æstu maris accipi. Catull. Carm. XI: *Longe ubi litus resonans Eoa Tunditur unda*. Ed.

92. *Antheris est tergo*. Hæc verba corrupta videntur ex Halieutici primi versu 46. Ed.

93. Etiam hic ignoro, quodnam monstrum memoretur, et quomodo appellatus sit lapis stellatus, in ejus ventre inveniendus, qui gerentes invisibiles reddat. Conveniunt quodammodo, quæ Plinius, XXXVII, cap. 10, de Pontica quadam gemma: « Est stellata nunc sanguineis, nunc atris guttis, quæ inter sacras habetur ». Ibidem de heliotropio gemma: « Nascitur in Æthiopia, Africa, Cypro, porracei coloris, sanguineis venis distincta...... Magorum impudentiæ vel manifestissimum in hac quoque exemplum est, quoniam admixta herba heliotropio, quibusdam quoque additis præcantationibus, gerentem conspici negant ».

96. *Phœbea* pro Phœbe, seu Luna, poetis vetustis inusitatum est. Burm. — Sed sic interdum poetæ nomina propria immutant, ut Avien. in Phænom. v. 126, *Titanius* dixit pro *Titan*; et Petron. B. civ. v. 268, *Mavortius* pro *Mavors*. Ed.

97. *Cecropiæ volucris*, noctuæ, quæ Palladi sacra. Ed.

At durus Xiphias ictu non mitior ensis,
Et pavidi magno fugientes agmine Thynni.

* * *

Qui semper spumas sequeris, Pompile, nitentes,
Cercyrosque ferox, et ovantes gutture cancri:
Orphas, et herbosa latitans Erythinus in unda,
Et Sparulus, Sargusque notis insignis opimis;
Chrysophrys imitata decus, et verba volantum:
Namque volat, scopulique latens in vertice acuti
Concinit, ut nunquam melius sub fronde virenti
Attica avis verna sub tempestate queratur.

* * *

. . . . tum corporis Umbræ
Liventis, rapidique Lupi, Percæque, Tragique.

101. Hal. vers. 98.

102. Hal. vers. 99. *Pavido magno* vitiose in edit. Hessel.

103. Hal. vers. 102.

104. Hal. vers. 103 ex parte, et v. 116, ubi quando pro *Conger* quidam legunt *Cancer*, hinc *Conger immitis suæ per vulnera gentis* hoc loco mutatur in *ovantes gutture Cancri*. Hoc igitur haud dubie significat *aventes* vel *voraces*, et alieno sensu detortum est ex illo Virgilii, Georg. I, 423, *et ovantes gutture corvi*. Et videtur *ovans* sequiore ætate pro avente vel avido positum. Sic Orientius, Commonit. lib. I, dist. 199: *Semper ovans castam sollicitare fidem*: ubi *ovans* frustra mutare in *avens* vult Rivinus. Vid. præfat. nostr. ad Halieut.

105. Est versus 105 Halieut. sed mutatus. *Latitans Eythinus* in schedis MS pro *Erythinus*, ut edidit Columna. B.

106. Hic conflatus ex versu Hal. 106, eoque mutato, et 107.

107. In hoc est dimidius vers. Hal. 112, ita ut pro altero hujus hemistichio *tum corporis Umbræ*, quod in versum 111 conjectum est, ponatur hic *et verba volantum*. Atque hoc effictum videtur ex versu Halieutici 123, *Atque avium dulces*, etc. qui et alieno sensu acceptus de cantu vel loquela avium, et falso applicatus ad piscem Chrysophryn est, ita ut piscis loquelam avis imitans fingatur. Alias non insolens est *dulces nidos* dicere pro pullis avium dulce querentibus. Vid. Seneca Herc. fur. v. 148. — Præterea pullos avium sæpe *nidos* a poetis vocari pluribus ostendit Burmann. Anthol. Lat. t. I, p. 139; nec semel a Virgilio qui *nidis immitibus* dixit Georg. IV, 17, et Æn. XII, 475, *nidisque loquacibus escas*. Ed.

111. Hemistichium *tum corporis Umbræ* desideratur in schedis Pantini, in quibus sequenti versu *Linentis* pro *liventis*. B.

112. Est versus Hal. 113.

* * *

. . . . cauda Melanurus acuta;
Atque Canes, Leporesque truces, Merulæque virentes,
Fecundumque genus Mænæ . . . .

* * *

Ipse et purpureo suffusus sanguine Mullus.
. . . . et molles tergore Ranæ.

113. Ex versu Hal. 114 mutato.

114. *Merulæque virentes*, vers. 115 Hal. *Canes Leporesque* aliunde inducti, nisi quod *lepores* versu 127 Hal. Thuan. MS, legit pro *Epodes*.

115. E versu Hal. 121.

116. Versus Hal. 124 ex parte.

117. Hal. vers. 127.

Q. ENNII

PHAGESIORUM FRAGMENTUM.

Omnibus at Clupeæ præstat Mustela marina:
Mures sunt Æni, ast aspra ostrea plurima Abydi:
Est Mitylenæ Pecten, Aperque apud Ambraciæ amnem:
Brundusii Sargus bonus est: hunc, magnus erit si,
Sume. Apriclum piscem scito primum esse Tarenti:
Surrenti fac emas Glaucum, et Cumas apud: at quid

1. *Clupeæ* legunt Turnebus, Pithœus, Scalig. et Columna, quamvis hic *Clupea* edidit. Nimirum præfert Ennius omnibus mustelis marinis eas, quæ Clupeæ nascuntur, quæ est urbs in ora Africæ, cujus meminit Lucan. IV, 598. — *Mustela marina,* γαλῆ θαλασσία, ad differentiam fluvialis, quam Ausonius in Mosella laudat v. 107.

2. *Mures* hic appellari genus ostrei, contendit Salmasius; quæ Græcis vocentur μύες, Plinio myaces et myiscæ, lib. XXXII, 9. Idem græcum vocabulum Ennio retinendum fuisse putat, quum versum reddat Archestrati: Τοὺς μῦς Αἶνος ἔχει μεγάλους. Ænus urbs Thraciæ: Abydus Asiæ in Hellesponti faucibus, ostreis celebris. Vid. Virgil. Georg. I, 207, et Auson. carm. de Ostr. v. 29.

3. Scaliger hic voluit *Mitylus, et pecten, charadrusque apud Ambraciæ amnes.* Sed merito hanc emendationem rejicit Columna, qui inhærere Ennium verbis Archestrati putat, *pectinem* Mitylenæ, *aprum* vel *caprum* Ambraciæ tribuentis: τοὺς δὲ κτένας ἡ Μιτυλήνη, Πλείστους δ' Ἀμβρακία παρέχει, κάπρους τε μετ' αὐτῶν. Sunt vero pectines ex ostreis, capri vel apri e piscibus.

5. *Piscem* hic otiosum esse putat Columna, atque hinc corrigit: *Sume, ast apriculum scito.* Cannegieterus, referente Burmanno, substituere ei voci volebat *Phycin*, piscem, quem in copiosa alga versari scribit Oppian. Hal. I, 126, et in Halieut. Ovid. versu 123 invenire voluit Vlitius. *Apriculum* Græcis vocari καπρίσκον monet Columna, ejusdemque piscis meminit Apuleius in Apol. p. 296.

6. *Surrenti Lopadas, Glaucum Cumas apud*, etc. edidit Scaliger et Pithœus, quod probat Columna. Hic tamen pugnat simul pro *fac emas*, quod in vulgatis Apuleii exemplaribus dicit exstare.—Sed ex ipso Apuleio citat Freher. ad Mosell. v.

Scarum præterii cerebrum Jovi' pæne supremi?
Nestoris ad patriam hic capitur magnusque bonusque,
Melanurum, Turdum, Merulamque, Umbramque marinam?
Polypu' Corcyræ, Calvaria pinguia Atarnæ,
Purpura, Muriculi, Murex, dulces quoque Echinei.

151: *Surrenti, Phagem; Glaucum, Cumas apud.* Ed. — Sed metrum vix permittit, et Scaliger in notis pro hoc corrupto emendat *Surrenti chemas*, quod valde placet. Χήμη autem genus ostrei est. — Vossius de Idolol. IV, cap. 27, legere mavult: *Surrenti channas, Glaucum et Cumas apud.* Ed. — De *Glauco* vid. Halieut. Ovid. v. 118.

7. *Scarus* ut nobilissimus piscis passim laudatur Plinio, IX, 17; XXXII, 9; Petronio in epigr. cap. 93, ubi glossa vetus dictum ab Ennio *cerebrum Jovis* allegat. Describitur in Hal. Ovid. v. 120. Cerebrum Jovis puto dictum quasi medullam vel carnem tenerrimam, Jovis epulis dignam, ut optimum caseum Jovis lac dixit Euripides apud Athenæum, XIV, 30.

8. *Nestoris patriam* intelligit Pylon, Achaiæ urbem.

9. *Melanurum*, anapæstus pro dactylo: ab insigni cauda nominatum significat Plinius, l. c. Halieut. Ovid. v. 114, et alterum Quadrim. v. 113.—*Turdus* et *Merula* avium nomina piscibus tributa, ut sæpe. Sunt e Saxatilium genere. De *Umbris*, quæ Græcis σκιαίναι, vid. Halieut. v. 112.

10. *Polypus* a pedum multitudine appellatus. — Per *Calvaria pinguia* Turnebus intelligit salsamenta e capite thynni. Columna piscis nomen esse, sed legendum putat *Calvaria pinguis*. At neutro plurali nomen piscis extulit Apuleius, l. c. et dixit *marina Calvaria*. — *Atarna*, auctore Stephano, urbs est inter Mysiam et Lydiam, prope Lesbum.

11. Colvius in Apuleio legit *Purpura, Matriculi, Mures*, quod rejicit Columna, *Muriculos* dicens esse, qui et musculi dicuntur, et inter testacea numerantur: idem pro *Mures* substituit *Murex*, qui differt a purpura. Salmasio hic μύες reponendum videbatur.

AD AUSONII

MOSELLAM

PROOEMIUM.

Halieuticis hactenus propositis subjungendam putavimus Mosellam Ausonii, quum propter similitudinem argumenti, quod et plura piscium fluvialium genera, aliaque ad piscatum pertinentia enarrat, tum hac maxime de caussa, ut si quibus forte lectoribus e Venaticorum et Halieuticorum exili et jejuna materia subortum esset tædium, hi lectione poematis disertissimi juxta ac festivissimi recrearentur, quod plane dignum ingenio magni poetæ, dignum Consule, viri eruditi judicarunt, et olim vixdum editum magnis laudibus excepit Symmachus, lib. I, epistola XIV ad ipsum auctorem scripta. Est autem Mosella Galliæ antiquæ fluvius, qui ex monte Vogeso ortus, non longe ab Araris fontibus, per Mediomatrices, Theodonis villam, Treveros et Confluentiam, in Rhenum, Gallos a Germanis disterminantem, defluit. Ausonius ejus laudes hoc Idyllio celebrandas suscepit, haud dubie ea caussa permotus, quod Mosella Augustam Treverorum alluit, quæ tum sedes Imperatorum, Valentiniano et Gratiano inprimis dilecta, erat, et Ausonius eo anno, quo hoc poema scripsit, nempe A. C. 368, ut definivit editor Ausonii in usum Delph. in Dissert. de vita et scriptis Ausonii, ab expeditione Gratiani adversus Germanos et Suevos reversus, ad Treveros et palatium Cæsarum, quo illi jam, dimisso in hiberna exercitu, triumphantium more recepti advenerant, contendebat per Navam et Mosellam amnes. Hoc iter ipse describit initio poematis, triumphi autem Cæsarum de Suevis, ad Lupodunum paullo ante profligatis, meminit sub finem ejus, v. 422. Laudes

Mosellæ ita persequitur, ut primum limpitudinem aquæ, et facilitatem navigandi, porro piscium, quibus scatet, varia genera, deinde ripas vinetis consitas, villas, atria, prata adjacentia, flumina denique in ipsum decurrentia, et alia quædam celebret, quæ non tam ipsi fluvio, quam poetæ ingenio debentur. Omnia hæc multa amœnitate ingenii et varia eruditione explicat, ut in iis haud pauca historiæ et geographiæ veteris, ritus antiqui et mythologiæ vestigia magna cum voluptate legantur. In hoc poemate interpretando vix mihi vitio verti poterit, si ex paratissimis copiis, quas uberrimæ Scaligeri, Vineti, Freheri, Tollii, Floridi, Cannegieteri in Miscell. Obs. vol. X, tom. II, annotationes suppeditant, ea seligam, in ususque meos convertam, quæ ad interpretationem maxime idonea et necessaria videbuntur. Nec tamen deerunt loca, in quibus cura priorum interpretum deficiat, et nostra diligentia requiratur.

D. MAGNI AUSONII

MOSELLA

IDYLLIUM X.

TRANSIERAM celerem nebuloso lumine Navam,
Addita miratus veteri nova mœnia vico,
Æquavit Latias ubi quondam Gallia Cannas;
Infletæque jacent inopes super arva catervæ.
Unde iter ingrediens nemorosa per avia solum,
Et nulla humani spectans vestigia cultus,

1. *Nebuloso lumine* recte posuit Scalig. pro *flumine*, quod in antiquis erat, h. e. ambiguo mane, diluculo obscuro et nubilo. Ita in Cupidine cruci adfixo v. 8. — *Nava* fluvius, hodie *Nah*, inter campos Argentoratenses et Mosellam interjectus, ad Binginm oppidum Rheno miscetur, ubi pontem fuisse impositum Tacitus testatur Hist. IV, 70. Per hunc pontem ad Bingium Navam transiisse Ausonium existimat Freherus.

2. *Vicum* intelligit Bingium Freherus, quod cum aliis oppidis a Juliano munitum meminit Amm. Marcell. lib. XVIII, 2. Argentoratum nuper vicum, nunc mœnibus circumdatum, accipit Scaligerus, et Schurzfleischius dissert. ad Princip. Mosellæ. Atque inde igitur Treveros profectum Ausonium existimat.

3. Marcellinus, lib. XV, 11, *Argentoratus*, inquit, *barbaricis cladibus nota*. Et Aurel. Victor de Juliano Cæsare: « Iste in campis Argentoratensibus apud Gallias, cum paucis militibus, infinitas hostium copias delevit. Stabant acervi montium similes, etc. » Non tanta, nec tam celebris clades fuit, quam Vespasiano rerum potiente, Classico, Sabino et Tutore auctoribus, deficiens pleraque Gallia Celtica, in regione Bingii accepit, teste Tacito, Hist. IV, 70, quam hoc loco intelligi mavult Freherus. Sequens versus recentem cladem indicat. Viro docto in Misc. Obs. vol. X, p. 164, Ausonius videtur cladem indicare, quam Ariovistus, trajecto Rheno, intulit Gallis, vicum autem Creutznacium.

5. *Unde*, trajecto Nava. — *Solum iter*, infrequens accolis.

Prætereo arentem sitientibus undique terris
Dumnissum, riguasque perenni fonte Tabernas,
Arvaque Sauromatum nuper metata colonis;
Et tandem primis Belgarum conspicor oris
Nivomagum, Divi castra inclyta Constantini.
Purior hic campis aer; Phœbusque sereno
Lumine purpureum reserat jam sudus Olympum.
Nec jam consertis per mutua vincula ramis
Quæritur exclusum viridi caligine cælum;
Sed liquidum jubar, et rutilam visentibus æthram
Libera perspicui non invidet aura diei.
In speciem quum me patriæ, cultumque nitentis
Burdigalæ, blando pepulerunt omnia visu,
Culmina villarum, pendentibus edita ripis,

8. *Dumnissum*. Tabula itineraria habet *Dumno*, quod forte non alibi requirendum, quam in perveteri munitoque illo castello, jugo montis imposito, non longe a regia via, quæ Bingio Nivomagum deducit, cui *Dhaune* nomen etiamnum manet. *Dumnissum* autem Ausonii puto esse hodie *Denssen* infra Kirchbergum.—*Tabernarum* nomen nulli potius convenire videtur, quam oppido Castello, quod *Bern-Castel*, i. e. tabernarum castellum, nunc vocatur. Freh. Auctor Obs. l. c. oppida *Sobernheim* et *Thaunissen* hic quærit, inter Creutznacium et Nivomagum.

9. Cum Sarmatis, Hunnis aliisque feris gentibus bella gessisse Gratianum, Aur. Victor et Zosimus testes sunt; victis et traductis agros in illa provincia assignatos, Ausonius hoc loco, et in panegyr. c. 4, innuit.

11. *Nivomagum*, castra Constantini, suspicor esse oppidum Trevirense *Neumagen*, vel, ut alii, *Nymægen*, ad Mosellam situm inter Treveros et Rhenum, tria milliaria distans ab Augusta Trevir. In itinerario Antonini et tab. Peuting. scribitur *Noviomago*.

14. Vult Freherus *connexis*. Ita Lucan. III, 400: *Obscurum cingens connexis aera ramis*. Ed.

15. *Viridi caligine*, quam silva viridis, et conserti arborum rami efficiunt.

17. *Libera aura diei*. Non impedita aut obtecta ramis arborum. Sic *luminis auras* Virg. Georg. II, 47.

18. Ausonium scripsisse *vultumque nitentis* suspicatur Barthius; sic *maris vultus* apud Virg. Æn. V, 848: *Mene salis placidi vultum fluctusque quietos Ignorare jubes?* Ed.

19. Omnia, quæ hic videbam, blando visu ita me perculerunt, ut speciem cultumque Burdigalæ meæ videre crederem. Ita omnia erant similia, villæ, vineta, fluvius.

20. *Saxis* pro *ripis* in vetusto libro scriptum invenit Pulmannus. Vin.

Et virides Baccho colles, et amœna fluenta
Subterlabentis tacito rumore Mosellæ.
  Salve amnis laudate agris, laudate colonis,
Dignata imperio debent cui mœnia Belgæ :
Amnis odorifero juga vitea consite Baccho,
Consite gramineas amnis viridissime ripas :
Naviger ut pelagus; devexas pronus in undas,
Ut fluvius; vitreoque lacus imitate profundo;
Et rivos trepido potis æquiparare meatu,
Et liquido gelidos fontes præcellere potu,
Omnia solus habes, quæ fons, quæ rivus, et amnis,
Et lacus, et bivio refluus manamine pontus.
Tu placidis prolapsus aquis, nec murmura venti

22. *Tacito rumore*, ut in Virgil. Æn. VIII, 90, *rumore secundo*, i. e. lapsu fluminis. *Rumor* a *ruere* vel ῥύειν, ut humor ab ὕειν.

24. *Dignata imperio mœnia*, urbs Augusta Treverorum, ubi Imperatores a Constantino ad Valentem usque palatium habuerant. *Imperii sedem* et *solium* vocat infra v. 380 et in Claris urb. IV, *domicilium Principum clarum*. Marcellin. XV, v. 11.

25. *Juga vitea*, densa vitibus; infra v. 152 *spectacula vitea*.

27. *Devexas*, i. e. declives et deorsum fluentes. Ed.

28. *Vitreo profundo*, tam claro, ut calculi appareant. Conf. v. 55. — Ita de Arethusa fonte Lucian. Διαυγὴς δέ ἐστι καὶ διὰ καθαροῦ ἀναβλύζει, καὶ τὸ ὕδωρ ἐπιτρέπει ταῖς ψηφίσιν, ὅλον ὑπὲρ αὐτῶν φαινόμενον ἀργυροειδές. Ed.

29. *Potis* recte Gronovius pro *potes*: id enim verbum requirunt præcedentia *naviger*, *pronus*, *imitate*.

31. Laudes fluviorum quas Hesiodus singulis attribuit, in unum Mosellam hic omnes congerit: καλλιρέεθρον, ἀργυροδίνην, θεῖον, ἐϋῤῥείτην, μέγαν faciens. Ed.

32. *Bivio manamine*. Sic recte Gronovius pro *munimine*, quod ante legebatur. *Bivium manamen* est fluxus et refluxus, quo naturam describit ponti, non ut hoc ipso ei similem Mosellam dicat, sed ut navigatione, quæ propter lenitatem Mosellæ, vel secundo fertur flumine, vel retrorsum remulco, ut in mari. Hinc infra v. 39: *tu duplices sortite vias*.

33. *Tu placidis prolapsus*. Tu undis leniter labentibus continuo provolutus. Sed libri vet. *prælapsus*, i. e. præterlapsus, habent, quod non rejiciendum; et præpositionis *præ* ἀντὶ τοῦ *præter* usum in hoc verbo Scioppius Verisim. I, 17, etiam in Symmachi loco, quo de Ausonii Mosella agit, epist. I, 14, agnoscit: « Volitat tuus Mosella per manus sinusque multorum, sed tantum nostra ora prælabitur ». — Ita

Ulla, nec occulti pateris luctamina saxi.
Non superante vado rapidos reparare meatus
Cogeris, exstantes medio non æquore terras
Interceptus habes: justi ne demat honorem
Nominis, exclusum si dividat insula flumen.
Tu duplices sortite vias, et quum amne secundo
Defluis, ut celeres feriant vada concita remi;
Et quum per ripas nusquam cessante remulco
Intendunt collo malorum vincula nautæ.
Ipse tuos quotiens miraris in amne recursus,
Legitimosque putas prope segnius ire meatus?
Tu neque limigenis ripam prætexeris ulvis,

idem Ausonius in Treveri: *Tranquillus placido prælabitur amne Mosella*. Ed.

35. Non te superans aut eminens aliquod vadum arenis accumulatis moratur, ut cogaris subinde cursum interceptum ad pristinam celeritatem reparare: *æquore* superficie aquarum. — Gronov. Observ. I, 19, legit *non sperante vado*. Ed.

37. *Interseptus*, Pulmannus ad oram suæ edit. — *Justi honorem nominis*, i. e. ne non satis dignus esses nomine *justi*, i. e. satis lati et magni fluvii. — *Exclusum*, i. e. repressum et coercitum.

41. *Remulcus* a græco ῥυμουλκεῖν, est tractio navis, quæ fit fune nautico ad proram alligato a nautis per ripam euntibus, quando contra aquam navigandum est, et navis remis velisque caret. Similiter Auson. epist. II, 9: *celerisque remulci Culpabam properos adverso flumine cursus*. De remulco late egit Dionys. Vossius ad Cæs. Bell. Civ. III, 40. — *Remulci* vocabulum etiam occurrit in fragmento Valgii poetæ, quod exhibet Isidorus, Orig. lib. XIX, cap. 4: *Hic mea me longo succedens prora remulco Lætantem gratis sistit in hospitiis*. Ed.

42. *Intendunt collo malorum vincula*. Intelligunt funem ad malum summum alligatum, et collo nautæ vel helciarii tractum. At mihi legendum videtur *collo mularum*: nam mulæ antiquitus remulco adhibitæ et a nautis actæ. Exemplum est apud Hor. serm. I, 5, 18: *missæ pastum retinacula mulæ Nauta piger saxo religat*.—Vide quoque ad Propertium, II, I, 19, 3. Ed. — Et in Gallia multum mularum usum fuisse, probant mulæ Gallicæ a Claudiano laudatæ. Alias lintres etiam a nautis tractos apparet ex Ovid. Trist. IV, 1, 8.

43. *Tuos miraris recursus*. Qui, obsequente unda, navigia remulco tracta sursum versus ire pateris, videris tibi ipse recurrere. — *Legitimi meatus* sunt naturales, deorsum versus.

45. *Limigenis* in duobus codicibus fuisse notavit Pulmannus; alii *limigeris*. Ugolettus edidit *Lagæis*; an *lagæas ulvas* pro papyro, papyrum

Nec piger immundo perfundis litora cœno,
Sicca sed in prima aspergis vestigia lympha.
I nunc, et Phrygiis sola levia consere crustis,
Tendens marmoreum laqueata per atria campum.
Ast ego despectis, quæ census opesque dederunt,
Naturæ mirabor opus, non, cura nepotum,
Lætaque jacturis ubi luxuriatur egestas.
Hic solidæ sternunt humentia litora arenæ,
Nec retinent memores vestigia pressa figuras.
Spectaris vitreo per levia terga profundo,
Secreti nihil amnis habens; utque almus aperto
Panditur intuitu liquidis obtutibus aer,
Nec placidi prohibent oculos per inania venti:
Sic demersa procul durante per intima visu
Cernimus, arcanique patet penetrale fluenti,
Quum vada lene meant: liquidarum et lapsus aquarum
Prodit cærulea dispersas luce figuras;

pro juncis posuit Ausonius? Toll.

48. *Phrygiis crustis*, i. e. tessellis, e marmore Phrygio. — Petronius: *Hinc Numidæ crustâs, illinc nova vellera Seres.* Vid. Velserus in pavimento Augustano; Apul. p. 72; Cassiodor. p. 15. Ed.

49. *Atrium* genus ædificii dicebatur ingredienti domum primum occurrens. Erant in iis laquearia; quæ quum in principum ædibus, citro, ebore, auro aliave pretiosa materia erant curiose cavata (ut ait Apul. lib. V, in princ.), et exornata, *laqueata atria* dicebantur. Vid. apud Cicer. de Prætura urbana: *tectum laqueatum*. Ed.

51. *Cura nepotum*, prodigalitas perditorum luxu hominum. — Sed Adrian. Burman. in nota manuscripta hos versus sic affert ex Observ. Miscell. *Naturæ mirabor opus, secura nepotum, Lætaque jacturis sibi luxurietur egestas.* Ed.

55. *Per levia terga*, h. e. per altitudinem pellucidam aquarum tuarum, spectatur quidquid in fundo est.

56. *Utque almus aperto.* Ut aeris expansam faciem liquido cernere datur, ubi apertus et liber prospectus est, et quiescente vento, nulla nebula coacta, pervidere inania licet. — Posset reprehendi in his versibus περισσολογία τοῦ *intuitu* et *obtutibus*. Ed.

59. *Durante per intima*, visu ad intima et ultima fluminis pertingente.

61. Ita distinximus suadente Adrian. Burmann. ex Observ. Miscell. Ed.

62. *Cærulea dispersas luce*, in aqua dispersas, quæ tam limpida

Quod sulcata levi crispatur arena meatu:
Inclinata tremunt viridi quod gramina fundo.
Utque sub ingenuis agitatæ fontibus herbæ
Vibrantes patiuntur aquas; lucetque, latetque
Calculus, et viridem distinguit glarea muscum.
Nota Caledoniis talis pictura Britannis,
Quum virides algas, et rubra corallia nudat
Æstus, et albentes concharum germina baccas,
Deliciasque hominum locupletes, quæque sub undis
Assimulant nostros imitata monilia cultus.
Haud aliter placidæ subter vada læta Mosellæ,
Detegit admixtos non concolor herba lapillos.
Intentos tamen usque oculos errore fatigant
Interludentes examina lubrica pisces.
Sed neque tot species, obliquatosque natatus,
Quæque per adversum succedunt agmina flumen,
Nominaque, et cunctos numerosæ stirpis alumnos,
Edere fas: haud ille sinit, cui cura secundæ

et pura fluit, ut mera lux videatur.

63. *Quod sulcata*, i. e. figuræ, quas sub unda prodit, eæ sunt, quod arena, etc.—In loco τοῦ *quod* v. 63 et 64, Anonymus in Observ. Miscell. profert *qua*. Ed.

65. *Utque*. Est hæc comparatio Mosellæ cum fonte, cujus apodosis sequitur versu 73. — *Ingenui fontes* sunt nativi, suo loco nascentes, non opere facti, aut derivati.

67. *Glarea* vocantur minuti lapides calculique et cum iis arenæ aliquid, quibus solum consternitur. Ed.

68. In mari Britannico similia cernuntur. — *Nota* recte Barthius legit, pro *tota*, quod in antiquis est. Porro legendum puto *qualis pictura*, et versus quinque, usque ad 73, parenthesi includendos. *Pictura* h. l. est variatio nativorum colorum in alga, coraliis, baccis. Ob aliam rationem *picti* et *virides* Britanni dicuntur a poetis: *Stigmata Britannorum*. Tertull. fol. 320, p. 82. *Nec uno nomine pictos*, Claudian. B. Rhenan. Vid. Pomponius Mela, III, 6, 56; Ovid. Am. II, 16, 39.

71. Scribunt cum Tollio *Delicias hominum locupletum*. — Margaritas in Britannia nasci, testatur Plin. IX, c. 35. Ammianus quoque meminit in extr. lib. XXIII, et Sueton. in Julio Cæsare; Origen. Commentar. in Matthæum, p. 210. Ed.

75. *Errore fatigant*. Multitudo piscium catervatim et promiscue errantium fatigat oculos, qui dum aliquos volunt assequi, plures prætereunt.

Sortis, et æquorei cessit tutela tridentis.
Tu mihi, flumineis habitatrix Nais in oris,
Squamigeri gregis ede choros, liquidoque sub alveo
Dissere cæruleo fluitantes amne catervas.
Squameus herbosas Capito inter lucet arenas,
Viscere prætenero fartim congestus aristis,
Nec duraturus post bina trihoria mensis;
Purpureisque Salar stellatus tergora guttis,
Et nullo spinæ nociturus acumine Redo,
Effugiensque oculos celeri levis Umbra natatu.
Tuque per obliqui fauces vexate Saravi,
Qua bis terna fremunt scopulosis ostia pilis,
Quum defluxisti famæ majoris in amnem,
Liberior laxos exerces, Barbe, natatus.

81. *Cui cura secundæ Sortis*, expressum e Lucan. IV, 110; *sic sorte secunda Æquorei rector facias, Neptune, tridentis.*

85. Jam piscium species enarrare incipit, quas Mosellæ ambitiose magis quam vere tribuit, judice Symmacho, Epist. I, 14: *Unde illa amnicorum piscium examina reperisti,.... quæ tu pigmentis istius carminis supra naturæ dona fucasti?* Ed.— *Capito* a grandi capite nomen sortitus, mugilis genus, *viscere*, i. e. carne prætenera, quæ multis *aristis* h. e. spinis densatur; unde facile putiscit, nec ultra sex horas durat in mensas. — *Bina trihoria* etiam usurpat epist. IV.

88. *Salar* referendus est ad genus Truttarum, et eum Ausonius pæne Salmonem facit. *Salaris* autem mentionem facit Sidonius, Epist. II, l. 11, ita ut aperte videatur describere Truttas, quas propter rubras carnes nos vulgo *Salmonatas* vocamus. Ed.

89. *Redo* ignotus plerisque, sed idem de Gobio dicit Ovid. Halieut. 130: *Lubricus, et spina nocuus non Gobius ulla.* — Contendit tamen Robert. Cenalis Redonem eumdem esse quem *Locham* appellamus, parvum pisciculum, rivulos amantem, spinis pæne nullis, et quæ sine noxa cum toto corpore edi possit. Ed.

90. *Umbra* Græcis σκίαινα, σκιαδὶς, ἀπὸ τῆς σκιᾶς, i. e. ab *umbra* quam colore refert, vel sic forte dicta a pernici fuga. In Hal. v. 112 dicuntur *corporis Umbræ liventis.*

91. *Vexate*, i. e. huc illuc rapte vi et rapiditate aquæ. — Vide de hoc verbo Gellium, l. II, cap. 6. Ed. — *Saravus*, alias *Sarra*, fluvius ubi in Mosellam exiturus est, occurrunt in medio alveo pilæ et scopuli, qui unum in sex dividunt; ibique fremitus ingens aquæ in illos impingentis. Vin.

93. *Famæ majoris*, e Lucano lib. I, 400. Freh.

94. *Barbe;* vid. ad Rondel. cap.

Tu melior pejore ævo; tibi contigit omni
Spirantum ex numero non illaudata senectus.
Nec te puniceo rutilantem viscere, Salmo,
Transierim, latæ cujus vaga verbera caudæ
Gurgite de medio summas referuntur in undas,
Occultus placido quum proditur æquore pulsus.
Tu loricato squamosus pectore, frontem
Lubricus, et dubiæ facturus fercula cœnæ,
Tempora longarum fers incorrupte morarum,
Præsignis maculis capitis; cui prodiga nutat
Alvus, opimatoque fluens abdomine venter:
Quæque per Illyricum, per stagna binominis Istri,
Spumarum indiciis caperis Mustella natantum,
In nostrum subvecta fretum, ne lata Mosellæ
Flumina tam celebri defraudarentur alumno.
Quis te naturæ pinxit color? atra superne
Puncta notant tergum, quæ lutea circuit Iris:
Lubrica cæruleus perducit tergora fucus.

XIX, de fluviatilibus piscibus. Ed.

95. *Pejore ævo*, in senio: grandiores natu præfert.

102. *Dubiæ cœnæ* ex Horatio affectavit, Serm. II, II, 77: lautam et delicatam intelligit.

103. *Incorrupte* pro incorruptus: familiare Ausonio est, vocativum pro recto casu ponere. Flor.

106. *Danubius* primum, deinde *Ister* appellatur. Ed.

107. *Mustellam* Scaliger putat Ausonio esse, quæ hodie Lampetra dicitur, quam cum Exormistone Cassiodori male confundere ipsum contendit Salmasius. Flor.

108. *In nostrum fretum*, Mosellam. Lampetræ veris initio e mari in fluvios exeunt, ut ibi pariant ova; posteaque se in mare recipiunt. De Mustella conf. Hippol. Salvian. Tifernas, Hist. 3. Vin.

110. Has λαμπυρίδας Græci videntur vocasse, διὰ τὸ τῆς χρόας λαμπυρίζον. Inde factum vocabulum Lamprida, et corruptius Lampreta et Lampetra. Ed.

111. *Quæ lutea circuit Iris*. Sic lege et interpunge cum Tollio. *Quæ* refertur ad puncta illa atra. Lutea illa Iris, puncta ambiens, ductus est croceus, flexuosus, lampetram noscentibus sat notus. Flor. Sic *Iricolorem plumam* dixit Ausonius epist. 3.

112. *Perducit tergora*. Totum tergum inficit et colorat. Duxit e Virgilio, Georg. IV, 416: *quo totum nati corpus perduxit*. Et infra v. 136: *Actæo perductum tergora olivo*.

Corporis ad medium fartim pinguescis; at illinc
Usque sub extremam squalet cutis arida caudam.
Nec te delicias mensarum Perca, silebo,
Amnigenos inter pisces dignande marinis,
Solus puniceis facilis contendere mullis;
Nam neque gustus iners, solidoque in corpore partes
Segmentis coeunt, sed dissociantur aristis.
Hic etiam Latio risus prænomine, cultor
Stagnorum, querulis vis infestissima ranis,
Lucius, obscuras ulva cœnoque lacunas
Obsidet: hic nullos mensarum lectus ad usus,
Fervet fumosis olido nidore popinis.
Quis non et virides volgi solatia Tincas
Norit, et Alburnos prædam puerilibus hamis,
Stridentesque focis, opsonia plebis, Alausas?
Teque inter species geminas, neutrumque et utrumque,

115. *Percam* amni et mari communem facit Plin. XXXII, 11; atque hic *dignandum marinis* Ausonius dicit, i. e. dignum, qui inter marinos referatur, qui alias fluviatilibus præferri solent. — Sup. v. 350. Noster *Mosellam* dicit *dignandam mari*. Ed.

116. *Amnigenos:* legitur et *Amnigenas*. Ed.

117. *Punicei mulli*, scil. *tenui suffusi sanguine*, ut describit Halieut. v. 124. Sed et rubentibus squamis sunt. Inde Plinius, IX, 17, refert nomen mullis datum a colore mulleorum calceamentorum. Ego contra putem.

120. *Latio risus prænomine*, nempe Lucii, quod vere Latium, vel Romanum prænomen est. *Risus* inde, quod nobilium Romanorum prænomen inditum esset pisci tam vili et voraci.

121. *Cultor stagnorum*. Regnat enim Lucius in stagnis et vivariis, depascens quidquid est minutiorum, quum sit meræ ingluviei, ita ut Alberto M. auctore, lib. XXIV, de animal. ne sui quidem generis piscibus parcat. Et adeo continuatum habet gutturi ventriculum, ut aliquando eum, præ nimia aviditate piscem glutiendi, ejiciat. Salvian. cap. 21; Rondel. de fluviatil. piscib. c. 14; Cassiodor. 392. Ed.

124. *Fervet*, coquitur in *popinis* pro opsonio vilis plebeculæ: mox *stridentesque focis*.

125. *Tincas* Germani *Schleyen* vocant, *Alburnos Weissfisch*, *Alausas Elssen*. — Gallice, *Tanches*, *Ables*, *Aloses*. Ed. — *Volgi solatia*, et *opsonia plebis* dixit, ut *fabrorum prandia, betas* Martialis, XIII, 13. Freh. — Romæ tamen nobilem haberi Alausam scribit Salvian. Ed.

Qui necdum Salmo, necjam Salar, ambiguusque
Amborum medio, Fario intercepte sub ævo?
Tu quoque flumineas iner memorande cohortes,
Gobio, non major gemiiis sine pollice palmis,
Præpinguis, teres, ovipara congestior alvo;
Propexique jubas imitatus Gobio Barbi.
Nunc pecus æquoreum clebrabere, magne Silure;
Quem velut Actæo perdutum tergora olivo
Amnicolam Delphina reo: sic per freta magnum
Laberis, et longi vix coporis agmina solvis,
Aut brevibus defensa vads, aut fluminis ulvis.

130. *Fario*, *Forhe* item *Forel* Germanis. *Truttam* Franci vocant vocabulo olim communiori huic ob æstimium tributo. Isidorus *Varios* dictos putavit a varietate et maculis, quos vulgo *tructas* vocant, inquit Papias. Glossis antiquis τρώκτης, *trutta*. Freh. — Encheria poetria, p. 188: « Limacem pariter nunc sibi tructa petat ». Plinius de re medica, lib. V, c. 43, *tructam* vocat. Vid. Savaro, pag. 115; D. Ambrosius in Hexaemero, lib. V, c. 3. De *Truttis* Rondel. cap. 15, de piscib. terrestribus. Ed. — Mirum, quod hic Ausonius innuit, eumdem esse piscem, sed in diversis ætatibus, *Salarem*, *Farionem* et *Salmonem*. Flor.

132. *Gobio*, κώβιος Græcis dicitur, *Gobio* apud Plinium, Juvenalem et Priscianum, et *Gobius* in Martialis Xeniis et Ovidii Halieut. sed huic etiam *Govius* pro *Gobius*. Vin. — *Geminis sine pollice palmis*, id est, octo digitis.

133. *Ovipara congestior alvo*, densior et plenior alvo est, ob magnam vim ovorum: sic supra v. 86, *fartim congestus aristis*.

135. *Pecus æquoreum*, belluis marinis magnitudine prope par. — Ita idem epistola XXV: *Et pecus æquoreum tenui vice vocis anhelat*. Ed. — *Siluro* assentior *Sturionem* fluviatilium piscium maximum notari: quod genus in Rheno non insolens, aliquando etiam illabentes ei fluvios Mosellam, Mœnum, Nicrum penetrat. Freh. Quem tamen Plinius, IX, 15, describit Silurum, ab hoc Ausonii diversum esse putat Scaliger.

136. *Actæo*, i. e. Attico perunctum olivo. An vult poeta Silurum, quasi Delphinum Hipponensem, de quo Plinius, epist. IX, 33, honoris caussa oleo perunctum, quod mari dignus, fluvio se commisisset?

137. *Sic per freta magnum Laberis*: sic per amnem instar magnæ belluæ laberis, et longi corporis tui molem vix explicare satis et movere potes, ubi aut vada non profunda, aut ulvæ fluminis arcent. Floridus aliter interpretatus non recte hunc locum cepit.—*Agmina solvere* a Virg. sumpsit Georg. III, 423, qui de volumine serpentis dixit.

138. *Solvis*. Profert Adrian. Burmanu.: *volvis*, et versu seq. *detenta*

At quum tranquillos moliris in amne meatus,
Te virides ripæ, te cærula turba natantum,
Te liquidæ mirantur aquæ; diffunditur alveo
Æstus, et extremi procurrunt margine fluctus.
Talis Atlantiaco quondam balæna profundo,
Quum vento motuve suo telluris ad oras
Pellitur, exclusum fundit mare, magnaque surgunt
Æquora, vicinique timent decrescere montes.
Hic tamen, hic nostræ mitis Balæna Mosellæ
Exitio procul est, magnoque honor additus amni.
Jam liquidas spectasse vias, et lubrica pisces
Agmina, multiplicesque satis numerasse catervas.
Inducant aliam spectacula vitea pompam;
Sollicitentque vagos baccheia munera visus;
Qua sublimis apex longo super ardua tractu
Et rupes, et aprica jugi, flexusque, sinusque,
Vitibus assurgunt, naturalique theatro.
Gauranum sic alma jugum vindemia vestit,

pro *defensa*, ex Observ. Miscell. Ed.

145. *Telluris ad oras.* Ovid. Met. Petron. de serpentibus illis, p. 38. Vid. et Virgil. huc et Scaliger in Poet. Ed.

146. *Exclusum fundit mare*, diffundit corpore suo dispellens et excitans. Sic supra v. 38, *exclusum si dividat insula flumen.* — *Magnaque surgunt æquora*, e Virgil. Æn. lib. III, v. 196. *Continuo venti volvunt mare, magnaque surgunt Æquora.* Ed.

147. *Timent decrescere*, i. e. subsidere et minores videri præ altitudine surgentis æquoris: ὑπερβολικῶς.

152. Productis et enumeratis hactenus piscium catervis, nunc aliud spectaculum præbeant vineta, pompa quadam et serie per ripam Mosellæ videnda.

155. *Et rupes.* Malim *it rupes*, ut deinceps addit *assurgunt.* It super, vel superius in ripa Mosellæ, ardua rupes longo tractu.

156. *Naturalique theatro.* Sic portum molibus inclusum Amphitheatrum æquoreum vocat Rutilius, Itin. I, 239, et contra Amphitheatrum cum montibus campum circumjacentibus comparat Calpurnius, Ecl. VII, 30. Similiter vineta Mosellana laudat Venantius Fortun. in navigio, lib. X, carm. 12.

157. *Gauranum jugum*, Gauri montis in Campania. — *Gauranum* vinum celebrat Athenæus, lib. I. Et Plinius Gauranos montes inter vitiferos enumerat, lib. III. Ed. — *Rhodope*, *Pangæa*, *Ismarus*, montes Thraciæ.

Et Rhodopen, proprioque nitent Pangæa Lyæo :
Sic viret Ismarius super æquora Thracia collis;
Sic mea flaventem pingunt vineta Garumnam.
Summis quippe jugis tendentis in ultima clivi,
Conseritur viridi fluvialis margo Lyæo.
Læta operum plebes, festinantesque coloni
Vertice nunc summo properant, nunc dejuge dorso,
Certantes stolidis clamoribus; inde viator
Riparum subjecta terens, hinc navita labens,
Probra canunt seris cultoribus : adstrepit ollis
Et rupes, et silva tremens, et concavus amnis.
   Nec solos hominum delectat scena locorum.
Hic ego et agrestes Satyros, et glauca tuentes
Naidas, extremis credam concurrere ripis,
Capripedes agitat quum læta protervia Panas,
Insultantque vadis, trepidasque sub amne sorores
Terrent, indocili pulsantes verbere fluctum.
Sæpe etiam mediis furata e collibus uvas

160. *Mea vineta Garumnam*, h. e. patriæ meæ vineta, quamquam et proprias vineas agrosque Ausonium in Santonibus, Garumnæ accolis, habuisse colligitur ex epist. VIII, 3, et Idyll. XXI et XXV.

163. *Læta operum plebes*. Sic apud Virgil. Æn. *læta laborum Dido*. *Lætus opum* Statius et alii. *Plebes* autem pro *plebs*. Ed.

164. *Dejuge*, pro dejugi, i. e. declivi. Hoc autem nomen alibi non legi affirmat Vinetus.

166. *Riparum subjecta terens*. Iter faciens per ripas istis jugis et clivis subjectas. — *Labens*, secundo amne defluens. Ed.

167. *Probra canunt*. Nautæ et viatores prætereuntes convicia dicunt seris et tardis cultoribus. Qui apud priscos illos homines putationem serius distulerant, et post æquinoctium putantes inveniebantur, iis sua inertia exprobrabatur per imitationem cantus alitis temporarii, quem *cuculum* vocant. Vin. Conf. Plin. XVIII, cap. 26. Totum autem hoc Ausonius ex Horatio expressit, Serm. I, VII, 29.

169. *Homines* conjicit Adr. Burm. in nota manuscripta. Ed. — *Scena locorum*, ut supra theatrum vocavit. Virgil. Æn. I, 164 : *Silvis scena coruscis Desuper, horrentique atrum nemus imminet umbra*.

174. *Indocili verbere*, quippe non natura edocti natare, sed pro tempore imitari simul et terrere volentes Nymphas. Sic infra, v. 183, *rudes natandi* dicuntur Satyri.

175. *Sæpe etiam*. Hæc, observante Tollio, ex istis Pap. Statii Silv. II,

Inter Oreiadas Panope fluvialis amicas,
Fugit lascivos, paganica numina, Faunos.
Dicitur et medio quum sol stetit igneus orbe,
Ad commune fretum, Satyros vitreasque sorores
Consortes celebrare choros; quum præbuit horas
Secretas hominum cœtu flagrantior æstus.
Tunc insultantes sua per freta ludere Nymphas,
Et Satyros mersare vadis, rudibusque natandi
Per medias exire manus; dum lubrica falsi
Membra petunt, liquidosque fovent pro corpore fluctus.
Sed non hæc spectata ulli, nec cognita visu,
Fas mihi sit pro parte loqui; secreta tegatur,
Et commissa suis lateat reverentia rivis.
Illa fruenda palam species, quum glaucus opaco
Respondet colli fluvius: frondere videntur
Fluminei latices, et palmite consitus amnis.

2, 100, adumbravit: « Sæpe per autumnum, jam pubescente Lyæo, Conscendit scopulos..... Nereis, et dulces rapuit de collibus uvas ».

176. *Panope* nympha marina est. Virgil. Georg. I, 437; Albinov. I, 435, et Valer. Flacc. lib. I, 134; fluvialem Nympham facit Ausonius.

179. *Ad commune fretum*. Sic Gronovius: priores *Ut commune*. Fretum pro aqua vel amne posuit, ut supra v. 137.

181. *Flagrantior æstus*. Poetarum veterum commentum est, æstu meridiano silvestres agrestesque Deos secretum et umbram capere, et deliciis indulgere, ubi si forte conspiciantur ab hominibus, id iis perniciosum esse. Vid. Theocritum, Idyll. I, 16; Ovid. Fast. IV, 761; Luc. III, 422.

185. *Lubrica falsi Membra petunt*. Semper, ubi Nymphas apprehendere cupiunt, falluntur, lubricis earum corporibus, ante quam teneri possint, effluentibus.

186. Dat Adrian. Burm. *cognita ab usu* ex Observ. Miscell. quod non displicet, ut vitetur περισσολογία. Ed.

188. *Lateat reverentia*, arcanum, quod suis undis commissum et tectum, reverenter credendum potius, quam, quasi visum et cognitum, eloquendum est. Bene huc trahit Freherus locum Taciti in Germanis. « Sanctius ac reverentius visum de actis Deorum credere, quam scire ».

190. *Respondet colli fluvius*: significat imaginem adjacentis collis et silvæ in aqua relucentem, qua fluvius colli respondet, tanquam *Echo* vocis, et *Iris* repercussi solis imago. Sic iterum Statius, Silv. I, 3, 17: « Nemora alta citatis Incubuere vadis: fallax responsat imago Frondi-

Quis color ille vadis, seras quum protulit umbras
Hesperus, et viridi perfundit monte Mosellam?
Tota natant crispis juga motibus, et tremit absens
Pampinus, et vitreis vindemia turget in undis:
Adnumerat virides derisus navita vites,
Navita caudiceo fluitans super æquora lembo,
Per medium, qua sese amni confundit imago
Collis, et umbrarum confinia conserit amnis.
Hæc quoque quam dulces celebrant spectacula pompas,
Remipedes medio certant quum flumine lembi,
Et varios ineunt flexus, viridesque per oras
Stringunt attonsis pubentia germina pratis?
Puppibus, et proris alacres gestire magistros,
Impubemque manum super amnica terga vagantem
Dum spectat, transire diem, sua seria, ludo
Posthabet; excludit veteres nova gratia curas.
Tales Cumano despectat in æquore ludos

bus, et longas eadem fugit umbra per undas ».

193. *Viridi perfundit monte;* malim *perfudit:* præcessit enim *protulit*, atque hoc melius est τῷ *propulit*, quod in suo libro Pulmannus invenerat: *protollere* enim, seu proferre, est extendere et ampliare. Toll.

194. *Crispis motibus*, crispantibus, errantibus.

196. *Derisus navita*, deceptus visu, qui veras se videre et numerare vites putat, et fallitur. Sic *mendacem formam* in unda visam vocat Ovid. Metam. III, 439; *fallaces figuras* Noster infra v. 229.

197. *Caudiceo*, ex caudice librove arboris facto navigiolo. Vin.

201. *Remipedes lembi*, navigia, quibus remi sunt pro pedibus, et iis ambulant. Idem verbum in epistola Ausonii tertia, v. 13. Vin.

206. *Dum spectat transire diem.* Ut locum hunc, quem corruptum putant, emendent, Scaliger *dein* pro *diem*, Gronovius *Qui spectat* legendum censent, sed sine auctoritate librorum. Præstat igitur cum Florido interpunctione ea juvare, quam expressimus, ut sensus sit: Dum spectat (viator aliquis), huic ludo posthabet, vel præ ludo isto non curat seria sua, et quod interim transeat dies. Obscuriorem fecit affectata imitatio Virg. Ecl. VII, 16: *Posthabui tamen illorum mea seria ludo.* Cannegieterus in Observ. Misc. l. c. *transire diem* interpretatur *inutiliter et per voluptatem consumere;* quod non placet.

208. Splendida et illustri comparatione, ludos lemborum in Mosella similes esse ait ludicris præliis, quæ fingit jussu Veneris ab Amoribus

Liber, sulphurei quum per juga consita Gauri,
Perque vaporiferi graditur vineta Vesevi;
Quum Venus, Actiacis Augusti læta triumphis,
Ludere lascivos fera prælia jussit Amores,
Qualia Niliacæ classes, Latiæque triremes
Subter Apollineæ gesserunt Leucados arces;
Aut Pompeiani Mylasena pericula belli
Euboicæ referunt per Averna sonantia cymbæ,
Innocuos ratium pulsus, pugnasque jocantes
Naumachiæ, Siculo quales spectante Peloro
Cæruleus viridi reparat sub imagine pontus.
Non aliam speciem petulantibus addit ephebis

committi in sinu Cumano, ad memoriam victi ab Augusto ad Actium Antonii; aut prælii navalis cum Sext. Pompeii classe ad Siciliam commissi. Vid. Excurs. primus.

209. *Sulphurei*, quale fere est litus illud, ubi Vesuvius.

213. *Niliacæ classes.* Malim *Niliacæ classis Latiæque triremes.* GRON.

214. *Leucados*, ubi Apollo colebatur. ED.

215. *Aut*, repetendum *quum* ex versu 211.—*Pericula*, i. e. discrimina belli, vel prælium magno cum periculo commissum.—*Referunt*, i. e. repetunt, vel imitantur.—*Mylasena* autem, quia Sext. Pompeius apud Mylas Siciliæ superatus est: quamquam a Mylis *Mylæa* potius dicendum fuisse putat Gronovius, atque etiam Mylas fluvius in Sicilia est, unde *Mylasena* formare Ausonius potuit: sed Dorvillius in Siculis, cap. 2, p. 16, suspicatur Ausonium Mylas Siciliæ et Mylasa Cariæ confudisse. Respicit simul Auson. exercitationes copiarum, quibus Augustus in portu Julio pugnæ Pompeianæ prælusit, quasque Suetonius memorat, in Aug. c. 16: « Donec navibus ex integro fabricatis, ac XX servorum millibus manumissis et ad remum datis, portum Julium apud Baias, immisso in Lucrinum et Avernum lacum mari, effecit. In quo quum hieme tota copias exercuisset, Pompeium inter Mylas et Naulochum superavit ».

216. *Euboicæ*, Cumanæ vel Campanæ. Virgil. Æn. VI, v. 2. — *Averna sonantia* propter immissum mare et molibus inclusum: unde Virgil. Georg. II, 161, de portu Julio: *Atque indignatum magnis stridoribus æquor.* Quo etiam spectat Sil. Ital. IV, 300.

217. *Pugnasque jocantes Naumachiæ*, pugnas Naumachiæ jocosæ. Savaro, p. 130. Claudian. in consul. Manlii: *Lascivi subito confligunt æquore lembi, Stagnaque remigibus spumant inversa canoris.* ED.

218. *Pelorus*, promontorium Siciliæ, ad cujus sinum Pompeius victus est; nempe ad Messanam urbem, quæ Græcis Μεσσήνη dicitur ut alia civitas in Pelopon. et Siculis, servato literæ η sono, *Messina.*

Pubertasque, amnisque, et picti rostra phaselli.
Hos Hyperionio quum sol perfuderit æstu,
Reddit nautales vitreo sub gurgite formas,
Et redigit pandas inversi corporis umbras.
Utque agiles motus dextra lævaque frequentant,
Et commutatis alternant pondera remis,
Unda refert alios simulacra humentia nautas.
Ipsa suo gaudet simulamine nautica pubes,
Fallaces fluvio mirata redire figuras.
Sic ubi compositos ostentatura capillos,
Candentem late speculi explorantis honorem,
Quum primum caræ nutrix admovit alumnæ,
Læta ignorato fruitur virguncula ludo,
Germanæque putat formam spectare puellæ;
Oscula fulgenti dat non referenda metallo,

222. *Hyperionio* indicare videtur meridianum æstum solis supra caput nostrum elati, quoniam Hyperion dictus est sol ὑπὲρ ἡμᾶς ἰὼν, supra nos gradiens, aiunt Eustathius et Suidas. Avieno in Arat. Phæn. v. 397, *Hyperionius sol* est æstivus in signo Leonis, quum maxime flagrat.

223. *Nautales* novum vocabulum est, singularem hoc loco vim habens, quod frustra mutare volunt quidam interpretes. — Nam nec *nautarum*, nec *nauticas*, nec *navales* vim hujus vocis possit exprimere. Ed.

224. *Redigit*, quasi retro agit et coarctat: addit *pandas*, quoniam quæ inversa in undis corporum simulacra apparent, sole altiore, minora quidem in longitudinem, sed tamen et latiora videntur. — Simili modo Hilasius de ortu solis: *Nox abit astrifero velamine cincta micanti Et redigit stellas, exoriturque dies.* Ed.

226. *Alternant pondera remis.* Alternatim nunc his nunc aliis remis incumbunt.

227. *Simulacra humentia*, quæ in humido referuntur.

228. *Simulamine.* Simulacro, imagine. Ovidius hoc verbo usus est: *Annua plangoris peraget simulamina nostri.* Ed.

231. *Honorem*, i. e. nitorem, qui honorem vel ornatum capitis refert.

233. *Læta ignorato fruitur.* Gaudet et delectatur illa specie in speculo oblata, ignorans merum ludum vel illusionem esse.

234. Vid. Ovid. Am. XIV, 45, et Art. Am. III, 163. Ed.

235. *Oscula.* Ovid. Met. III, 427 de Narcisso: *Irrita fallaci quoties dedit oscula fonti!* — *Metallo*, nam specula Veterum non ex vitro, ut nostra, sed stanno, ære, argento expolito erant facta, ut docet Plin. XXXIII, 9.

Aut fixas prætentat acus, aut frontis ad oram
Vibratis cœptat digitis extendere crines:
Talis ad umbrarum ludibria nautica pubes
Ambiguis fruitur veri falsique figuris.
Jam vero accessus faciles qua ripa ministrat,
Scrutatur toto populatrix turba profundo
Heu! male defensos penetrali flumine pisces.
Hic medio procul amne trahens humentia lina,
Nodosis decepta plagis examina verrit;
Ast hic tranquillo qua labitur agmine flumen,
Ducit corticeis fluitantia retia signis.
Ille autem scopulis subjectas pronus in undas
Inclinat lentæ convexa cacumina virgæ,
Indutos escis jaciens letalibus hamos.
Quos ignara doli postquam vaga turba natantum

236. *Prætentat. Prætendit* quidam libri habent: et quod sequitur, *Vibratis cœptat digitis*, in aliis est *vibratos captat digitis*. Vin.

240. Innuit posse legi *vere* Mariang. Accursius, utpote aptum tempus vernum his qui piscandi studio tenentur; et locum ex Plin. lib. IX, affert. Ed.

241. *Populatrix turba*, piscatorum. Sic de aucupe Silius, VII, 674, *qui viscata populatur arundine lucos.* — *Penetrali flumine*, pro penetrabili positum, intelligo de eo, quod facile penetrari, perspici, perquiri potest, ob claritatem aquæ.

243. *Humentia lina.* Virg. Georg. I, 143, *pelagoque alius trahit humida lina.* Ed.

244. *Examina verrit.* Unum genus piscationis describit, quando amplis retibus per medium flumen contra aquas ductis, magna examina piscium, quos flumen secundum invehit, colliguntur et quasi converruntur. — *Everriculum* seu *sagena* dicitur hoc genus; et infra, v. 281, *æquoream solitus converrere Tethyn.* De σαγήνῃ vid. Oppian. Hal. III, v. 82.

245. Ita Virg. *leni fluit... Tibris.*

246. *Corticeis fluitantia retia signis.* Aliud genus capturæ est, quando rete suberis cortici annexum, quo aquis innatante id sustineatur et signetur, per tranquilliorem et ripæ propiorem fluvii partem ducitur, atque ita diu fluitans et expansum pisces advenientes sensim sensimque colligit.

247. *Ille autem.* Jam describit capturam per arundinem et hamos. In scopulis plerumque piscatum exercitum, docet Meursius ad Lycoph. Cass. p. 109, et viri docti ad Petron. cap. 3 extr. Hinc Plautus Rudent. II, 1, 10, *piscatum saxatilem* dixit.

Rictibus invasit, patulæque per intima fauces
Sera occultati senserunt vulnera ferri,
Dum trepidant, subit indicium; crispoque tremori
Vibrantis setæ nutans consentit arundo.
Nec mora, et excussam stridenti verbere prædam
Dextera in obliquum raptat puer: excipit ictum
Spiritus, ut fractis quondam per inane flagellis
Aura crepat, motoque adsibilat aere ventus.
Exsultant udæ super arida saxa rapinæ,
Luciferique pavent letalia tela diei.
Quique sub amne suo mansit vigor, aere nostro
Segnis anhelatis vitam consumit in auris.
Jam piger invalido vibratur corpore plausus;
Torpida supremos patitur jam cauda tremores,
Nec coeunt rictus; haustas sed hiatibus auras
Reddit mortiferos exspirans branchia flatus.
Sic ubi fabriles exercet spiritus ignes,
Accipit alterno cohibetque foramine ventos
Lanea fagineis alludens parma cavernis.

254. *Consentit arundo.* A tremore vibrantis setæ nutat etiam arundo, eoque indicium facit capti piscis: Seneca, Herc. fur. v. 157, *Sentit tremulum linea piscem.* Ed. — *Crispo tremori,* ut supra, v. 194, *crispis motibus.* — *Setis* equinis olim utebantur ad suspendendos hamos: meminit Oppian. Hal. III, 75, et Ovid. Hal. 35.

256. *In obliquum raptat puer:* repente piscator manu in obliquum raptans prædam ex arundine pendentem, diverberato aere, excutit in litus.

259. *Udæ rapinæ,* humentes prædæ, pisces. Vin.

260. *Letalia tela diei,* radios lucis sibi mortiferæ.

261. *Cuique* dat Adrian. Burm. ex Observ. nota manuscripta ad marginem. Ed.

263. *Plausus* de motu, qui sonum excitat, præsertim in humidis. Statius, Silv. I, *vitreasque natatu Plaudit aquas;* et vid. v. 344.

264. *Supremos patitur tremores,* extrema palpitatione tentatur.

266. *Branchia flatus.* Branchiæ sunt partes in piscibus secundum cervicem follium more hiantes, quibus anhelitum, item aquas ore receptas, putantur reddere. Vid. Plin. IX, 18.

269. *Parma cavernis.* Branchiam extremos flatus reddentem comparat cum foramine in altera parte follis, cui tabella incumbit, quæ

Vidi egomet quosdam leti sub fine trementes
Collegisse animas; mox in sublime citatos
Cernua subjectum præceps dare corpora in amnem,
Desperatarum potientes rursus aquarum;
Quos impos damni puer inconsultus ab alto
Impetit, et stolido captat prensare natatu.
Sic Anthedonius Bœotia per freta Glaucus,
Gramina gustatu postquam exitialia Circes
Expertus, carptas moribundis piscibus herbas
Sumpsit, Carpathium subiit novus accola pontum.
Ille hamis et rete potens, scrutator operti
Nereos, æquoream solitus converrere Tethyn,

hic *parma* vocatur, et ventum intro mittens cedit, intromissum recedens occludit, ut per os follis erumpat. — *Fagineæ cavernæ* dicuntur follis, quod ejus tabula utraque lignea fere ex fago fiat. — *Lanea parma* vocatur, quod epistomio ligneo plerumque lanea aut villosior pellis adsuitur, ut mollius ad foramen accidat, idque pressius obturet.

272. *Cernua*, cernuus est inclinatus, quasi quod terram cernat, teste Nonio. — *Præceps* adverbialiter sumptum. Flor.

274. *Impos damni*, damnum impatienter ferens.

276. *Anthedonius Glaucus*, a patria Anthedone, urbe Bœotiæ. Fabulam de Glauco piscatore in balænam, aut etiam in Deum marinum verso, quod veneficio spretæ Circes petitus, et ejus vim letalem effugere cupiens, herbas quasdam comedisset, quarum contactu ante observaverat pisces quosdam a se captos vita recepta in mare resiliisse; eam fabulam Ovid. lib. XIII Metam. extremo; Strabo, lib. IX; Pausan. in Bœot. et Athenæus, lib. VII Deipnosophist. et Erasmus in Proverbiis narrant, et ipsi supra attigimus ad fragm. Halieut. Quadrim. —Vult tamen Fulgentius ita dici ab Anthedone patre, Mythologicōn lib. I, 5. Ed. — Et Statius, Silv. III: *et subitis qui perdidit inguina monstris Glaucus adhuc, quotiens patriis adlabitur oris, Litoream blanda feriens Anthedona cauda.* Ed.

278. *Carptas moribundis.* Accursius addubitat, an legendum sit *tactas*, idque non levi ratione: nam ipse Glaucus apud Ovidium: *Gramine contacto cœpit mea præda moveri.* — Et ratio addi potest quod herbarum gustus non tam morientibus, sed ne vivis quidem piscibus esse possit. Ed. — Idem habet: *alti novus incola ponti*, pro quo Ausonius *accola*.

280. *Rete*, ablat. de quo Prisc. VII.

281. *Converrere.* Inde *Everriculum*, et Jurisc. *Aversio: per aversionem emere.* Apuleius in Apologia: *ut faber mihi piscem everreret.* Corn. Sev. in Ætna: *Scrutamur rimas everrimus omne profundum.* Ed.

Inter captivas fluitavit prædo catervas.
Talia despectant longo per cærula tractu
Pendentes saxis instanti culmine villæ.
Quas medius dirimit sinuosis flexibus errans
Amnis, et alternas comunt prætoria ripas.
Quis modo Sestiacum pelagus, Nepheleidos Helles
Æquor; Abydeni freta quis miretur ephebi?
Quis Chalcedonio constratum ab litore pontum,
Regis opus magni, mediis Euripus ubi undis
Europæque Asiæque vetat concurrere terras?
Non hic dira freti rabies, non sæva furentum
Prælia Caurorum; licet hic commercia linguæ
Jungere, et alterno sermonem texere pulsu.
Blanda salutiferas permiscent litora voces,
Et voces et pæne manus; resonantia utrinque
Verba refert, mediis concurrit fluctibus Echo.

282. *Prædo,* i. e. populator quondam piscium ipse nunc fluitavit ut piscis.

286. *Prætoria*, magna et sumptuosa ædificia. VIN. Qualia et Suetonius nominat, Aug. c. 72.—*Alternas ripas comunt*, ambas exornant. Iterum imitatus est illud Statii de Aniene in Tiburtino Manl. Silv. I, 3, 24: *nec te mitissimus amnis Dividit, alternas servant prætoria ripas.*

288. *Helles æquor*, Hellespontum; quod mare Seston et Abydon interfluit, nomen habens ab Helle, quæ in illud decidit, ut docebit Hyginus. — *Nepheleis* autem dicitur a matre, cui Nephele nomen. *Abydeni ephebi*, Leandri. VIN. — Statius loco cit. *Sestiacos nunc fama sinus, pelagusque natatum Jactet, et audaci junctos delphinas ephebo.* ED.

290. *Regis opus magni*, Persarum regis, qui Magnus vocari solitus. Et Horat. A. P. v. 66 de simili molitione, *Regis opus.* Recte hic Cannegieterus l. c. intelligit regem Darium, qui Bosporum Thracium seu Chalcedonium ponte junxit; Herodot. lib. IV.

294. *Alterno sermonem texere pulsu*, ita ut sermo utriusque aures pulset, h. e. percipi audirique possit. Contra Ovid. Met. III, 462, *Verba refers aures non pervenientia nostras.*

295. *Permiscent litora voces;* qui in utroque litore versantur, possunt invicem salutem dicere. Iterum hic expressit Statium l. c. *datur hic transmittere visus, Et voces et pæne manus.* — Markl. ad huno Statii locum afferre *salutigeras* et *permittunt* notat in margine Adrian. Burmann. ED.

297. Malit Tollius *concurrens.* Cæterum hanc voluptatem in flu-

Qui potis, innumeros cultusque habitusque retexens,
Pandere tectonicas per singula prædia formas!
Non hoc spernat opus Gortynius aliger, ædis
Conditor Euboicæ, casus quem fingere in auro
Conantem Icarios, patrii pepulere dolores;
Non Philo Cecropius, non qui laudatus ab hoste
Clara Syracosii traxit certamina belli.
Forsan et insignes hominumque operumque labores
Hic habuit decimo celebrata volumine Marci
Hebdomas; hic clari viguere Menecratis artes,
Atque Ephesi spectata manus; vel in arce Minervæ
Ictinus, magico cui noctua perlita fuco

mine quæsivisse Reges luculentis versibus narrat Fortunatus. Ed.

299. *Tectonicas formas*, architectonica opera, quæ Vitruvius sæpe vocat *formas ædificiorum*. Et Ausonius ipse in ordine clararum urbium: *magnis operum velut æmula formis*. Scal.

300. *Gortynius aliger*, Dædalus Cretensis, qui volasse fingitur: Gortys enim vel Gortyn est Cretæ oppidum. Vin. — Dædalus templum Apollinis Cumani ferebatur condidisse, ut indicat Virgilius, Æn. VI, 14, seq. unde totum hoc, quod sequitur, expressit Ausonius.

303. *Philo Cecropius*, Atheniensis. Hic architectus insignis laudatur armamentario, quod Athenis fecit capax mille navium. Memorat Cicero, lib. I, de Orat. et Plin. H. N. et Vitruvius, lib. VII. Vin. — Et e Vitruvii proœmio libri VII plerosque architectos celebres hic recensitos petiit Ausonius. — *Qui laudatus ab hoste*. Is est Archimedes, de quo Liv. XXV, 31, et Plin. lib. VII, 37.

305. Vid. Virg. Georg. lib. II, 155; Æneid. lib. I, 459. Edit.

307. *Hebdomas*, nempe septem illustrium architectorum, quos libro Hebdomadum, sive de imaginibus, decimo celebraverat Marcus Terent. Varro. Nam hic in singulis libris operis, quod Hebdomades inscripserat, septem virorum illustrium imagines stylo persequutus erat; decimo autem, ut hic discimus, septem celebres architectos. Sic cum Reinesio Var. lect. lib. II, c. 1 extr. commodissime interpretor Ausonium, nec Margeo aliquo opus est, qui de septem mundi miraculis scripserit, quem fingit Scaliger, quod in quibusdam libris *Margei* legerat pro *Marci*. — *Menecratem* Scalig. intelligit Ephesinum, cujus Varro de R. R. meminit.

308. *Ephesi spectata manus*. Hæc de Menecrate Ephesino Freherus intelligit, Salmasius de Chersiphrone, quem Strabo nominat, Vitruvius et Plinius Ctesiphontem, ædis Dianæ Ephesinæ fabricatorem.

309. *Ictinum* Vitruvius l. c. memorat cellam Eleusinæ Cereris et Proserpinæ immensa magnitudine,

Allicit omne genus volucres, perimitque tuendo.
Conditor hic forsan fuerit Ptolemaidos aulæ
Dinochares; quadro cui in fastigia cono
Surgit, et ipsa suas consumit Pyramis umbras,
Jussus ob incesti qui quondam fœdus amoris
Arsinoen Pharii suspendit in aere templi:
Spirat enim tecti testudine Corus Achates
Afflatamque trahit ferrato crine puellam.
Hos ergo aut horum similes est credere dignum
Belgarum in terris scenas posuisse domorum,
Molitos celsas, fluvii decoramina, villas.
Hæc est nativi sublimis in aggere saxi;
Hæc procurrentis fundata crepidine ripæ;
Hæc refugit, captumque sinu sibi vindicat amnem:

Dorico more, sine columnis exterioribus, struxisse. Est et ejus mentio apud Plutarch. in Pericle, et apud Strabon. lib. IX. Ed. — De magica Ictini noctua nihil alibi legitur. Videtur automaton fuisse simile columbæ Architæ Tarentini. Flor. Imitari eo voluit genus aucupii per noctuam, cujus mentionem fecimus in præf. ad fragm. et carm. de aucup.

312. De *Dinochare* exponat Plinius, lib. XXXIV, cap. 14: « Eodem lapide (*magnete*) Dinochares architectus Alexandriæ Arsinoes templum concamerare inchoaverat, ut in eo simulacrum ejus e ferro pendere in aere videretur. Intercessit mors et ipsius et Ptolemæi, qui id sorori suæ jusserat fieri ». Quod inchoatum duntaxat Plinius memorat, Ausonius pro perfecto accipit.

313. *Cui in fastigia cono. Cui* legendum est, ut dissyllabum, prima longa, quomodo Paulinus et Prudentius, ejusdem ævi poetæ, usurparunt. — *Conus* h. l. est quælibet figura, quæ ex ampliore basi in acutum excedit, et *quadrus conus* est descriptio pyramidis. — *Quadrum conum* etiam dixit Prudentius Psychom. v. 870. Ed. — *Consumit pyramis umbras suas*, quando apicis umbra non projicitur extra baseos ipsius quadrum: quod quare ita fiat, et quo in genere pyramidum, harum rerum consulti definiant.— In epigr. de literarum æternitate in Pithæi epigramm. veter. p. 33: *Pyramidas medio quas fugit umbra die.* Ed.

316. Vide Excursum secundum ad Auson. Mosell. ad calcem hujus opusculi.

317. Wernsd. *Afflatam* ex Pulmannianis libris; sed ex Vineto Gronovius mavult *affictam*, et luculentis probat exemplis. Ed.

323. Vult legi *vendicat* Mariang. Accurs. Ed. — *Hæc refugit.* Hæc paullo remotius ad sinum, quem amnis facit, posita, hunc quasi

Illa tenens collem, qui plurimus imminet amni,
Usurpat faciles, per culta, per aspera, visus;
Utque suis fruitur dives speculatio terris.
Quin etiam riguis humili pede condita pratis
Compensat celsi bona naturalia montis,
Sublimique minans irrumpit in æthera tecto,
Ostentans altam, Pharos ut Memphitica, turrim.
Huic proprium est clausos consepto gurgite pisces
Apricas scopulorum inter captare novales.
Hæc summis innixa jugis labentia subter
Flumina despectu jam caligante tuetur.
Atria quid memorem viridantibus adsita pratis?
Innumerisque super nutantia tecta columnis?
Quid quæ sulphurea substructa crepidine fumant
Balnea, ferventi quum Mulciber haustus operto,

sibi vindicare videtur. — Manilius, lib. IV, 626 : *Ingentique sinu fugientes æquore terras.* Ed.

326. *Dives speculatio*, prospectus late patens; dicitur autem *dives*, quia non aliena a se putat, quibus fruitur. — Rutil. Numat. Itinerar. I, 191 : *Quaque duces oculi grata regione fruuntur.* Ed.

327. *Humili pede condita.* Non colle, rupe, aut alta crepidine substructa, sed in area humili posita. — *Planus* enim *pes* est area : *humilis pes*, locus cujus area humilis est. Ed.

330. *Altam turrim*, eamque rotundam, quales plerasque ad Rhenum et Mosellam apparere in superciliis montium, firmissimi operis, utique a Romano illo ævo, observat Freherus.

331. *Consepto gurgite.* Nota est illa piscandi ratio qua, obstructis angustiarum aditibus, inter scopulos vel vada prominentia pisces conclusi capiuntur. Toll.

336. *Nutantia.* Legitur et *nitentia*, quod præferre malim.

337. *Quid quæ sulphurea.* Sic plerique editt. Sed recte Tollius ex editione Ugoletti, quæ *fulminea* exhibuit, *fluminea* legit. Non enim hic de venis aquæ calidæ Ausonius, sed de balneis seu thermis arte factis loquitur, quas Veteres subinde solebant in crepidine aut vicinitate fluminum construere. Sic enim et Statius in Tiburtino, unde Auson. hæc excerpsit : *An quæ graminea suscepta crepidine fumant Balnea, et impositum ripis algentibus ignem?*

338. *Mulciber*, ignis, calor. Ed. — *Operto*, substantive, i. e. tecta fornace vel hypocausto. Respicit autem Laconicum vel sudationes, balnearum appendices, quæ ita erant instructæ, ut per tectoria ca-

Volvit anhelatas tectoria per cava flammas,
Inclusum glomerans æstu exspirante vaporem?
Vidi ego defessos multo sudore lavacri
Fastidisse lacus, et frigora piscinarum,
Ut vivis fruerentur aquis; mox amne refotos
Plaudenti gelidum flumen pepulisse natatu.
Quod si Cumanis huc afforet hospes ab oris,
Crederet Euboicas simulacra exilia Baias
His donasse locis: tantus cultusque nitorque
Allicit, et nullum parit oblectatio luxum.

Sed mihi qui tandem finis tua glauca fluenta
Dicere, dignandamque mari memorare Mosellam?
Innumeri quod te diversa per ostia late
Incurrunt amnes, quamquam differre meatus
Possent; sed celerant in te consumere nomen.

rum tubi cavi intra parietes et latera surgerent, per quos ex hypocausto erraret flamma, et omnia latera percalefaceret, annotante ad hunc locum Turnebo Advers. XXII, 21. De balneis vid. *du Choul*, et de Laconico Rhodius ad Scrib. Larg. p. 109. Multa et hic Ausonius expressit e Statii Balneo Etrusci.

340. *Exspirante vaporem.* Statius in Balneo Etrusci: *Ubi languidus ignis inerrat Ædibus et tenuem volvunt hypocausta vaporem. Excaldationes*, Spartiano. *Caldaria*, p. 990, a. ubi oppos. *Piscinæ*. Petron. p. 19, *Intravimus balneum, et sudore calefacti, momento temporis ad frigidam exivimus.* Ed.

342. *Frigora piscinarum.* Lavacra frigida, vel baptisteria arte facta. — Vid. Sidon. II, 2; Cassiod. in pr. p. 74, ubi de thermis; de luxu in piscinis, Macrob. III, c. 15. Ed. — Exeuntes thermis recreabant se lacubus et piscinis gelidis, solidandæ cuti, ut ibi Sidonius: *Intrate algentes post balnea torrida fluctus, Ut solidet calidam frigore lympha cutem.* Ed.

346. *Baiæ Euboicæ* propter vicinam urbem Cumas, ab Euboicis colonis conditam. — *Simulacra exilia*, i. e. crederet his locis concessum esse, ut Baias, quamvis minore simulacro et specie, referret. — Vid. Stat. in Baln. Etrusci, Sidonius de Baln. villæ suæ; Baias pro apice deliciarum habebant. *Nullus in orbe sinus Baiis prælucet amœnis.* Ed.

350. *Dignandamque mari.* Pari honore, ac mare, habendam, quandoquidem, ut mox referet, plures fluvios recipit ut mare.

351. *Innumeri*, hyperbole, toto opusculo perpetua. — *Quot* Observ. Misc. et notat Adrian. Burmannus. Ed.

353. *Consumere nomen.* Nam minores fluvii, ubi majoribus miscentur, nomen amittunt.

Namque et Pronææ Nemesæque adjuta meatu
Sura tuas properat non degener ire sub undas,
Sura interceptis tibi gratificata fluentis;
Nobilius permixta tuo sub nomine, quam si
Ignoranda patri confunderet ostia ponto:
Te rapidus Gelbis, te marmore clarus Erubrus
Festinant famulis quam primum adlambere lymphis.
Nobilibus Celbis celebratus piscibus; ille
Præcipiti torquens cerealia saxa rotatu,
Stridentesque trahens per levia marmora serras,
Audit perpetuos ripa ex utraque tumultus.
Prætereo exilem Lesuram, tenuemque Drahonum,
Nec fastiditos Salmonæ usurpo fluores.
Naviger undisona dudum me mole Saravus

354. *Pronææ Nemesæque adjuta.* *Pronæa*, teste Frehero, hodie *die Pruim*, et Nemesa *die Nymss*. Uterque amnis miscetur *Suræ* (qui hodie *Saur* dicitur), apud vicum *Eerel*, non longe a cœnobio *Echternach*. Flor.

356. *Gratificata fluentis.* Gratum tibi faciens accessu suo, postquam ipsa aliquot fluenta intercepit.

359. *Gelbis*, vel, ut Scaliger legit, *Celbis*, hodie *die Kyl*, teste Frehero, prope oppidum *Erang* Mosellæ infunditur. — *Erubrus*, hodie *die Rover* eidem Frehero et Scaligero, Mosellæ influit apud vicum cognominem. *Rubera* appellatur in diplomate Dagoberti. Flor.

362. *Cerealia saxa*, molas, quibus frumenta franguntur, Cereris inventum. — Significat Ausonius in eo fluvio esse, quas *molas aquarias* appellat Palladius, in extr. lib. I, nos vulgo *Molendina*: sed *Moletrinas* ex Nonio Budæus. Ed.

363. *Per marmora serras.* Dicit Erubrum et molas, sive machinas, torquere, quibus serræ trahantur ad secanda marmora (*Schneide-Mühlen.*); marmore abundare loca circa eum fluvium, supra, v. 359, dixit. Et in Gallia Belgica lapides secari serra, observat Plin. lib. XXXVI, c. 22. — Et Vitruv. lib. II: *Tofus .... serra dentata uti lignum secatur.* Ed.

365. *Lesuram*, hodie *die Leser.* — *Drahonum*, non *Drachonum*: integrum enim nomen retinet, *die Droan* vel *Dron*. — Is paullo secundum Nivomagum, de quo Auson. Mosell 2, Mosellæ aquas suas confundit. Ed.

366. *Salmonæ*, *die Salm*. Hunc Mosella excipit duobus milliaribus Germanicis infra vicum *Klustadt*. Scal.

367. De *Saravo*, hodie *die Sahr*, dictum ad vers. 91. — Ad hunc fluvium olim castra Sarræ, hodie *Sarrburg*, quod non confundendum cum *Saarbrück*. Ed.

Tota veste vocat, longum qui distulit amnem,
Fessa sub Augustis ut volveret ostia muris;
Nec minor hoc, tacitum qui per sola pinguia labens
Stringit frugiferas felix Alisontia ripas.
Mille alii, prout quemque suus magis impetus urget,
Esse tui cupiunt: tantus properantibus undis
Ambitus, aut moles! Quod si tibi, dia Mosella,
Smyrna suum vatem, vel Mantua clara dedisset;
Cederet Iliacis Simois memoratus in oris,
Nec præferre suos auderet Tibris honores.
Da veniam mihi, Roma potens; pulsa, oro, facessat
Invidia, et Latiæ Nemesis non cognita linguæ,
Imperii sedem, Romæque tuere parentes.
Salve, magne parens frugumque virumque Mosella:
Te clari proceres, te bello exercita pubes,
Æmula te Latiæ decorat facundia linguæ.
Quin etiam mores, et lætum fronte severa
Ingenium, natura tuis concessit alumnis.

368. *Tota veste vocat.* Hoc e Virgil. Æn. VIII, 712, nescio an bene aptavit. Nam ille de Nilo Cleopatram cum Antonio e fuga recipiente usurpat. — Vult Freherus *Torta*. Ed.

369. *Sub Augustis muris*, prope mœnia Augustæ Treverorum.

371. *Alisontia.* Freherus ait eum esse fluvium, qui hodie *Eltz* dicitur, non autem fluvium *Alb*, ut vult Scaliger, neque Lucemburgicum *Alsitz*. Hic *Eltz* ad vicum cognominem immiscetur Mosellæ. Flor.

379. *Facessat Invidia.* Præfiscine dictum vult, quod Mosellam Tiberi comparaverat, et Nemesis animadversionem deprecatur. Sic Auson. in Protreptico: *Absistat Nemesis, ferat et fortuna jocantem.* — *Latiæ non cognita linguæ*, testis Plin. lib. XXVIII, 2, 5, de Nemesi: *Ejus simulacrum in Capitolio est, quamvis Latinum nomen non sit.*

380. *Imperii sedem*, Augustam Treverorum, de qua supra v. 24, *Dignata imperio mœnia.* — *Romæ parentes* vocat Cæsares Valentinianum et Gratianum, qui Patres patriæ. Cæterum mihi hic versus suspectus, et ab interpolatione esse videtur.

381. *Salve magne parens frugumque.* Sic Virg. Georg. II, 173: *Salve, magna parens frugum, Saturnia tellus, Magna virum.*

383. *Decorat facundia linguæ.* Testantur rhetores panegyristæ, qui Treveris dixerunt. Vid. P. Pithœum in præfatione Declamationum Quintiliani et Calpurnii. Ed.

Nec sola antiquos ostentat Roma Catones;
Aut unus tantum justi spectator et æqui
Pollet Aristides, veteresque illustrat Athenas.
Verum ego quid laxis nimium spatiatus habenis
Victus amore tui præconia detero? conde
Musa chelyn, pulsis extremo carmine nervis.
Tempus erit, quum me studiis ignobilis oti
Mulcentem curas, seniique aprica foventem,
Materiæ commendet honos; quum facta viritim
Belgarum, patriosque canam, decora inclyta, mores.
Mollia subtili nebunt mihi carmina filo
Pierides, tenuique aptas subtemine telas
Percurrent; dabitur nostris quoque purpura fusis.
Quis mihi tum non dictus erit? memorabo quietos
Agricolas, legumque catos, fandique potentes,
Præsidium sublime reis; quos curia summos
Municipum vidit proceres, propriumque senatum;
Quos prætextati celebris facundia ludi

390. *Præconia detero*, verbis et laudibus curiosius quæsitis. Horat. *culpa deterere ingeni.*

392. *Ignobilis oti.* Quod remotum ab honoribus et negotiis gerendis, literis in umbra Musarum insumitur. Ex Virg. Georg. IV extr. *studiis florentem ignobilis oti.*

393. *Seniique aprica foventem.* Apricatione senes maxime utebantur ad refovendum corpus, calore deficiente. Hinc *aprici senes* Persio, V, 179.

394. *Facta viritim.* Alii, et forte rectius, *virorum.* FR. *Facta Quiritum* emendat Cannegieterus in Miscell. Observation. volum. X, tom. II, pag. 199.

396. *Mollia subtili.* Loquitur de carminibus a se componendis, allegoria a re textoria ingeniose petita.

398. *Purpura fusis.* Purpuram intelligo de ornatu et splendore orationis a rebus illustribus, ut Horatio in Art. Poet. *purpureus, late qui splendeat, pannus* dicitur.

400. *Fandique potentes,* Epigr. I, 5, de Augusto: *Bellandi, fandique potentes*, ubi intelligit Noster Gratianum. Ed.

402. *Summos municipum proceres.* Intelligo Duumviros et Ædiles, qui in municipiis et coloniis instar Consulum Rom. erant. — *Senatum*, decurionum ordinem.

403. *Prætextati ludi*, scholæ, qua pueri prætextati erudiuntur. Sic *schola et auditor mulius, prætextaque pubes*, in Professoribus, de Marcello Grammat.

Contulit ad veteris præconia Quintiliani;
Quique suas rexere urbes, purumque tribunal
Sanguine, et innocuas illustravere secures;
Aut Italum populos, aquilonigenasque Britannos
Præfecturarum titulo tenuere secundo;
Quique caput rerum Romam, populumque, patresque
Tantum non primo rexit sub nomine, quamvis
Præfuerit primis; festinat solvere tandem
Errorem fortuna suum, libataque supplens
Præmia, jam veri fastigia reddet honoris
Nobilibus repetenda nepotibus. At modo cœptum
Detexatur opus, dilata et laude virorum,
Dicamus læto per rura virentia tractu
Felicem fluvium, Rhenique sacremus in undis.

404. *Contulit ad veteris præconia Quintiliani.* Ita provexit ad famam, ut cum Quintil. comparari possint.

408. *Præfecturarum titulo secundo.* Præfecturæ prætorii. Sic apud Lamprid. in Diadum. c. 7, Opilius Macrinus vocat se *secundum imperii*, quia præfectus prætorio fuisset. Τὸ *secundo* haud recte accipit Gronovius de felici, et respondente judiciis eligentium: nam ad hoc respicit, quod sequitur, *tantum non primo.*

410. *Tantum non primo*, hoc est propemodum primo, nempe consulatus. Auctor hic se ipse describit, et circumloquitur: *quamvis præfuerit primis*, h. e. quamvis Imperatoris præceptor et quodammodo imperator fuerit; quamvis ferulam ejus sceptra olim verita sint. Gron. Observ. lib. II, cap. 17. Vid. etiam Auson. Epist. XVI, 24. — Facile crediderim hic ab Auson. Præfecturam urbis indicari, quum sit infra consulatum qui *primus* honoris gradus. Ed. — Dat Freherus *Par fuerit primis*, quod probari potest, nam *præesse* de præceptoris auctoritate dictum ægre accipio. Ed.

412. *Errorem fortuna suum*, i. e. solvere tandem et tribuere, quod per errorem hactenus intermisit, vel negavit, quando putavit, indigenis tantum et nobilibus summos in republica honores deberi.—*Libataque supplens*, h. e. quæ præmia hactenus quasi libata, i. e. inchoata, tenuia, parca dedit, ea nunc perficit et supplet: sumptum a poculis, quæ libantur ante, quam exhauriantur.

414. *Nobilibus repetenda nepotibus.* Eos honores repetent nepotes, hoc facilius, quod jam nobiles facti, eoque jus honorum adepti sunt.

415. *Detexatur opus.* Redit e diverticulo, quo cives suos et patriæ decora breviter perstrinxerat, ad pertexendam laudem Mosellæ, addendumque ejus exitum in Rhenum.

417. *Rhenique sacremus in undis.* Percensitis hactenus laudibus Mo-

Cæruleos nunc, Rhene, sinus, hyaloque virentem
Pande peplum, spatiumque novi metare fluenti,
Fraternis cumulandus aquis: nec præmia in undis
Sola, sed Augustæ veniens quod mœnibus urbis
Spectavit junctos Natique Patrisque triumphos,
Hostibus exactis Nicrum super, et Lupodunum,
Et fontem Latiis ignotum annalibus Istri;
Hæc profligati venit modo laurea belli;
Mox alias aliasque feret: vos pergite juncti,
Et mare purpureum gemino propellite tractu.
Neu vereare minor, pulcherrime Rhene, videri,
Invidiæ nil hospes habet: potiere perenni

sellæ superest, ut tandem sacrum et deum pronuntiemus, memorato ejus exitu in Rhenum, quem Germani pro Deo colunt. — Tacitus enim Hist. V: *Rhenum et Germaniæ Deos in aspectu, quorum numine capesserent pugnam.* Sigillum Rheni æneum vidit Freherus literis inscriptum: RHENVS DEVS. ED.

418. *Hyaloque virentem*, a Virgilio sumpsit, qui Georg. IV, 335, *hyali saturo fucata colore*, quod Servius exponit *vitreo*, viridi et Nymphis apto.

419. *Spatiumque novi metare fluenti.* Hoc declarat superiora: Pande sinus et peplum tuum, h. e. majorem alveum et amplius spatium præpara novo flumini recipiendo. Et facere hoc Rhenum, et prope Confluentes amplius sibi spatium sumere, annotat Freherus. — Expressit iis verbis Virg. Æn. VIII, 712: *Nilum Pandentemque sinus et tota veste vocantem Cæruleum in gremium.* ED.

420. *Nec præmia in undis.* Non sola accessio tua erit ab aquis, quibus cumulaberis; sed magis etiam a viribus imperii auctis, victoria, et populorum securitate. FREHER.

422. *Natique Patrisque triumphos.* Gratiani et ejus patris Valentiniani, quorum Ausonius ipse spectator et testis fuit.

423. *Hostibus exactis*, Alemannis, Francis et Suevis. Ipse Ausonius in precatione Consulari: « Hostibus edomitis, qua Francia mixta Suevis Certat ad obsequium, Latiis ut militet armis ». — *Lupodunum* seu *Lobodunam* Freherus contendit esse urbem, quæ hodie dicitur *Ladenburg*.

424. *Latiis ignotum annalibus*, priscis quidem annalibus. Quamquam enim Plinius et Tacitus originem Danubii descripserunt ex fama, ipsi tamen Romani nondum armis lustraverant has regiones. Arma illuc primi intulerunt Valentinianus et Gratianus, quod Ausonius etiam epigram. III et IV celebrat.

425. *Profligati.* Affectavit hoc verbum Noster ne nescire videretur quæ super hoc verbo Gellius, XV, 5. Utitur tamen et Tacitus: *Profligare prælia.* ED.

428. *Minor videri.* Partitus alveum tuum cum Mosella. — Putat

Nomine; tu fratrem famæ securus adopta.
Dives aquis, dives nymphis, largitor utrique
Alveus extendet geminis divortia ripis,
Communesque vias diversa per ostia fundet.
Accedent vires, quas Francia, quasque Chamaves,
Germanique tremant; tunc verus habebere limes.
Accedet tanto geminum tibi nomen ab amni;
Quumque unus de fonte fluas, dicere bicornis.
  Hæc ego, Vivisca ducens ab origine gentem,
Belgarum hospitiis nunc per nova fœdera notus,
Ausonius, nomen Latium, patriaque, domoque,
Gallorum extremos inter, celsamque Pyrenen,
Temperat ingenuos qua læta Aquitania mores,
Audax exigua fide concino. Fas mihi sacrum
Perstrinxisse amnem tenui libamine Musæ.

falso Freherus Auson. ad Rhenum Bononiensem in Italia respexisse: se enim ipse satis explicat. Ed.

430. *Perenni nomine*. Nomen tuum ad Oceanum usque servabis. Hinc addit *famæ securus*.

432. *Geminis divortia ripis*. In Batavis, ubi in Rhenum et Vahalim scinditur. De hoc videndus Tacit. Annal. lib. II. Fl.

434. *Accedent vires*, a captis et dediditiis, a subjugatis populis, qui deinceps legiones nostras delectu suo juvabunt et instruent, Francis, Chamavis, Chaucis, Chrepestinis. Freher.

435. *Tunc verus habebere limes*. Quum non audebunt Franci aliique Germaniæ populi te transire, ut in Galliam eant, quam tu a Germania disterminas. Fl.

436. *Geminum tibi nomen*, non duplex nomen, sed tale, quod geminum amnem indicet, nomen *bicornis*, ut mox subjungit. Hoc epitheton Rheni fere perpetuum. Virg. Æn. VIII, 727: *Extremique hominum Morini, Rhenusque bicornis*. A Mosella potius, quam ab alio influente id nomen accedere Rheno dicit, quod supra finxerat, Rhenum Mosella recepta quasi geminum communi alveo fluere, usque ad divortia. Vid. v. 431.

438. *Vivisca ab origine*. A Biturigibus Viviscis seu Vibiscis, quorum caput Burdigala, unde ortus Ausonius.

440. *Nomen Latium*, i. e. homo Latinus, h. e. civis Romanus. Ausonio nomen sæpe est ipsa res, de qua sermo est. In Clar. urb. 9, *nomen Iberum*, civitas Hispana; 10, *nomen Achæum* sunt Achæi. Ad Syagrium: *Aquitanica nomina*, Aquitani. Et in Epist. 16 ad Probum: *Ausonius nomen Italum*.

444. *Tenui libamine Musæ*, tenui carmine. *Libamine* usus est, quod verbum *libare* sæpe est leviter tan-

Nec laudem affecto, veniam peto: sunt tibi multi
Alme amnis, sacros qui sollicitare fluores
Aonidum, totamque solent haurire Aganippen.
Ast ego quanta mei dederit se vena liquoris,
Burdigalam quum me in patriam, nidumque senectæ
Augustus pater, et natus, mea maxima cura,
Fascibus Ausoniis decoratum et honore curuli
Mittent, emeritæ post tempora disciplinæ,
Latius Arctoi præconia persequar amnis.
Addam urbes, tacito quas subterlaberis alveo,
Mœniaque antiquis te prospectantia muris;
Addam, præsidiis dubiarum condita rerum,
Sed modo securis non castra, sed horrea Belgis.
Addam felices ripa ex utraque colonos,
Teque inter medios hominumque boumque labores
Stringentem ripas, et pinguia culta secantem.

gere, vel perstringere, ut exponit Servius ad Virgil. Æn. I, 256.

447. *Doctamque.* Markland. ad Stat. Silv. V, 1, 167. Ed.

448. *Quanta mei*, quantacumque. — *Liquoris* pro flumine ingenii et copia dicendi.

449. *Burdigalam quum me in patriam*, non tamen videtur fecisse quod hic pollicetur. Nulla enim amplius apud eum Mosellæ mentio. Ed. — *Nidumque senectæ*, de secessu vel habitaculo domestico. Sic Verginius villam suam vocare *senectutis suæ nidulum* consueverat, referente Plinio, Epist. VI, 10.

452. *Post tempora disciplinæ.* In Pulmanniano fuit *munera*. Et sic certe Idyll. IV, 82: *Donec ad Augustæ pia munera disciplinæ Accirer.*

453. *Arctoi amnis*, Mosellæ, qui Italiæ et Aquitaniæ, Ausonii patriæ, respectu, valde septentrionalis est. Fl. Similiter Ov. Met. II, 268.

455. *Mœniaque antiquis.* Imitatur Virgil. Georg. II, 197: *Fluminaque antiquos subterlabentia muros.* Ed.

456. *Præsidiis dubiarum.* Significat castella condita, ut præsidio sint dubiis in rebus, quum ad defensionem limitis, tum ad subministrationem annonæ; neque enim solum munimentis clausa, sed et horreis instructa erant. Talia solebant Romani in solo barbarico, vel in provinciis limiti proximis ponere, atque ideo plura in antiquis Itinerariis loca occurrunt, quibus nomen *Ad horrea*.

457. *Non castra, sed horrea.* Non jam ad castrensem usum, sed urbanum. Vid. Vopisc. in Probo; Marcellinus de Juliano Cæsare, lib. XVIII. Ed.

460. *Stringentem.* Versus est totus Virgilii, Æn. VIII, 63.

Non tibi se Liger anteferet, non Axona præceps,
Matrona non Gallos Belgasque intersita fines;
Santonico refluus non ipse Carantonus æstu.
Concedes gelido Durani de monte volutus
Amnis, et auriferum postponet Gallia Tarnem:
Insanumque ruens per saxa rotantia late
In mare purpureum, dominæ tamen ante Mosellæ
Numine adorato, Tarbellicus ibit Aturrus.
  Cornigera externas celebranda Mosella per oras,
Nec solis celebranda locis, ubi fonte supremo
Exseris auratum taurinæ frontis honorem;
Quaque trahis placidos sinuosa per arva meatus;
Vel qua Germanis sub portubus ostia solvis;
Si quis honos tenui volet adspirare Camenæ,

461. *Liger*, hodie *Loire*, magnus et notissimus Galliæ fluvius.—*Axona*, vulgo *Aisne*, quem Cæsar, B. G. II, in extremis Remorum finibus ponit.

462. *Matrona*, hodie *Marne*, limes, ut ait, Gallorum et Belgarum. Vide ultimam notam.

463. *Carantonus*, *la Charente*, profundus fluvius, in Lemovicibus scaturiens, per Ingulismenses et Santones in Oceanum Santonicum influens, et ab ejus æstu longe satis sursum refluens. Fl.

464. *Durani*. Duranius, *la Dordogne*, ingens et amœnus fluvius ex Arverniæ montibus ortus, in Garumnam influit ad oppidum Burgum, *Bourg*. Idem.

465. *Tarnem*. *Le Tarn*, qui ex Gebennis, seu Cebennis ortus, in eumdem Garumnam labitur. Idem.

466. *Per saxa rotantia*, Pyrenæi montis.

467. *Dominæ Mosellæ*. *Domini* vult Grævius. Ita dicit, quia Treverim alluens, Dominorum domicilium, merito amnibus aliis præfertur. Sic Martial. X, 7, ad Rhenum: *Te Tibris dominus rogat*. Fr.

468. *Tarbellicus* a Tarbellis, populo Aquitaniæ, quos secat *Aturrus*, aliis *Atyr* vel *Atyrus*, hodie *l'Adour*. Oritur e Pyrenæis montibus, et per aquas Augustas et Baionam, Tarbellorum arva secans, exit in Oceanum. Fl.

471. *Auratum taurinæ frontis*. Videtur Virgilianum hoc expressisse, Georg. IV, 371: *Et gemina auratus taurino cornua vultu Eridanus*. Taurina fluviis cornua tributa ob eorum cursum flexuosum juxta ac violentum et mugientem.—*Auratum*, vel ob agrorum fertilitatem, quos permeant, vel utilitatis caussa, quam præstant accolis. De Rheno Martial. X, 7, *cornibus aureus receptis*.

474. *Si quis honos*. Si quem honorem habebunt homines Musæ meæ, ut otium suum perdere legendo meo carmine velint.

Perdere si quis in his dignabitur otia Musis,
Ibis in ora hominum, lætoque fovebere cantu.
Te fontes, vivique lacus, te cærula noscent
Flumina; te veteres, pagorum gloria, luci;
Te Druma, te sparsis incerta Druentia ripis,
Alpinique colent fluvii, duplicemque per urbem
Qui meat, et Dextræ Rhodanus dat nomina ripæ.
Te stagnis ego cæruleis, magnumque sonoris
Amnibus, æquoreæ te commendabo Garumnæ.

478. *Pagorum gloria luci.* Notum est, veteres lucos in Germania et Gallia sacros fuisse: Tacitus, Germaniæ XXXIX: *In silvam, auguriis patrum et prisca formidine sacram, coeunt.*

479. *Druma,* fluvius ex Alpibus descendens, tribus a Valencia oppido leucis Rhodanum ingreditur, *la Drôme.* Fl.—*Druentia,* hod. la *Durance,* Galliæ Narbonensis fluvius, Rhodano se confundens infra Avenionem. Vin. — De hoc flumine Livius, lib. XXXI, de Annibale loquens: quem locum Silius Ital. lib. III reddidit. Ed.

480. *Alpini fluvii,* ii qui ex Alpibus, nive et aqua descendente, originem et incrementa sumunt, ut Addua, Athesis, Ligurin. Ed. — *Duplicemque per urbem.* Arelate urbem designat, quam olim Rhodanus transibat, et in duas partes dividebat, ponte junctas, quod ipse Ausonius clarius indicat, in Claris urb. — *Pande duplex, Arelate, tuos, blanda hospita, portus,* etc. et Epist. XXIV, 81. Ed.

481. *Dextræ dat nomina ripæ.* Rhodanum scribit Scaliger duo facere ostia, eo loco, qui et hodie ob eam caussam vocatur *Furca;* ab eo ostio Massiliam usque totum eum tractum dictum esse *Dextram Ripam;* idque probat antiqua inscriptione.

483. *Æquoream* Garumnam dicit, quia in mare influit. Hunc fluvium, quasi cæterorum, quos commemoravit, præcipuum, ad extremum servat, Burdigalæ patriæ suæ, quæ ad eum sita est, gratificari cupiens. Flor. — Quamvis nomina fluviorum masculina esse soleant, tamen terminationi interdum, seu, ut ait Despauterius, fini bene significatio cedit. Ita passim in hoc carmine genus sumunt femininum, Druentia incerta; Garumna æquorea; Mosella celebranda; Matrona intersita; Sura adjuta, etc. Ed.

EXCURSUS I

AD AUSONII MOSELLAM, v. 208-214.

> Tales Cumano despectat in æquore ludos
> Liber, etc.

Hic locus, quamquam is ex elegantissimis Ausonii, fere neglectus ab interpretibus, nec ea cura, qua debebat, expositus, immo non satis intellectus est. Quum, qua de Libero ludos spectante e monte Gauro, et de Venere prælia Amorum imperante dicit, ingeniosum poetæ commentum sit, interpretum erat monere hic lectores, quid rei fuerit, quod poetæ talia fingendi ansam et materiam præberet. Hoc tamen ab iis fere præteriri animadverto. Est vero ratio ejus commenti a situ et regione Cumani et Baiani sinus, quem describit Ausonius, ab amœnitate eorum locorum et deliciis ibi celebratis, petenda. Quæ quo melius intelligantur, ante omnia comparandos cum hoc loco versus Aurelii Symmachi, Epist. I, 8, arbitror, quibus eamdem regionem quasi in tabula depictam proponit, et Ausonii verba egregie illustrat. Adscribam eos versus, uti emendatos dedit Heinsius ad Ovid. Metam. X, 558 :

> Ubi corniger Lyæus
> Operit superna Gauri;
> Vulcanus æstuosis
> Media incoquit cavernis;
> Tenet ima pisce multo
> Thetis et vagæ sorores:
> Calet unda, friget æthra;
> Simul innatat choreis
> Amathusias renidens,
> Salis arbitra et leporis,
> Flos siderum, Dione.

Hic et Liber cum vinetis, et Thetis cum Nereidibus, et Venus cum Amorum choreis, perinde ut fit ab Ausonio, inducuntur ad pingendam eorum locorum amœnitatem.

Gauri montis summa consita esse vinetis, medium fumare ignitis vaporibus, ima allui dicit, h. e. sinu Baiano, quem inter et Gaurum montem lacus Lucrinus. Hinc intelligitur, quid sit, quod Ausonius scribat, *Liberum per juga Gauri sulphurei, et vineta Vesevi vaporiferi* gradientem spectare *ludos in æquore Cumano*: nam Vesuvius vicinus Gauro, Cumanum et Baianum in sinum despectat, et vinetis æque ac Gaurus olim consitus erat, teste Plinio, lib. XIV, c. 2. Ex iisdem verbis intelligitur, cur Ausonius regnare ibi Venerem et Amoribus imperare dicat: nam ea regio omnibus deliciis et voluptatibus abundare, et peculiariter Veneri dicata credebatur. Unde Martialis, lib. XI, ep. 80, vocat *Litus beatæ Veneris aureum, Baias*, et in litore templum Veneris Lucrinæ fuisse prodit Statius, Silv. III, 1, 147:

> Spectat et Icario nemorosus palmite Gaurus,
> Et Lucrina Venus.

Vapores subterranei et calefactæ inde aquæ sinus Baiani, quod ipsum Symmachus significat, viros feminasque ad natandum navigandumque invitabat, eoque libidines fovebat plurimorum: unde Propertius de Cynthia sua, Baiis morante, valde timet, lib. I, el. 11, et apertius hoc arguit vetus poeta, Regianus, qui de Baiis ita lusit, Anthol. Lat. lib. III, ep. 28:

> Ante bonam Venerem gelidæ per litora Baiæ,
> Illa natare lacus cum lampade jussit Amorem.
> Dum natat, algentes cecidit scintilla per undas,
> Hinc vapor ussit aquas: quicumque natavit, amavit.

Latius hæc ex antiquis scriptoribus docuit Jul. Cæs. Capaccius, Antiq. Puteol. c. 23. Itaque in calentibus Baiarum undis Amorum ministeria calebant, jubente Venere; Ausonius vero hos etiam *fera prælia ludere* jussu Veneris dicit. Quibus verbis haud dubie respicit certamen ludicrum Veteribus valde usitatum, quo juvenes navigiis et lintribus insistentes concurrere, seque invicem aut prævertere aut excutere in mare solebant. Quale certamen in Tiberi ad Ostiam actum docet epigramma 47, libri I Anthol. Lat. Burm. et Suidas v.

Μαιουμᾶς; tum vero Baiis inter cæteras delicias sæpissime celebratum probant passim navigia Baiarum ab antiquis memorata, ut a Cicer. pro Cœl. c. 15, et Propert. I, 11, 10, et quod Baiæ et Ostia similium deliciarum caussa conjunguntur, Juvenal. Sat. XI, 49. Ludicra igitur certamina juvenum naviculantium in sinu Cumano quum frequentia essent, facile Ausonius hæc fingebat ab ipsis Amoribus peragi, quos ludis omnis generis et jocularibus adeo pugnis delectari prodit antiquitas. Amores avibus vectos, per aera ludos pugnasque exercere narrat Claudianus, Epithal. Pallad. v. 110, seqq. Præcipue in aquis et mari eos ludere fingebant propterea quod ipsa Venus e mari orta dicitur, atque, ut Symmachus adductis versibus affirmat, *salis arbitra et leporis* est. Apud Claudianum in amnis margine *mille pharetrati Amores ludunt*, iidemque Venerem per mare euntem et Tritone vectam circumvolitant, de Nupt. Honor. v. 72 et 151. Th. Bartholinus, libello de Puerp. Vet. p. 108, antiquum marmor profert, quod apud Petrum *la Sena* in Cleombroto, c. 6, exstat, quo pueri partim naviculantès, partim delphinis insidentes, et tibiis crotalisque ludentes, decurrunt in mari ad litus, et in his alatus Amor est, qui et ipse remigat. Hoc monumento, quamquam, qui sinus maris et ludus indicetur, non apparet, id tamen intelligitur, non modo frequentes locis maritimis lusus puerorum in mari naviculantium fuisse, sed hos ludos etiam ita descriptos, quasi intermixtis et ducibus Amoribus fierent. Ausonius igitur haud infeliciter commentus est, ludos Amorum in sinu Cumano fieri, et comparato cum his lusoriarum navium in Mosella certamine, rem in se levem et ludicram multo illustriorem fecit. Equidem cymbarum pugnæ in sinu Cumano per se non aliæ, nec magis memorabiles haberi poterant, quam istæ in Mosella; at Ausonius illustriores fecit, quum ab Amoribus et jussu Veneris fieri finxit; illustrissimas etiam, quum prodit velle his Venerem, quæ victoriis Augusti nepotis sui lætetur, memoriam pugnæ navalis ad Actium commissæ celebrare. Qua pugna quum nihil fuerit in orbe Romano illustrius, sane hoc commento major dignitas na-

vali ludicro, de quo loquitur, et ipsi narrationi summa festivitas accessit (1).

EXCURSUS II

AD AUSONII MOSELLAM, v. 316.

Spirat enim tecti testudine Corus Achates, etc.

Hoc versu Gronovius legendum censuit *testudine vera magnetis, Affictamque trahit*, etc. Sed in codicibus antiquis pluribus Scaliger et Pulmannus invenerunt *Corus Achates, Afflatamque trahit:* neque video, quæ nos tam gravis caussa movere debeat, ut Gronovii correctionem isti vulgatæ præferamus. Præcedens verbum *Spirat* exspectare nos jubet nomen alicujus venti, quod in vulgata lectione *Corus Achates* adest, in Gronovii correctione tollitur; eademque imago servatur in sequente voce *afflatam*, quam similiter in prisca scriptura reperiri perhibent. Videtur omnino Ausonius, tametsi hoc alii Veterum non memorant, indicare velle, a Dinochare, qui templum ex magnete lapide concameravit, simulacrum venti alicujus in tholo ex eodem lapide factum; aut poetica quadam imagine ipse magnes, e quo concamerata tecti testudo fuit, dicitur quasi Corus aut Zephyrus

(1) Ausonius hoc facilius fingere ludicras naviculationes ad memoriam et imitationem pugnæ Actiacæ factas potuit, quod sciebat similes ludos olim in villis nobilium Romanorum institutos et a pueris in lacu actos esse. Exemplum ejusmodi certaminis navalis in villa Lollii celebrati ab Horat. memoratur, Epist. I, 18, 60, ad Lollium:

> ......Interdum nugaris rure paterno;
> Partitur lintres exercitus: Actia pugna,
> Te duce, per pueros hostili more refertur.
> Adversarius est frater; lacus, Adria; donec
> Alterutrum velox victoria fronde coronet. Ed.

fuisse, qui Arsinoen, vel simulacrum ejus e magnete suspensum, quasi Boreas Orithyian, rapere videretur. Atque hoc facilius id fingere Ausonius potuit, quod poetæ alii, ut Claudianus, Idyll. de Magn. v. 33 seqq. vim magneticam *flatus*, *spiraminis*, *auræ* nomine solent exprimere. Arsinoen, quæ in templo Veneris Zephyritidos sepulta fuit, Zephyritida vel Chlorida, h. e. Floram dictam fuisse, apparet e Catulli Coma Beren. v. 54. Floram autem amavit Zephyrus. Per licentiam aliquam hunc Ausonius Corum appellavit, qui et ipse ab occasu spirat, inter Zephyrum et Septentrionem. Major difficultas in apposito *Achates* est, quem vel pro magnete posuit, speciem pro specie, eoque ventum ex eo lapide factum innuit, vel posuit pro amico, comite vel duce Arsinoes, ut ille fidus Æneæ Achates fuit. Gronovius, antiquam lectionem mutans, nihil amplius quam historiæ accommodavit; fictionem Ausonii poeticam non sensit. Equidem in eadem sententia ante Gronovium fuit Casp. Barthius ad Claud. Magn. v. 22, et nullam hoc loco Cori, sed solius magnetis mentionem fieri censuit, quandoquidem, leviore verbi mutatione usus, legendum esse *torvus achates*, eoque ipsum magnetem describi putavit, quod sit invenustior et deformior achate, tametsi fere concolor. Sed neminem fore arbitror, quin fateatur, duram simul et obscuram esse hanc magnetis descriptionem, qua cur uti debuerit Ausonius, nulla caussa apparet, nisi potius aliam his verbis imaginem exprimere voluit. Cæterum nec de ista vulgari lectione negari potest, obscuram ipsam et durissimis tropis implicatam esse, quum neque *Corus*, neque *achates* sensu proprio possint accipi. Itaque facere non possum, quin ipse conjecturam afferam, qua mihi videatur et vera lectio Ausonii restitui, et planior effici interpretatio. Scilicet quum dudum suboluerit eruditis, Ausonium e Catulli carmine finxisse Arsinoen a Zephyro raptam, quod ea Chloris vocetur a Catullo, tum ego arbitror etiam veram lectionem Ausonii e verbis Catulli repetendam esse. Est vero hic Catulli versus, quem respexit Ausonius:

Obtulit Arsinoes Chloridos ales equus.

Equus ales, monente ad hunc locum Vossio, non alius quam Zephyrus est: venti enim omnes alati et equitantes finguntur a poetis, præsertim Græcis, unde hoc expressit Catullus ; et Zephyrus Chloridos amasius ferebatur. Hunc Catullus canit ab Arsinoe missum comam Berenices sustulisse in cælum; atque hoc est, quod Ausonium adduxit, ut Arsinoen etiam, quam Chlorida dictam esse norat, a Zephyro sublatam fingeret. Quo pacto usurpasse etiam acceptam a Catullo appellationem Zephyri, atque sic scripsisse videtur :

Spirat enim tecti testudine Chloridos ales.

In exemplaribus Ausonii manuscriptis exstitisse viri docti monent *Chorus achates*, et quam facilis hic fuerit librariorum aberratio, ut hæc verba fingerent pro istis *Chloridos ales*, ipsa literarum et vocum similitudo demonstrat. Admissa hac lectione omnis evanescit difficultas interpretandi, quæ cogebat Corum pro Zephyro, et achatem pro magnete dictum existimare, et apparet, ipsum Zephyrum ab Ausonio fingi, vi magnetis in camera inclusi, simulacrum Arsinoes raptasse. Quam ob caussam etiam *ferrato crine* tractam esse addit, quia magnes ferrum attrahit, Zephyrus autem crinem Berenices sustulisse ferebatur. Cæterum plura alia ex antiquitate memorantur exempla ejus machinationis, qua simulacra ferrea in templis e magnete suspensa sunt, quæ collecta et relata a Frehero et Tollio ad hunc locum Ausonii, tum a Barthio et Gesnero ad Claudiani Magnetem, hic neque repetere, neque ad veritatis rationes exigere vacat. (Vid. Claudian. nostri vol. II, p. 345, et seqq. Ed.)

AUSONII EPISTOLA IX

AD AXIUM PAULUM RHETOREM

DE OSTREIS.

PROOEMIUM.

Epistola hac, qua nobilissima ostreorum genera recensentur, pars esse justi Halieutici poterat, in quo et locum ostreis Oppianus fecit, siquidem integro et singulari volumine Ausonius omnes maris et fluminum opes persequi voluisset. Quod igitur in Mosella Ausonii, propter piscium et piscationum genera enarrata, fecimus, idem in hoc poematio, cujus totum argumentum in ostreis versatur, faciundum putamus, ut illud halieuticis Veterum monumentis accenseamus, brevique annotatione illustremus.

Ausonius alia de ostreis et musculis adolescens scripserat quæ senior etiam retractaverat; sed quum hanc concinnationem temere fusam et affectata obscuritate conditam fuisse suo Theoni fatetur, hic referre noluimus septimam Epistolam, quæ de triginta ostreorum *numerabili munere* gratias nunciat, quia lusus ingenii difficiles inficetosque de variis exprimendi hujus numeri rationibus tantummodo continet. Ed.

AUSONII EPISTOLA IX

AD AXIUM PAULUM RHETOREM

DE OSTREIS.

OSTREA nobilium cœnis, sumptuque nepotum
Cognita, diversoque maris defensa profundo,
Aut refugis nudata vadis, aut scrupea subter
Antra, et muriceis scopulorum mersa lacunis,
Quæ viridis muscus, quæ dedecor alga recondit,
Quæ testis concreta suis ceu saxa cohærent,
Quæ mutata loco, pingui mox consita limo,
Nutrit secretus conclusæ uliginis humor,
Enumerare jubes, vetus o mihi, Paule, sodalis,
Assuefacte meis joculari carmine nugis.

1. *Nepotum*, luxuriosorum hominum. Vid. Mosell. v. 51. — Eodem sensu Plin. XXXII, cap. 6, de ostreis: *Nepotis cujusdam nomenclator (ostrea), τρίδακνα appellavit, tantæ magnitudinis intelligi cupiens, ut ter mordenda essent.* Ed.

2. *Defensa* ex optimo libro reposuit Tollius, quum antea legeretur *defossa*. Sic in Mosell. 242: *Heu! male defensos penetrali flumine pisces.*

3. *Nudata vadis*, h. e. refugo æstu destituta, apparent in vadis. Sic in Mosell. v. 69, *rubra corallia nudat æstus.* — *Scrupea antra.* Vid. Virgil. Æn. VI, 238. Ed.

4. *Muriceis* est asperis et acutis, non purpureis: nam *murex*, teste Nonio, est etiam saxum, vel saxi asperitas.

5. *Dedecor*, h. e. indecora et immunda, vix apud alium reperiatur, quamquam Virgilius *indecorem* habet. — *Decolor* Heinsius ad Elegiam in Drusum, 306. Ed.

7. *Quæ mutata loco:* a suo natali solo in alium locum translata. — Ita saginari posse ostrea Æthiopum exemplum est apud Photium, ex Agatharchide, p. 1345. Ed. — Plinius, lib. XXXII, 6, de ostreis: *Gaudent et peregrinatione, transferrique in ignotas aquas.* Vin. — *Consita* emendavit Scaliger pro *condita:* nam prisca scriptura habebat *consta.*

Aggrediar; quamvis curam non ista senilem
Sollicitent, frugique viro dignanda putentur:
Nam mihi non Saliare epulum, non cœna dapalis,
Qualem Penelopes nebulonum mensa procorum,
Alcinoique habuit nitidæ cutis uncta juventus.
Enumerabo tamen, famam testesque sequutus,
Pro studiis hominum semper diversa probantum.
Sed mihi præ cunctis ditissima, quæ Medulorum
Educat Oceanus, quæ Burdigalensia nomen
Usque ad Cæsareas tulit admiratio mensas,
Non laudata minus, nostri quam gloria vini.
Hæc inter cunctas palmam meruere priorem,
Omnibus ex longo cedentibus: ista et opimi
Visceris, et nivei, dulcique tenerrima succo,
Miscent æquoreum, tenui sale tincta, saporem.
Proxima sint quævis, sed longe proxima multo
Ex intervallo, quæ Massiliensia portu,
Quæ Narbo ad Veneris nutrit; cultuque carentia

13. *Saliare epulum*, lautissimum, quale Salii Martis celebrabant. — *Saliares dapes* Horat. Carm. I, 37, 2. — *Cœna dapalis*, dapsilis, lauta.

14. *Qualem Penelopes.* Expressit Horat. Epist. I, 2, 28: « Sponsi Penelopes, nebulones, Alcinoique, In cute curanda plus æquo operata juventus ».

18. *Præ cunctis ditissima.* Gronovius vult *mitissima.* Sed ferri potest istud, et accipi pro *pretiosissima* vel *amplissima.*—*Meduli* sunt infra Burdigalam, quasi peninsula inter Oceanum et Garumnam.—Exit autem in Aquitanicum mare Garumna quinquaginta fere millibus passuum infra Burdigalam; quod ostium ostreorum est feracissimum. Efficere videtur aqua dulcis ut pinguiores, suavioresque sint ostreæ ex fluviorum ostiis, quam interiore mari: *Gaudent dulcibus aquis et ubi plurimi influunt amnes.* Plin. loc. cit. Ed.

19. *Burdigalensia nomen*, quoad nomen, Græcismus. Significat ostrea, quæ nomine Burdigalensia dicebantur, et hodie etiam haud mediocrem famam obtinent.

26. *Sed longe proxima multo.* Virg. Æn. V, 320, *Proximus huic, longo sed proximus intervallo.*

27. *Quæ Massiliensia portu.* Legendum, *quæ Massiliensia, portum Quæ Narbo ad Veneris.* Ἀφροδίσιον in Narbonensi Pyrenæi tractu memorat Strabo et Ptolem. *Portum Veneris* appellat Pomp. Mela, l. II, c. 5.

28. *Cultuque carentia:* legendum *carentis:* quid enim ostrea cultu carentia?—*Abydos* igitur cultu carens dicitur, vel quod raris civibus,

Hellespontiaci quæ protegit æquor Abydi;
Vel quæ Baianis pendent fluitantia palis;
Santonico quæ tecta salo; quæ nota Genonis;
Aut Eborum mixtus pelago quæ protegit amnis,
Ut multo jaceant algarum obducta recessu:
Aspera quæ testis, et dulcia farris opimæ.
Sunt et Aremorici qui laudent ostrea ponti;
Et quæ Pictonici legit accola litoris, et quæ
Mira Caledonius nonnunquam detegit æstus.
Accedunt, quæ (fama recens) Byzantia subter
Litora, et insana generata Propontidis acta,

habitabatur, vel ob barbaros et agrestes mores.

29. *Quæ protegit æquor Abydi. Protegit* ut supra v. 2, *defensa profundo.* — *Ostriferi fauces Abydi* apud Virgil. Georg. I, 207. Vid. præf. nostr. ad fragm. Ponticon Solini, et fragm. Ennii Phag. *ostrea plurima Abydi.*

30. *Fluitantia palis:* leg. *pilis*, ut intelligatur moles, quibus portus Julius in sinu Baiano occlusus est: de quo Virg. Æn. IX, 711: *Qualis in Euboico Baiarum litore quondam Saxea pila cadit.*

31. *Santonico quæ tecta salo. Oceanus Santonicus*, et Carantoni, aliorumque amnium in ipsum influentium ostia, ostreis abundans. Earum maximæ ex iis locis everruntur, quæ nunquam aqua detegit. Ed.—*Nota Genonis.* Illyrica ostrea designat, quorum meminit Plin. XXXII, 6: nam *Genaunos* vel *Genonos*, populum Illyrici, Strabo memorat.

32. *Aut Eborum mixtus pelago.* Vinetus in veteri exemplari *Ebore* invenit: unde mavult *Eboræ* legere, et intelligit *Eboram* Hispaniæ urbem ad Bætis ostium. Scaliger per *Eborum amnem mixtum pelago*, intelligit ostia Sequanæ, et *Ebores* seu *Ebures* hic esse *Eburonices*, qui interjacent inter Sequanam et Abricantum, *Avranches*. Fl.

34. *Dulcia farris opimæ.* Pro *farris* reponendum esse *carnis* aut *frugis*, judicant Vinetus et Tollius, ut Ausonius, Epist. VII, 46, *carnem lacteoli visceris* dixit. Quod tamen exemplaria omnia tenent *farris*, suspicor fere Ausonium *farris*, genere fem. et nova significatione, posuisse pro *fartu*, ut Colum. V, 10: *ea res efficit fartum fici pleniorem. Farres*, lingua Gallica antiqua pro pulte dictum, exstat in glossariis. Et Ausonius sæpe ad pinguedinem significandam adverbio *fartim* utitur. Vid. Mosell. v. 86 et 113.

37. *Caledonius*, Britannici maris. — *Mira* videtur dicere propter varietatem miram colorum, quam exhibent ostreæ, corallia, conchæ in litore Britann. Vid. Mosell. v. 68.

38. Ita distinxit Tollius ut sensum juvaret, et hanc vocularum quarumdam insertionem Veteribus solennem ostendit Vinetus. Ed.

39. *Insana Propontidis acta.* Ἀκτή,

Promoti celebrata ducis de nomine, laudant.
Hæc tibi non vates, non historicus, neque toto
Orbe vagus conviva loquor, sed tradita multis;
Ut solitum, quotiens dextræ invitatio mensæ
Sollicitat lenem comi sermone Lyæum.
Hæc non per vulgum mihi cognita, perque popinas,
Aut parasitorum collegia Plautinorum;

litus. Insana acta est, quam insani feriunt fluctus, ut verbis Virgilii utar, Ecl. IX, 43. Flor. Nisi forte eam Propontidis oram intelligit, qua portus Amyci erat, Δάφνη μαινομένη a lauro insana dictus, cujus meminit Arrianus in Peripl. Pont. Eux. p. 25, tomo I Geogr. Huds. et nominis rationem indicat Plin. XVI, 13, 45.

40. *Promoti ducis de nomine. Promotiana* hæc ostrea aliunde non novi; neque scio, quis hic Ausonii temporibus Promotus fuerit. Promotum Consulem sub Valentiniano sec. Marcellinus Comes et Cassiodorus memorant. Vin. — Promotus ille Dux esse videtur ad quem scribit Symmachus, lib. III, Epist. 74-80, quem etiam ob fortitudinem laudat, et inter rauca cornua versari ait. Fuit in nobilissimis Theodosii ducibus, Rufini scelere ab immissis illi Barbaris interfectus, de quo Zozimus, IV, 51. Et Claudian. ejus cædis meminit de Laud. Stilic. lib. I, 95. Ed.

41. Si quædam alia de ostreis videre vacat, consule quæ disseruit Meursius in libro singulari de Luxu Romanorum, transcripta ad Valer. Max. nostræ Edit. tom. II, parte altera, p. 382 sqq. Optimæ nunc celebrantur ostreæ, quæ Britannicis in litoribus colliguntur. Unum est quod mireris, a Veteribus scilicet nusquam memorari id genus exquisitum, ostreas virides (*huîtres vertes*), quæ tanto in honore sunt apud recentiores gulæ magistros. Hoc et prætermisit Ausonius; sed vituperio ne vertamus, quod ipse jam excusatum rogavit. At succenseat aliquis, per me licet, in virum Nostratem *Berchoux*, qui, quum poemation facetum et elegans scriberet, inscriptum *la Gastronomie*, illas mensæ delicatæ primitias, et *Deorum cibum*, ut vocat Plinius, incredibili incuria omiserit. Ed.

43. *Festæ*, Markland. ad Statii Silv. IV, 6, 32. Ed. — *Dextræ invitatio mensæ*. Accipio de cœna recta.

44. *Sollicitat Lyæum*, movet et efficit, ut vinum largius bibatur, eoque disertos faciat convivas.

46. *Parasitorum collegia*, cœtus una comessantium, ut Horatius *Ambubajarum collegia* dixit, et Apuleius in Apolog. *temulentum illud collegium parasitos tuos*. — *Plautinorum*, i. e. quales Plautus describit omnium cupediarum ac deliciarum intelligentissimos helluones. Sarisberiensis Polycrat. lib. VIII, c. 6: *Epulones convocant et* parasitos, *et* collegium *nugatorum qui alienæ nidore culinæ capiuntur*. Sed *Collecia* forte fuit in libro pro *Collegia*. Hinc factum *collectia* et *collecta*; quæ quidem literarum consimilium depravatio in antiquis scriptoribus

Sed, festos quia sæpe dies partim ipse meorum
Excolui, inque vicem conviva vocatus adivi,
Natalis si forte fuit solennis amico,
Conjugioque dapes, aut sacra repotia patrum,
Audivi: meminique bonos laudare frequentes.

haud rara. Cæterum MSS habent *collecta*; Gronovius conjicit *colliphia*: habes in versu Plauti ubi Toxilus parasito cœnam parat, et Juven. Sat. II, 55: *Comedunt coliphia paucæ*. Vid. nostr. Edit. vol. I, p. 86 et 109. Ed.

47. Mala distinctio sensum hic faciebat obscuriorem; hanc sustuli, ne quid inconsulte novatum videretur: *adivi* referendum ad sequentem versum; τὸ *sed* autem cohæret cum *audivi*, quod est in versu ultimo. Ed.

50. *Sacra repotia patrum.* Respexit Horat. Serm. II, II, 60, ubi et *repotia* natalibus aliisque diebus festis junguntur. Festus dicit, repotia esse, quum postridie nuptias apud novum maritum cœnatur, et sic quasi *reficitur potatio*. Aliter Acron, commentator Horatii, et plures ejus nominis interpretationes refert. Neque omnino fixa ejus significatio videtur. Ausonius, qui *sacra repotia*, eaque *patrum* vocat, et *conjugii dapibus*, h. e. nuptiarum cœnis subjungit, intelligere videtur convivia, quæ liberis natis, aut in eorum baptismate, celebrantur. Baptismatis suscepti celebratio inter Christianos multum traxisse videtur e ritibus, qui apud Romanos erant, deductionis in forum et sumptæ togæ virilis, quam convivio celebratam apud Romanos constat e Plinio, Epist. X, 117, 1, et Apuleii Apolog. Vid. Turneb. lib. CXII, cap. 6.

AD

OLYMPII NEMESIANI

CARMEN

DE LAUDIBUS HERCULIS

PRÆFATIO.

Mirabuntur procul dubio haud pauci, qui factum sit, ut carmen de Laudibus Herculis poetis venaticis, nulla affinitate argumenti conjunctum, adderem, idque novo et adhuc inaudito auctoris, Olympii Nemesiani, nomine ornarem. Sed afferendis hac præfatione rationibus facile me spero factum meum æquis lectoribus approbaturum, quibus si ostendero, carmen hoc, quod adhuc incerto vel nullo auctore ferebatur, rectissime Olympio vindicari; neque illud, credo, reprehendent, quod venaticorum poetarum volumini, quo alterum Nemesiani poema continetur, adjungendum putaverim. Equidem serius, quam optandum erat, mihi contigit, ut Nemesiani hoc poema, ignoratum hactenus, invenirem; semel tamen quum in eam sententiam pervenissem, malui illud iniquiore loco proponere, et festinantius recensere, quam totum omittere. Introitum ad eam opinionem, quam nunc declarare aggredior, patefecit mihi antiquus Scholiastes Statii, cujus locum, in hoc tomo, p. 98, ad Testimonia de Nemesiano adduxi. Quum diu multumque de Olympio eo, quem Lactantius bis allegat, cogitassem, certiusque cognoscere, is Nemesianus noster esset, an alius, vellem, aptus mihi ad eam rem investigandam ille maxime locus visus est, quo a poetis, præsertim Olympio, tradi ait, leonem, quem Hercules prostraverit, e Luna ortum. Cœpi

quum alia poetarum loca, quibus Herculis labores enarrantur, tum illud maxime anonymi poetæ carmen de Laudibus Herculis, quod Claudiano adjunctum legitur, perlustrare, si forte invenirem ibi, quod Lactantius prodit; et inveni versu 120, non Nemeæum quidem leonem, sed taurum Cretæum e Luna ortum :

> ....Taurus medio nam sidere Lunæ
> Progenitus Dictæa Jovis possederat arva.

Etsi initio dubitare videbar, an is ipse locus esset, quem Lactantius citasset, confirmabar tamen deinceps verbis ejus accuratius consideratis, et videbam, eum quidem de leonis Nemeæi ortu ex Luna communem poetarum sententiam afferre, his autem ita adjungere Olympium, ut eum similia tantum cæteris, quamquam non de ipso leone, dicere innuat. *Poetæ*, inquit, *denique omnes asserunt leonem de his polis ortum, quem Hercules prostravit, ut etiam Olympus* (Olympius) *ait*. Nempe quum Olympium præ cæteris poetis nominat, haud obscure eum poetam significare voluit, qui de laboribus Herculis præcipue egerit, ubi quidem nihil refert, idemne ut cæteri, leonem, an aliud monstrum, ab Hercule prostratum, dixerit e Luna ortum (1). Itaque Olympium esse auctorem carminis de Laudibus Herculis, sic satis mihi videbar e Lactantio intelligere; ut hunc Olympium Nemesianum esse crederem, ipsa carminis dictio,

(1) Hic etiam præcedentia Lactantii verba afferam, ut paucis emendem atque illustrem : *Philosophi esse terram dicunt* (lunam), *quæ circa nostrum hoc solum circulo altiore suspensa est : hæc autem omnia corpora gignit, utpote quæ vicina sit cælo.* In extremis legendum arbitror *hæc autem majora corpora*, vel *omnia corpora majora gignit;* idque ob allatam rationem : *utpote quæ vicina sit cælo*, atque ex Philosophorum sententia, quam ipse memorat Lactantius, et Plutarchus de Plac. Phil. II, 30, amplius declarat, animalia quindecies majora et præstantiora nostris in Luna nasci. Quam etiam expressit Claudianus de Laud. Stil. III, 287, cervos Dianæ, dicens, a Luna conceptos cornua habere spatio summas fagos æquantia. — Seneca in Herc. fur. v. 83 : *Sublimis alias Luna concipiat feras.* Vid. Scalig. ad Cirin Virg. in comment. p. 50, et Angel. Politian. Var. Observ. cap. 17, tomo I Facis Gruter. ED.

ejusque cum Cynegetico Nemesiani comparatio persuadebat. Exordium maxime ejus cum initio Cynegetici verbis et sententiis ita convenit, ut ovum ovo similius esse nequeat. Invocat auctor carminis Apollinem, ut convenire se cum choro Musarum, et admittere ad fontem Castalium velit. In his versus quartus est :

> Et nova Castalios latices per rura petentem ;

Et Cynegetici v. 5 :

> Castaliusque mihi nova pocula fontis alumno
> Ingerit, et late campos metatur apertos.

Pergit poeta v. 5 :

> Hippocrenæo victorem insistere fonti
> Me fac.

Et Nemesianus sic versu 13 :

> Obvia Calliope, facies insistere prato
> Complacito.

Singularis hæc phraseologia est, quam facile credas ab eodem auctore usurpatam, neque vero dignam satis, quam alius poeta imitatione expresserit. Et alia in Laudibus Herculis occurrunt singularis et raræ dictionis exempla, quæ similiter in Cynegetico Nemesiani leguntur. Tale in primis est, quod versu 47, Junonem insolenti ratione pellicem Alcmenæ vocat, ut in Cyneg. v. 17 pellicem Semeles. Similia videntur *parata* Herculi infanti *cunabula*, v. 65, et *recreata Baccho cunabula*, Cyneg. v. 18 : simile illud, quod poeta hic de obscurato Sole dicit, *ignifluo stupefactus in orbe tepescit ;* et Nemesianus v. 213, *attonito pallens caput exserit orbe ;* ubi nunc quidem ex comparatione intelligo, perperam me olim in versu Nemesiani *orbem* interpretatum esse de orbe terrarum. Plura omnino hujus similitudinis exempla ipsa poematis recensio suggeret, in annotatione exponenda. Revertor potius ad exordium poematis, quod adhuc primarium assertionis meæ argumentum pro Nemesiano auctore suppeditat. Gloriatur poeta, non se novum et

ignotum choro Musarum esse; gerere se jam inde a juventute sua laureas, solita poetarum præmia, et quamvis senem et emeritum, testari adhuc honores posse, quos olim juvenis meruerit. Versu 6:

....Namque tuam non nunc novus advena turbam
Ingredior, laurosque gerens, et florea sertis
Tempora vincta tuis, doctorum munera vatum:
Testor adhuc veteres, quamvis desuetus, honores.

Manifeste hic loquentem Nemesianum deprehendimus, qui hic de se ipse prædicat, quod Vopiscus de eo testatur, eum *omnibus coronis illustratum emicuisse.* Etsi Vopiscus de poematibus Olympii tantum κυνηγετικὰ, ναυτικὰ et ἁλιευτικὰ, tanquam exstantiora et majora, nominat, plura tamen et diversi generis carmina ab eo scripta esse, ipsa multitudo coronarum quibus illustratus dicitur, evincit. Ne igitur dubitemus Laudes Herculis ad eum pertinere; et fortasse alia poemata, quæ sine nomine et auctore feruntur, et variis in codicibus dispersa sunt, eumdem Nemesianum auctorem habent. Fuit plerumque hoc poema de Hercule codicibus operum Claudiani insertum, more librariorum, qui minora vel singularia carmina, ne dilaberentur, majorum vel æqualium poetarum carminibus adscribebant. Inde tot brevia et exilia poematia falso attributa sunt Virgilio, quod cum hujus operibus uno codice compacta reperirentur, et Claudiano igitur, prægloriosissimo, uti vocatus est, poetæ, quum alia minora carmina, atque in his Laudes Herculis, conjungi solerent, inde factum est, ut editores multi hoc poema sub nomine Claudiani venditarent, alii saltem operibus ejus, nullo auctore nominato, adjungerent. Testatur tamen Theod. Pulmannus, in nullo MSS librorum, quibus usus est, hoc de Laudibus Herculis poema se invenisse (1), et recentiores editores, critico judicio in scriptis Claudiani pertractandis magis usi, illud Claudiani non esse, uno veluti ore con-

(1) Neque illud in codice bonæ notæ in membrana scripto, quem bibliotheca Academiæ nostræ servat, inter cætera Claudiani minora carmina exstat. — Vid. pag. 408, vol. I, nostri Claudiani. Ed.

fessi sunt, quod ego nunc claris inductus indiciis Nemesiani esse contendo. Prodit ille in versibus exordii supra adscriptis, senem se et desuetum pangendis carminibus fuisse, quum istud poema scriberet, olim vero juvenem se plures lauros meruisse. Hæc non solum bene conveniunt cæteris Nemesiani rebus, quas aliunde novimus, sed et ætatem ejus et fata amplius declarant. Certasse eum carminibus cum Numeriano Cæsare tradit Vopiscus; ipse autem in exordio Cynegetici quod Carino et Numeriano dedicat, juvenem se esse, et tunc primum in majore poemate elaborare fatetur. Igitur senior ejus ætas in Diocletiani et Maximiani tempora incidit, et sub horum imperio scriptas esse Laudes Herculis, ipsum carminis argumentum non obscure significat. Quis enim dubitet argumentum illud a poeta lectum esse, ut placeret Maximiano Herculio, qui cognomentum hoc, ut Diocletianus Jovii, assumpserat, quod singularem se istius numinis cultorem et imitatorem ferret, immo, quod adulatores subinde ingerebant, principem sui generis habere Herculem, ipsumque adeo Jovem, vellet (1). E provinciis Romani imperii, inter Cæsares divisi, Italia et Africa commissa erat Herculio (2), et Olympius igitur, qui Afer natione erat, et tum forte vivebat in Africa, scripto de Hercule poemate captare Herculii gratiam, ut quondam Carini et Numeriani dedicato Cynegetico, volebat. Et quo magis se Maximiani animo insinuaret, videtur Olympius eodem adulationis genere, quo alii Cæsaris panegyristæ (3), usus, ut Herculium ipsius Herculis et Jovis progeniem faceret. Satis hoc prodit introitus poematis, ubi de Hercule, filio

(1) Auctor panegyrici Maximiano et Constant. dicti, cap. 8; Lactant. de M. P. cap. 8 et 52; Aur. Victor in Cæs. cap. 39.

(2) Lactant. et Aurel. Victor locis cit.

(3) Mamertinus, Paneg. Maxim. cap. 2, n. 3: *An divinam generis tui originem recensebo, quam tu non modo factis immortalibus, sed etiam nominis successione testaris.* Auctor Paneg. Maximiano et Const. dicti l. c. *Hic est* (Maximianus) *qui nomen, quod accepit a Deo principe generis sui, dedit vobis, qui se progeniem esse Herculis, non adulationibus fabulosis, sed æquatis virtutibus comprobavit.*

Jovis, ita loquitur, ut lectorum involucro verborum ipsum indigitare Herculium videatur :

Alcides mihi carmen erit, germana Tonantis
Progenies, dignus credi post viscera numen,
Semper ob immensos invicti roboris æstus.

Vetustiores editiones tantum, non omnes, habent *Romana Tonantis progenies*, et sola ex conjectura primum a Delrione mutatum in *germana*, idque temere receptum a sequentibus est, non alia de caussa, ut videtur, quam quod latentem sub verbo *Romana* adulationem in Maximianum non perspicerent : etenim Alciden adeo poeta nominare ipsum Maximianum poterat, quem tot vetera monumenta et nummi fere innumeri Herculis imagine et nomine signant, etiam res gestas ejus expressis in ære variis Herculis laboribus celebrant. Nec temere poeta *invictum robur* Herculis prædicat, quum *Invictorum* nomen quasi solenne Imperatores, præsertim Maximianus, vindicare sibi publicis in monumentis solerent (1), ipsisque fere perpetuo tribuerent panegyristæ. Plura nunc non persequor laudati Maximiani vestigia, quæ multo magis nunc nobis manifesteque apparerent, si integrum poema haberemus : neque enim dubitandum est, quin idem Olympii in scribendo carmine propositum, quod aliis Maximiani laudatoribus, fuerit, ut ab argumento sui carminis, Hercule, ipsius laudem Herculii duceret, et peragratas ejus bellis et victoriis terras, domitasque gentes barbaras, cum certaminibus Herculis, ante enarratis, prostratisque ab eo monstris conferret. His disputatis quum appareat, poema de Laudibus Herculis spectare Maximianum Herculium, et in hujus imperium incidere ætatem provectiorem Nemesiani, qua auctorem scripsisse ipsum carmen indicat; quum præterea in Nemesianum optime quadrent, quæ auctor carminis de se prædicat, dictio etiam poematis admodum similis Cynegetico, et testimonium Lactantii accedat, qui Olympium ejus carminis auctorem citet; satis credo hoc argumentorum esse, quibus confirmem, auctori

(1) Vid. Grut. Inscr. p. CLXXVIII, num. 7.

illud Nemesiano deberi. Volui igitur id carmen propter auctorem, tanquam appendicem hujus primæ partis, adjungere, quum propter argumentum ipsis Venaticis inserere vix liceret. Indigere illud recensione accurata et largiore annotatione videbatur, quum fere neglectum ab editoribus Claudiani, a paucisque interpretatum esset. Sed per iniqui spatium temporis, non nisi brevem impendere operam licuit. Textum ipsum e recensione Heinsiana, a Gesnero repetita, dabo, et tum notata ab eo varietate lectionum, quum aliis quibusdam subsidiis usus, quoad fieri poterit, castigare et interpretari annitar. Cæterum juvat adhuc de auctore Laudum Herculis sententiam Casparis Barthii audire Advers. lib. XLIX, cap. 8 : « Josephus Scaliger non consulit suum illud dictatorium in literis judicium quum poema modo nominatum (*Laudes Herculis*) Claudiano illi adscribit cujus præclara monumenta alia exstant. Non diffitear esse Claudiani; esse enim et fuisse alios ejus nominis poetas prorsus clarum est : hoc vero Poemation tantum ab generoso illo vate abest, ut qui solum exordium legerit, insanire mihi velle videatur hoc isti adscribens. Nec juvat quod ætatem et senectam alii afferunt; aquila enim senex etiam upupa non est. Sed alibi hæc eventilabuntur ».

M. AUR. OLYMPII NEMESIANI

LAUDES HERCULIS.

PIERIDUM columen, cujus Parnassia magno
Numine templa sonant, læto, precor, huc age, Phœbe,
Te conjunge choro; penetralia sancta sororum,
Et nova Castalios latices per rura petentem
Hippocrenæo victorem insistere fonti
Me fac : namque tuam non nunc novus advena turbam
Ingredior, laurosque gerens, et florea sertis
Tempora vincta tuis, doctorum munera vatum :

1. *Numine sonant*, per oracula et carmina.

3. *Tecum cuncta choro* vett. libri cum Pulm. — Sic *cuncta penetralia sororum* essent ipsæ Musæ, omnes et singulæ; sed *cuncta penetralia sancta* insuave et redundans est: rectius recentiores : *Te conjunge choro*.

4. *Nova per rura*, h. e. in novo argumento; ut in Cyneg. v. 5, *nova pocula* dixit.

5. *Hippocrenæum victorem insistere fontem* vulgati. *Hippocrenæos .....fontes* vel *Hippocrenæo.....fonti Me fas* conjicit Heins. *sistere fontem* Pulmann. *sistere fonti* conjicit Delrio : τῷ *fontem* favet auctor Epit. Iliad. Homeri, v. 947 : *Alternis properant insistere cœpta periclis.* —*Victor* h. l. est, qui difficultatibus superatis voto et fine potitur. Virg. Georg. III, 9, *victorque virum volitare per ora.*

6. *Me ; famaque* Vien. Bas. Pul. *Me fameque* Ald. *Me dignare* conj. Delrio — Sed *me fac insistere*, quod habent vulgatæ, rectum et ipsius Nemesiani est, ex Cynegetici v. 13, *facies insistere prato.* — *Novus advena ingredior.* Exprimit Tibull. lib, II, Eleg. 5, versu 1 : *Phœbe fave : novus ingreditur tua templa sacerdos.* Stat. Silv. V, 2, 20 : *Latii penetrale Senatus Advena pulsasti.* — Sed maxime hunc locum Statii imitatus est Achill. I, 10 : *neque enim Aonium nemus advena pulso, Nec mea nunc primis albescunt tempora vittis.* ED.— *Florea tempora*, forte florida, interpretor florentis ætate juvenis, ut se juvenem coronatum esse significet. —*Floreus* et *floridus* sæpe male permiscentur a librariis : vid. Broechus. ad Tibull. I, 1, 16.

8. *Vincta suis* conj. Heins. — *Doctorum munera vatum*, ut Horat.

Testor adhuc veteres quamvis desuetus honores.
Alcides mihi carmen erit, germana Tonantis
Progenies, dignus credi post viscera numen
Semper ob immensos invicti roboris æstus.
Nec nasci potuisse vacat; nam lucis in ipsis,
Inclyte, principiis, tardo vix editus ortu
Fecisti de patre fidem. Sed cur mihi lentis
Ludis adhuc, Cyrrhæe, modis, tenerumque resultans
Luxuriante leves impellis pollice chordas?
Pone habitum, quo mollis amas; et frondis amatæ

carm. I, 1, 29: *doctarum hederæ præmia frontium.*

9. *Veteres honores* et *desuetus* innuunt provectam ætatem poetæ, quum hæc scriberet, et poesin ex longo intervallo repetitam.

10. *Germana Tonantis progenies*, ut Calpurn. X, 21, de Baccho, *vera Jovis proles*: sed *Romana Tonantis* habent Vien. Bas. Ald. Plant. Pulm. idque germanum arbitror, ut Maxim. Herculium respiciat. Vid. præfat. nostr. sup. p. 294. Ed.

11. *Post viscera*, h. e. post partum, vel ab utero et nativitate. Vid. quæ notavimus ad Cyneg. v. 139: infra v. 88 *post membra* — Claudian. in Eutrop. I, 46: *Suscipiunt matris post viscera pœnæ*. Ed.

12. *In immensos* Pulm. cum aliis vet. quod mihi rectius videtur. — *Invictum robur in immensos æstus* est ita infatigabile, ut se in continuos motus laboresque det, quale hoc est Stat. Silv. IV, 4, 48: *magnos accinctus in ausus Fert animus quascumque vices*: Gesnerus *æstus* exponit labores et ærumnas, ut vocari solent, Herculis; sed *artus* vel *actus* conj. Heins. Eadem sententia utitur Mamertinus in Genethl. Maxim. Herc. cap. 2; simulque Olympium hinc ad Maximianum monet respicere: *vos*, inquit, *Diis esse genitos et numinibus quidem vestris, sed multo magis virtutibus approbatis, quarum infatigabiles motus et impetus ipsa vis divinitatis exercet*, etc. Vetus epigr. in Anthol. Lat. I, 37: *Te, precor, Alcide, sacris invicte periclis*: et invicti cognomentum quasi perpetuum esse Herculis, ibi notat Burm.

13. *Vacat*, sc. æstu vel labore; nec illud vacat æstu et ærumna, quod nasci tandem post magnas difficultates potuit, Junone artibus suis partum impediente: narrat hoc ipsa Alcmena apud Ovid. Metam. IX, 285.

16. *Cyrrhæe*, Apollo, a Cyrrha Phocidis, Phœbo devota, vid. Grat. v. 533. *Cyrrhæa* edit. vitiose. — *Tenerum resultans*, sonans, modulans, ut apud Calpurn. I, 29, *nihil armentale resultat.*

18. *Frondis amatæ*, lauri, in quam mutata est Daphne, Apollini amata. — Imitatus videtur Statium, qui Silv. V, 1, 135: *Tempus nunc ponere frondes, Phœbe, tuas mœstaque comam damnare cupressu*. Ed. — Ad similia dicta, quæ hoc carmen et Cynegeticon Olympii communia

Linque nemus, mollique exsutus tempora lauro
Populea mecum carmen luctare sub umbra.
Jam grave plus etiam, quam ventris tempora vellent,
Alcmenam tendebat onus; sed regia Juno
Impedit, et partus prohibet, nascique vetabat,
Ut metus ipse Deum monstret; nec vivida cæli
Semina mortales norunt sentire latebras,
Nec possunt sufferre moras. Datur inde novercæ
Materies, gravibusque odiis augmenta ministrat,
Quod vinci cœpisse pudet: mox improba binos
In tua membra jubet, dum nasceris, ire dracones.
Incumbunt celeres illi, squamosaque jussus
Armat colla furor: nec quamvis maxima tractu,
Tardantur spiris; sequitur pars cætera pectus:

habent, pertinet et hoc, quod poeta simili utrobique ratione, hic Apollinem, ibi Dianam invocat. Hic ait: *Pone habitum, quo mollis amas;* et in Cynegetic. vers. 88, *suetos sume habitus.*

19. *Mitique*, propter præced. *mollis*, conj. Heins.

20. *Populus Alcidæ gratissima.* Virg. Æn. VII, 61. — *Carmen luctare*, h. e. luctas fortiore et Herculi apto carmine decanta, sicut *carmen tenuare* apud Virgil. est res tenues modis exilibus canere. — Poetæ ipsi se dicunt facere, quod ab aliis factum describunt. Sic Lucilius Junior in Ætna, v. 21: *Quis non perjuræ doluit mendacia puppis?* Vid. Gronov. Diatr. in Stat. Silv. cap. 22. Ed. — Jubet vero hic poeta Apollinem Herculis laudes decantaturum ipsius Herculis habitum sumere, qui apud Statium, Silv. III, 1, 185, *Populea* movet *albentia tempora silva*, et ibidem Musæ socius fingitur grande carmen sonare, v. 50: *Dic, age, Calliope, socius tibi grande sonabit Alcides, tensoque modos imitabitur arcu.* Herculem Surrentinum Statii Olympius videtur ante oculos habuisse.

21. *Tempora ferrent* conj. Heins.

22. *Tendebat onus.* Alcmena ipsa apud Ovid. Metam. IX, 287: *Tendebat gravitas uterum mihi, quodque ferebam, Tantum erat.* Totum hunc locum respexit Nemesianus. — *Alcmena* Pulm.

24. *Metus ipse*, sc. Junonis monstrat, id quod parturiat Alcmena, Deum esse.

25. *Latebras*, sc. uteri materni.

27. *Alimenta ministrat*, conjicit Heinsius.

31. *Quamvis maxima tractu*, h. e. quamvis longissima traherentur colla, h. e. pectora, tamen celerrime volvebantur, ut in spiris, quamvis frequentibus, nulla mora esset. *Spatiosos tractus* Pythoni tribuit Claud. præfat. in Ruf. v. 7. — *Spiræ* hic conj. Heins.

Tristis Tartarea vibratur sibilus aura.
Morte rubent oculi, trifidisque horrentia linguis
Ora sonant, nigrumque fremens levat ira venenum.
Quid nunc invictis fraudes innectere fatis,
Cælicolum Regina, juvat? cur objicis angues?
Cur parvo geminos? anne unum posse necari
Jam strato Pythone times? Licet omnia mundi
Monstra voces, ipsamque armes serpentibus Hydram,
Defendet natura Deum, patremque probabit,
Quod non vis constare, Jovem. Jamque irrita tetri
Jussa parant implere angues, miseroque furore
In tua fata tument. Cernit tua membra petentes,
Horrescitque parens, numenque ignara creasse
Mortali pietate timet. Nil, sancta, superbæ
Pellicis insidias cælo modo freta tremiscas,
Neve hæc monstra tibi faciant, Alcmena, pavorem;
Sic mater potes esse Dei. Jam tolle serenum
Læta animum, tantoque libens hæc adspice vultu,
Ut deceat genuisse Jovem: depone timorem

34. *Morte rubent*, mortifero igne. Claud. de hystr. v. 7, *oculis rubet igneus ardor*.

35. *Pluit ira*, conj. Heins.

36. *Invitis fatis*, conj. Heins.

39. *Jam strato Pythone times*, h. e. an fortasse propter exemplum Pythonis, ab Apolline strati, jam times, ne anguis necari possit, si unum immittas.

42. *Quod novit*, Vien. Bas. Pul.

43. *Jussa implere* sequioris latinitatis formula. — *Misero furore*, vano et sine viribus. — Pro *miseroque*, *versoque* conjecit Heinsius.

46. *Materna pietate*. Cuj.—*Sancta* hic appellatur Alcmena, quasi in Deos relata; ut Tibull. II, 5, 43, de Ænea: *Illic sanctus eris*, etc.

47. *Pellicis insidias*. Videri quidem poeta potest, quo magis Herculem ejusque matrem extollat, Junonem velle deprimere, pellicem Alcmenæ nominando, quæ ipsa Alcmenam aliasque pellices suas appellare consueverat. Sed morem hunc fuisse Olympii, ut pellicem pro quavis æmula vel zelotypa poneret, e Cyneg. v. 17 intelligimus. — Quamquam etiam e Statio Theb. VII, 160, Junonem vocari pellicem, notavit ad eum locum Barthius, qua ipsa re auctor Laudum Herculis proditur Olympius, qui plura imitationis Statianæ exempla in Cynegetico et hoc in carmine dedit. Ed.

51. *Ut deceat genuisse Jovem*: ex-

Indignum partu, natumque exemplar habeto.
Cui metuis, nil ipse timet: nam lumine recto
Ridebas tu, Dive; truces animosque superbos
De genitore tenens, votisque aptissimus orbis
Gaudebas tantam jam tum meruisse novercam.
Corripis exiguis mox grandia guttura palmis,
Et quamvis teneris, cogens in brachia pondus,
Corripis, illidens prensos tellure dracones.
  Efferat ætherium quantum volet orbis in axem
Latoidas, verosque probet sua fabula Divos,
Quod Delo jam stare licet. Non æqua laborum
Gloria, nec parili serpentes sorte necarunt.
Illi unum ferro; geminos hic inermis, et unus.

plico cum Gesnero, ut Jovi decorum sit, ex te genuisse sibi filium. — *Tenuisse* Cuj. — *Jovi* conj. Gesn.

52. *Natumque exemplar habeto:* sic conjecit Heins. et Gesnerus recepit. Veteres *natum quæ exemplar habebas*.

53. *Lumine recto*, h. e. oculo irretorto, ut Horat. Carm. III, II, 23, exprimit; quod est imperterriti. Sic Stat. Theb. X, 537: *rectosque tenent in mœnia vultus, Immemores leti:* et apud Horatium, I, 3, 18, *rectis oculis* vult Bentl. Vet. edd. hic habent *numine... trucesque... tenes*. Heinsius emendavit, uti præeunte Gesnero dedimus.

55. *De genitore* pro genitoris, ut Cyneg. v. 17, *de pellicis astu*, et v. 183, *de frugibus escam:* dictio Afris scriptoribus usitata, de qua alias ad Pervigilium Ven. dicemus. — *Votis aptissimus orbis*, h. e. talis, qualem orbis terrarum optare sibi poterat.

57. *Exemplis* Cuj.

58. *Cogens in brachia pondus*, vim omnem et pondus sui corporis colligens in brachia. — Ammianus Marcellinus, XXIV, 5: *Repente in unum pondus coacta multitudo erupit.* Sic etiam auctor nuper editus carminis epici de expeditione Attilæ in Gallias, v. 985: *Dux totas fundens in brachia vires, Misit in adversum magna cum voce tridentem.* Nic. Heinsius ad Ovid. Her. IX, 86, hunc versum sic emendare voluit: *Et quamvis crebris cohibentes brachia nodis Porrigis.* Ed.

59. *Porrigis*, vel *projicis*, conj. Heins. — *Tellure* pro *telluri* more cadentis latinitatis, ipsiusque Nemesiani.

60. *Orbis* pro genere humano, ut v. 55. — *Latoidas*, Latonæ liberos, Apollinem et Dianam. Ambos ait Pythonem confecisse, quod alii soli Phœbo tribuunt.

62. *Delo* insulæ, quum ante fluxa vagaretur in mari, parituræ Latonæ a Neptuno concessum est, ut fixa staret eamque reciperet. Callim. in Del. 51, seq. Claud. IV, Cons. Hon. 133: *Hæsit Apollineo Delos Latonia partu.*

His cœptis non ulla parat cunabula partus
Diva tibi : sed quum totis jam bruma rigeret
Imbribus, et solidis hærerent flumina lymphis,
Nudum prægelidis durando firmat in undis.
Utque rudis primo tentasti robore gressus,
Frondosæ deserta vagus penetralia silvæ
Secura jam matre petis, telisque tremendis
Ludis, et ætherias adducto dejicis arcu
Aut funda violenter aves, noctemque sub astris
Exigis, et puram fractis bibis amnibus undam.
Immanem interea Nemeæ per lustra leonem
Ipsa Chimæræa cretum de gente noverca
In tua depastis armabat vota juvencis,
Augebatque fero vires, rabiemque juvabat,
Naturam minus esse putans. Heu quanta virorum
Funera! quam multos stravit cum dentibus apros!
Non illum magnæ viduatis mœnibus urbes

65. *Diva* est Alcmena, quam supra jam v. 46 *sanctam* vocavit. Heinsius conj. *Dive*, et ad Herculem trahit ; sed sic deficit nominativus, a quo pendeat *parat* et mox *firmat* : porro *motis jam* vult Heins.

67. *Hærentes glacie* fluvios etiam Claudius dixit, IV Consulat. Hon. 348. Gesn.

72. *Adducto arcu*, flexo et contracto ad jaculandum ; plenius Ovid. Met. I, 455 : *adducto flectentem cornua nervo*.

74. Pro *puram* Heins. *crudam*. — *Fractis amnibus*, ob glaciem. Claud. in Ruf. I, 312 : *cæsamque bibens Mæotida Alanus*.

76. *Chimæræa de gente*, maxime terribilem, quasi ex Chimæra ignivoma prognatum.

77. *In sua* vel *In tua* ... *fata* conj. Gesn.

79. *Naturam minus esse putans*, scilicet rabiem illi a natura insitam. Ed.

80. *Cum dentibus*, etiam ab his securus, quibus alias apri ipsis leonibus sunt terribiles. — *Stravit sementibus* vel *constravit messibus agros* conj. Heins. — Fortasse legendum *cum sentibus*, quia aprorum cubilia esse solent dumi et sentes. Vid. Grat. Cyneg. v. 49. Antonius *de Rooy* Spicileg. Crit. cap. 24, p. 172, corrigit *quam multos stravit sub dentibus armos*; ita ut *armi* capiantur pro totis armentis, quæ præcipua leonum præda. Ed.

81. *Viduatis mœnibus*, ita ut tota mœnia viduarentur incolis, in expeditionem et venatum exeuntibus. — *Montibus* Pul. et alii ante Claver. — Sic Statius, Silv. IV, 4, 14 : *Ardua jam densæ rarescunt mœnia*

Armorum fregere minis, martique domando
Assuetas morsu fudit graviore catervas.
Hunc gravis Eurystheus (nam, te quocumque levares,
Imperium duri voluit sufferre tyranni
Sic mundo fortuna favens) hunc sternere leto
Imperat. At nullum virtus reticenda per ævum,
Dignaque sidereos post membra intrare recessus
Posse mori quam vile putat; namque impiger ultro
Vadis, et immensæ scrutatus devia silvæ
In nova sanguineos armantem vulnera rictus,

* * *

Admonita feritate, juba, visuque cruentus

Romæ, quia multi in rus, urbe relicta, exeunt. Ed.

82. *Marti domando*, h. e. vincendo assuetas. *Martem domare* hic est pugna et armis vincere. Gesn.

84. *Te quocumque levares*. Quamcumque alte adscenderes gloria et rebus gerendis, tamen fatale erat, te Eurystheo parere. Hoc vero ipsum salutare fuit generi humano, quod sic liberabatur monstris. Gesn. — Conf. XXXVI, 378. Illud fatum nos docet Appollod. II, IV, 5, itemque, sed non sine interpolatione, *Tzetzes* ad Hesiod. Scutum Herc. 91. Breviter, juraverat Jupiter præceps (ut sunt in tali re reges) qui de Persei stirpe certo die nasceretur, illum Mycenis imperaturum. Gravida erat eodem tempore uxor Stheneli, qui Persei filius erat non minus quam Alcmenæ pater Electryon. Juno impedit legitimum partum Herculis, de quo v. 23, præcipitat nativitatem septimestris Eurysthei, etc. — *Moveres* conjicit Heinsius.

86. *Mundus*, ut supra v. 55 *orbis*, pro genere humano, antiquiores pro universi systemate, certe pro cælo ponunt.

88. *Post membra*, sc. deposita, et mortem obitam: *membra* serior latinitas pro compage mortalis corporis. Prudent. Cathem. IX, 16: *Corporis formam caduci, membra morti obnoxia*. — Sed plane ita Rusticus Elpidius de Christo Deo: ....*tu victor et hæres Corporis occidui, idem et post membra superstes, Post inferna Deus, et post mortalia vivus*. Ed.

89. *Putas* Pulm.

91. Desideratur hic verbum, a quo pendeat *armantem*, e. g. invenis, idque ab ipso auctore per negligentiam vel oblivionem omissum videtur: nam τὸ *vadis* conjungere cum *in armantem* non placet, idque ipsum sequitur v. 94, *invadis trepidum*. — Sensus non integer; sed unum aut duos versus hic deesse monent vet. edd. Ed.

92. *Admonita feritate*, h. e. postquam ipse leo se admonuit feritatis suæ, vel feritatem suam excitavit.

Excussis movet arma toris, dubiumque residens
Infremit. Invadis trepidum, solisque lacertis
Grandia corripiens eliso guttura morsu,
Imbellem fractis prosternis faucibus hostem.
Tunc et flavicomis radiantia tergora villis,
Ceu spolium fuso victor rapis: emicat omnis
In laudes mox turba tuas, longoque relicta
Currit in arva metu: juvat ire, et libera rura,
Defensosque videre locos, silvamque juvencis
Jam facilem, et nullis resonantes fletibus agros.
  Mænalium petis inde nemus, fletamque colonis
Arcadiam, et steriles raro jam robore silvas:
Namque hic immensa membrorum mole cruentus,
Indomitus regnabat aper, soloque tremendus
Corpore lunatis fundebat dentibus ornos,

Gratius in principio Halieut. dicit, natura animalia *admonuit sui*, ut vim et arma sua scirent. Expressisse poeta hoc et sqq. vers. Lucanum, lib. I, v. 206 sqq. videtur, quem locum interpretationis caussa adjicio: *Sic quum viso leo cominus hoste Subsedit dubius, totam dum colligit iram; Mox ubi se sævæ stimulavit verbere caudæ, Erexitque jubam, et vasto grave murmur hiatu Infremuit*, etc.

93. *Excussis movet.* Respexit Virgilium qui Æneid. lib. XII, versu 6: *Tum demum movet arma, leo, gaudetque comantes Excutiens cervice toros*. Ed.

94. *Tumidum* vult Cuj. *Solidisque* conj. Heins. — Iisdem fere verbis Prudent. Psychom. v. 589: *Invadit trepidam virtus fortissima duris Ulnarum nodis, obliso et gutture frangit Exsanguem siccamque gulam.* — Ad quem conferemus Virgilio Cacum, ab eodem Alcide interemptum, adumbranti, in loco notissimo, Æn. v. 259 et sqq. Ed.

95. *Eluso* conj. Heins. — *Guttura* de leone mihi exile et ἄκυρον videtur: etiam de angue utebatur supra v. 57, et de pisce in Halieut. alt. 104.

100. *Juvat ire.* Similis huic locus Statii Theb. I, 616, quem respexisse Noster videtur, ubi populi Argivi lætitiam ob prostratum a Corœbo monstrum exponit: *Juvat ire, et visere juxta*, etc. — Immo magis proposuit sibi locum Virgilii, qui ejusdem plane coloris est, Æn. II, 27: *Juvat ire, et Dorica castra, Desertosque videre locos, litusque relictum.* Ed.

103. *Fretamque* Cuj. et sane *fletam* ingratum ob præced. *fletibus*.

106. *Solidoque* conj. Heins.

107. *Lunatis*, h. e. curvis, et ipse dens apri *luna* vocatur a Calpurn. VI, 45. — *Fundebat*, dejiciebat, ut supra v. 98 *fuso*. Sed *findebat* Cuj.

Sternebatque suos lugentia rura colonos.
Horrebant trifidis nigrantia corpora setis,
Duratosque armos scopulis, totosque per artus
Difficilis potuisse mori. Non spicula in illum
Nodosumve rapis clavato pondere robur.
Armati viduatur honos: nec vulnera virtus
Extemplo tibi facta timet; jamque arripis ultro
Spumantem, cogisque diem sufferre tuendo,
Atque supinato mirantem lumine vinci
Argolici victor portas sub tecta tyranni.

108. *Sternebat*, ruebat ac vertebat rostro. Virgil. Ciris, v. 115: *Sternebat rura sagitta*. Ed.

109. In *trifidis* non cogitandum est de fissis aut divisis setis apri, sed *trifidum*, trisulcum, vocare poetæ solent, quod acutissimum est et acerrime pungit: sic *trifidæ linguæ* anguium, sup. v. 34, *trisulcæ* apud Claudianum in Ruf. I, 95. — *Horrebat rigidis nigrantia tergora setis*, et mox *tutosque per artus* conjicit Heinsius.

110. Hic legendum arbitror *duratus*. — *Scopulis* tamen quid hic velit, non satis capio: an forte *scapulis?* nisi fortasse hoc significat, a perpetua in scopulis et silicibus mora duritiem tergoris et corii traxisse. Deesse hic aliquid putat Cuj. sed subintellige *erat*. *Duratus*... *difficilis* erat. — Quando *duratum armos scopulis* dicit, exponendum hoc e Virgilio, qui Georg. III, 256, de apro: *fricat arbore costas, Atque hinc atque illinc humeros ad vulnera durat*. Ed.

111. *Difficilis potuisse mori*. *Potuisse* pro *posse*, infinitum autem Græca ratione positum. Sensus est: difficulter potest mori; vivax animal est, difficile ad interficiendum.

112. *Gravato* Vien. Bas. et aliæ, et nos in Claudiano nostro. Ed. *Gravidato* Claver. *Clavato* conj. Pul. et Heins. atque hoc rectum. — *Clavatum pondus* est massa in clavam formata.

113. *Viduatur honos*, h. e. tollitur, vel eximitur: qui armatus feram aggreditur, magna parte honoris sui privatur, quem multo majorem capit, si inermis. — Mihi autem rejecta hac annotatione, verba *Armati viduatur honos* sic exponenda arbitror: *Honos apri*, qui in ejus armis, vel ex armis est, *viduatur*, destituitur, vacuus, inanis redditur, quum iis nocere Herculi nequit. Sic Claudian. Bello Gildonico, versu 363 de leone: *dilapsus honos, cervice minaces Defluxere jubæ*. *Arma* sunt dentes, vel ungues ferarum. Stat. Theb. IX, 589: *Armaque curva suum*. Et vide supra versum 92. Ed.

114. Malim hic *sibi facta*.

115. Suillum genus magis etiam quam alia animalia humum spectat; in lustris delitescit et luto.

116. *Sup. lumine*, h. e. quum supinus imponeretur humero Herculis.

117. *Argolicus tyrannus*, Eurystheus. Deportatum aprum etiam

Fama celer toto victorem sparserat orbe,
Auxiliumque Dei poscebat Creta cruento
Victa malo : Taurus medio nam sidere Lunæ
Progenitus, Dictæa Jovis possederat arva.
Fulmen ab ore venit, flammisque furentibus ardet
Spiritus, et terram non cæli flamma perurit,
Sed flatus monstri; dextro jam Siria cessent
Sidera, Solque licet glaciali frigore victus
Abstrusum mundo claudat jubar, aurea condens
Lumina, et ignifluo stupefactus in orbe tepescat:
Æstus habet Cretam, pereunt silvæque, lacusque,
Graminaque, et fontes sacri, montesque perurit
Flamma ferox. Idam Superis spectantibus ignis
Dissipat, et magno cunabula grata Tonanti

Statius affirmat : *Captivumque suem mirantibus intulit Argis.* — Locus hic exstat in Theb. VIII, 751, ubi pleræque editiones legunt *clamantibus intulit Argis;* sed Sulpicius Severus in Dialog. de miraculis Martini ubi hunc versum recitat, *mirantibus*, sane melius. Ed.

120. De hoc versu vide præfat. pag. 290. Nemeæum leonem a quibusdam dici Luna genitum memorat Ælian. Hist. Anim. XII, 7 : de tauro Cretæo quis præter Olympium illud dixerit, ignoro; fundus tamen ejus fabulæ videtur esse, quod Lactantius ad Theb. V, 431, narrat, quum Minos sacrificaturus rogaret Jovem, ut ipse dignum aris suis hostiam præberet, hunc taurum subito apparuisse, nimio candore perfusum. Inde creditus est cælo decidisse.

122. *Fulmen ab ore venit:* expressit Ovid. Metam. III, 289, de apro Calyd. *Fulmen ab ore venit, frondes afflatibus ardent.* Ipse Olympius de equis, Cyneg. 255 : *Nec non terribiles, spirabile flumen, anheli Provolvunt flatus.*

124. *Dextro*, scil. latere mundi, nisi corruptum hoc verbum est; dextra Veteribus dicebantur borealia, et describitur hic tempus hiemale, quo sol nebulis et denso aere involutus tepescit. — Et tum *Siria sidera cessare dextro* dicuntur, quando Sol cum suo Sirio, vel qui maxime ardere in Sirio solet, de dextro latere abscessit, et in alterum vergit, hiemem efficiens. Ita Poeta liberari posse ab errore astrologico videtur, quem ei objicit Gesnerus, quamquam in hoc genere accurate dicta non solent a poetis veteribus exspectari. — Cæterum Heinsius hic tentabat *Sed flatus monstri teter.* Et Antonius *de Rooy* in Spicil. Crit. pag. 173 conjicit : *pestis jam Siria cesset Sidere*, ubi scilicet *pestis* pro *incendio* adhibetur. Ed.

127. *Ignifluus orbis* est ipsius Solis. — *Stupefactus* est torpens, languidus, quem Nemesianus in Cyneg.

Igne suum monstrum, si fas est dicere, vincit.
Tandem fama celer Dictæa ad litora magnum
Duxerat Alciden, quum Taurum dira minantem
Excipit, et sævum cornu, flammasque moventem
Corripit; atque artus constringens fortibus ulnis,
Ignifluos flatus animamque in pectore clausit.

v. 213 *attonitum orbem* dicit. Calpurn. Ecl. IV, 111, *stupefacta regerminat arbos.* — Sed hoc loco verbum *stupefacta* interpretari censuimus arida et exsucca, ob insequentem vocem *regerminat*, nec ideo hanc explicationem in hunc locum traximus. Ed.

137. *Animamque in pectore clausit.* Statius, Theb. IV, 828 sic: *tumidos animam angustavit in artus.* Suffocatus et enectus hoc loco taurus ab Hercule dicitur, quem alii narrant vivum ab eo in Græciam perductum. Vid. Schol. Stat. ad Theb. V, 431. Cæterum quum de XII vel XX adeo certaminibus Herculis tria modo poeta enarraverit hactenus, apparet nos tantum particulam ejus poematis habere. — De hoc carmine vide pag. 408 et seqq. vol. II nostri Claudiani. Ed.

FINIS PRIMÆ PARTIS

QUÆ WERNSDORFII TOMUS PRIMUS.

BUCOLICA ET IDYLLIA

TOMI PRIMI SECUNDA PARS

QUÆ

WERNSDORFII

TOMUS SECUNDUS

PRÆFATIO

AD SECUNDUM TOMUM

JO. CHR. WERNSDORFII.

PRODEUNT nunc ex eo ordine, quem in præfatione ad partem priorem, p. 5, constitui, poetæ, qui post Virgilii ætatem e Latina antiquitate supersunt, Bucolici. Hi quum ex diuturna et fere perpetua consuetudine prioribus editionibus conjuncti cum poetis rei venaticæ scriptoribus, prodiissent, nunc etiam digni videbantur, qui, venaticis tomo primo prolatis, proximum ab his tomum occuparent. Sed prodeunt nunc paullo, quam adhuc factum est, locupletiores, atque aliorum poetarum comitatu instructi, quamquam, hos volumine secundo edendos, prima in præfatione non promiseram, ac ne nominaveram quidem. Qua in re mutari aliquantum quæ prius institueram, nemo jure mirabitur : neque enim tanquam ex syngrapha, aut obsignatis tabulis, mecum agi velim, ut, quæ ibi scripserim, ea præstare omnia et dependere lectoribus, quasi ad præscriptum, debeam. Ordinem atque classes poetarum edendorum ita designavi, ut, si quid aliud deinceps, re melius judicata, placeret, id mihi liberum esse vellem. Et quemadmodum secundo

voluminì nunc addenda putavi carmina, quæ ei destinata prius non erant, ita sequentibus tomis futurum prævideo, ut nonnulla aliter collocare poemata, nonnulla etiam adhuc destinatis addere, certæ me rationes cogant.

Equidem Nemesianus, qui adhuc inter Bucolicos poetas numeratus est, hac in secunda parte non apparet : privandum enim eum duxi quatuor Eclogis, quas Calpurnio ereptas falso ei editores tantum non omnes tribuerant, unius ejusque interpolati codicis, quem vetusta editio Parmensis expresserat, auctoritate inducti, ut me idoneis argumentis in procemio demonstrasse arbitror : neque indigne hoc feret Olympius, quod eorum carminum, quæ asseruisse sibi longi temporis præscriptione videbatur, vindicias secundum Calpurnium dederim, quum eidem aliud poema, *Laudes Herculis*, quod supra, p. 296 hujus volum. adjunxi, quasi fugitivum et longo ex errore revocatum, legitimo restituerim domino (1). Idem tamen, qui

(1) Carmen hoc Maximiani Herculii gratia ab Olympio ætate jam provectiore susceptum esse, dixi in præfatione. Invitare tamen et exempla superiorum poetarum, qui idem tractaverant argumentum, potuerunt, et inter Latinos forte Cari Imperatoris, apud quem gratiosus fuerat, memoria cognominem ei Carum, antiquum poetam, suggerebat, quem de laudibus Herculis scripsisse testatur Ovidius, ex Pont. IV, 16, 17 :

Et qui Junonem læsisset in Hercule, Carus,
Junoni si jam non gener ille foret.

In Græcis, iisque antiquioribus, celebris maxime est Pisander, Camiro

colligendis Poetis minoribus hoc maxime specto, ut majorum præstantiorumque imitatores, et Romanæ poeseos per sequiores ætates quasi decursum et propagationem in ipsis carminum exemplis ostendam, Calpurnio qui post Virgilium in genere Bucolico fere solus legi dignus exstat, alios adjungere affinis argumenti conatus sum, ut seriem et quoddam quasi corpusculum facerem carminum Bucolicorum. Sed quos adjungere licuit, inferiores ætate et ingenio sunt Calpurnio, et neutiquam cum eo comparandi. Quo in loco observare mihi ad historiam poeseos bucolicæ declarandam liceat, in omni illo poetarum numero, qui sæculis inter Virgilii et Calpurnii ætatem interjectis vixerunt, quorumque nomina et carminum titulos, præsertim a Grammaticis veteribus memoratos, diligenter excussi, nullum omnino reperiri carminis Bucolici auctorem, cujus saltem nomen, nedum poema, exstet; post Calpurnium reperiri aliquos, sed eosdem parum elegantes et vix editione dignos. Mirum profecto est, principem vatum Romanorum Virgilium, cujus in vestigiis ingens poetarum numerus proximas per ætates incessit, habuisse quidem, qui maximum perfectissimumque opus, *divinam Æneida*,

Rhodi oriundus, qui Heracleam, sive Herculis acta, carmine persequutus est, memoraturque a Quintiliano, lib. X, 1, 56; a Stephano in Καμειρεύς· a Suida et aliis. De quo a Pisandro juniore, Larandensi, probe distinguendo, doctissime disputat Heynius vir ill. in Excurs. ad Virg. tom. II, p. 232 seq. et tom. IV, p. 235.

tentare, quamquam impari successu, vellent, quos hic nominare non necesse est: habuisse etiam, qui Georgica imitarentur, Columellam certe et Serenum, cujus fragmenta supersunt; sed qui tenuissima ejus poemata, Bucolica dico, prima illa magni ingenii experimenta, leviore opera exprimere cuperet, invenisse omnino neminem. Fortasse hic incusandus est fastus et luxus Romanus, qui quum summa quæque humanæ fortunæ fastigia, triumphos, ludorum publicorum apparatum, tectorum splendorem, et congestas in Urbem orbis terrarum opes videre consuevisset, et nihil nisi magnificum et deliciarum plenum amaret, fastidiebat tenue genus carminum, quod simplicem agrestium vitam et humiles casas pingere videretur; quandoquidem et Maronis Bucolica, quum primum prodirent, non usquequaque placuisse magnanimis Romuli nepotibus ferunt, repertos etiam, qui sermonem eorum ut rusticum et inficetum reprehenderent. Et tamen merebatur hoc genus carminis nonnullo in honore esse apud Romanos, qui a pastoribus et agrestibus, quorum ea carmina vitam et cultum pingunt, ipsi ortos esse majores suos scirent, et hujus originis caussa memoriam priscæ vitæ pastoritiæ quavis ratione, immo sacris etiam huc spectantibus, Palilibus, Lupercalibus, aliisque recolerent. Pauci fortasse, qui a strepitu et splendore Urbis in umbram et otium ruris secesserant, et rurales colebant Musas, inter cætera, quibus ruris delicias celebrarunt, car-

mina, hoc etiam Bucolicum attigerunt. Inter eos præcipue refero Septimium Serenum, quem quum plurimum vixisse in agris suis, et singula ruris opera carminibus decantasse Statius et Terentianus testentur, credere par est, inter Opuscula ruralia, quæ scripsit, etiam carmina pastorum lusisse. Quæ res me permovit maxime, ut, quæ Sereni esse perhibentur, poemata classi Bucolicorum atque huic sectioni adjungenda putarem. Referre huc etiam possum Annianum poetam, quem a multa ingenii amœnitate et literarum veterum peritia laudat A. Gellius, Noct. Attic. lib. VII, cap. 7, eumdemque in fundo suo, quem in agro Falisco possidebat, vindemiam hilare atque amœniter agitare solitum refert, lib. XX, cap. 8. Ex hac vindemia natos ei poetæ Fescenninos versus puto, quorum Ausonius meminit Idyll. XIII, in fine; quod genus carminis ut rudes et inconditos veterum agrestium jocos referebat, ita Annianum puto per eumdem morem subinde pastores veteres alternis canentes carmine Bucolico induxisse. Sereno et Anniano antiquior est Julius Montanus, Tiberii temporibus clarus, quem Seneca pater egregium poetam (Controvers. XVI), et Ovidius gemino carmine, hoc est heroicis versibus et elegis, nomen habuisse refert. (Ex Pont. lib. IV, 16, 12.) Quum adeo in eo genere varia edidisse poemata videatur, versus eos, quos Seneca philosophus recitat, Epist. 122, partem fuisse carminis Bucolici suspicor:

Jam sua pastores stabulis armenta locarunt,
Jam dare sopitis nox nigra silentia terris
Incipit (1).

Nec multum ab eo genere abfuisse Fontani poemata judico, quem Ovidius eodem loco testatur Naiadas a Satyris amatas cecinisse (2). Sed de his, quos hactenus nominavi, poetis, an vere scripserint Bucolica, quum eorum tituli non exstent, certo affirmari nequit. Solus igitur T. Calpurnius Siculus, post lon-

(1) Ex Augusteo etiam ævo huc referendus videtur L. Varius, Tragœdiarum quidem scriptor Virgilio et Horatio non semel laudatus, sed quem Porphyrio ad Horat. Carm. lib. I, od. 6, Virgilii contubernalem vocat, et Eclogas insuper scripsisse ait; tum T. Valgius Rufus, quem Horatius, Sat. I, x, 82, inter poetas ævi sui celebriores refert, et Tibullus, IV, 1, 180, ut Homero proximum laudat. Hunc Bucolica scripsisse, Junius Philargyrius indicare videtur ad Georg. III, 176, ubi binos ejus versiculos ex lusu aliquo pastorali laudat: *Legitur et* mulgaria, *ut Valgius ait:*

Sed nos ante casam tepidi mulgaria lactis,
Et sinum vini cessamus ponere Baccho.

Ex eodem ævo M. Val. Messalam carmina pastorum scripsisse testatur auctor Elegiæ ad Messalam, ita de iis memorans versu 17:

Molliter hic viridi patulæ sub tegmine quercus
Mœris pastores et Melibœus erant:
Dulcia jactantes alterno carmina versu,
Qualia Trinacriæ doctus amat juvenis.

(2) Sic etiam Casaubonus judicat de Rom. Sat. lib. II, cap. 4, *Fontanum* existimans *vel Bucolica, vel aliud quoddam rusticæ Camenæ genus composuisse.* E Domitiani ævo huc forte referas Julium Cerealem, quem Martialis innuit, præter Gigantomachiam, Bucolica aut Georgica scripsisse lib. XI, ep. LIII, 17: *Ipse tuos nobis relegas licet usque Gigantas, Rura vel æterno proxima Virgilio.*

gum a Virgilio intervallum, hoc poematis genus, nec infelici successu repetiit, qui patriæ suæ honore excitatus videtur, ut Sicelidas Musas singulari studio coleret. Hujus exemplo aliquantum revixit usus carminis pastoralis, et plures post Calpurnium, e Christianis maxime, exstiterunt, qui illud usurpare auderent, quamquam, ut exspectari a sera ista ætate poterat, non magna elegantiæ et ingenii commendatione. Crebrioris hujus usus duas maxime caussas reperio : una in deficiente sequioris ævi arte et judicio quærenda est, cui facilis elaboratio carminis bucolici videbatur; altera in quodam sermonis Christianis usitati genere, huic carmini valde accommodato. Etsi enim nihil difficilius, nec ab inficetis barbari sæculi ingeniis magis remotum videri poterat, quam ingenuam simplicitatem illam carminis bucolici, cujus exemplum Theocritus et Virgilius dederant, exprimere; ubi tamen serior ætas recto priscæ poeseos gustu amisso falsam carminis illius ideam amplexa est, ut ad illud pertinere crederet, quidquid omnino rus et rusticitatem oleret, tum pastorale carmen magis arridere indocto sæculo cœpit, quod humilitas argumenti, obvia rerum rusticarum materia, tenuitas sermonis, quibusque patere ingeniis, et accommodata etiam corrupto pejoris ævi sermoni videretur. Apta præterea et accommodata huic generi videbatur illa, qua Christiani consueverant cœtus sacros eorumque præsides designare, imago gregum, pastorum,

pascuorum, quæ sane ratio ordinis sacri viros, apud quos literarum aliquod et poeseos studium remanserat, invitabat, ut res ecclesiæ doctorumque ejus subinde carmine pastorali enarrare tentarent. Itaque videmus, ab ævi citerioris poetis non raro ejus generis carmina usurpata esse, qui tamen veram et antiquam ejus formam non alia re, quam rustici operis adumbratione, pastorum nominibus et colloquiis inducendis, denique aliqua Virgilianæ dictionis usurpatione, aut centonibus adeo Virgilianis sciverunt assequi. Ut paucos tantum sequioris ævi qui pastorale carmen tentarunt, præter eos quorum carmina hoc volumine proponuntur, memorem, Pomponium quemdam, Isidorus scribit, Orig. lib. I, c. 38, e poemate Virgilii Tityrum in Christi honorem composuisse, quod poema bucolicum fuisse, ipse titulus indicat. Citerii Sidonii Syracusani, Grammatici Burdigalensis, epigramma de tribus pastoribus hoc volumine produximus : quem quum carminibus pangendis celebrem fuisse Ausonius memoret in Profess. XIII, credibile est, præcipue ei placuisse carmen bucolicum, cujus studium a patriæ suæ, quam communem cum Calpurnio habuit, amore accepisse, et ipso epigrammatis, quod diximus, argumento prodidisse videtur (1). Pomponii quidem

(1) Idem fortasse Sidonius Grammaticus est, cujus fragmentum de Vocibus animantum in Glossis MSS legebatur, quæ apud Boxhornium erant, ut ipse in notis ad Plauti Menæchm. p. 565 testatur. Si Sidonii hujus fuerit expositio ea vocum, licebit etiam carmen de Vocibus avium

illius, et hujus Sidonii carmina interierunt; eorum tamen exemplo plures ea ætate idem argumentum attigisse, quorum memoria interierit, vix dubitare licet. E sæculo P. C. N. IX exstat Paschasii Radberti Ecloga in mortem S. Adalhardi, Abbatis Corbeiensis, quæ vitæ hujus Adalhardi, a Paschasio scriptæ, annexa legitur in Actis Sanctorum Ord. S. Benedicti, a Luc. *d'Achery* et Jo. Mabillonio editis, Sæc. IV, P. I, p. 340. Sed hæc Ecloga præter usurpata a veteribus Bucolicis nomina Galateæ et Phyllidis, quibus duæ Corbeiæ videntur designari, præterque allusiones quasdam ad vitam pastoritiam et versus Virgilianos, nihil habet genio carminis bucolici simile, contra multis vitiis sermonis et metri scatet. Sacro argumento hoc carmen sæculo X accommodabat Theodulus, qui Ecloga satis longa Pseustin, Alithiam et Phronesin, tanquam pastores, inducens certantes, comparatis inter se historiis et miraculis Vet. Testam. cum veterum poetarum fabulis, declarare, nescio quo argumento, doctrinæ Christianæ veritatem voluit. Etsi in hoc poemate nihil fere ingenii, parum artis et doctrinæ inest, mirum tamen, quo assensu et studio exce-

et quadrupedum, quod a Burmanno, Anthol. Lat. lib. V, n. 143, et ante hunc sæpius sub titulo *Elegia de Philomela* inter pseudepigrapha Ovidii editum est, eidem Sidonio tribuere. Certe Vossio etiam visum est, lib. I de vit. serm. cap. 14, auctorem ejus Grammaticum utcumque veterem esse. Ex eodem Sidonio de Vocibus animalium quædam habuit Ugotionis vocabularium MS edita a Cangio in Gloss. med. latin. v. *baulare*.

ptum lectumque sit obscura illa recentiorum sæculorum ætate, qua bonarum literarum et præstantiorum auctorum honos jacebat. Testatur id frequentia codicum, tum manu exaratorum, tum prelo sub ipsis typographiæ initiis impressorum, qui passim in bibliothecis publicis inveniuntur, et amplissimis variorum auctorum commentariis instructi sunt (1). Sed contigisse is honor ei carmini videtur, quod præcipua mythologiæ et veteris historiæ, tum sacræ, tum profanæ, capita contineret, quibus explicandis occasio esset magistris scholarum, juventutem variarum rerum notitia, quasi e compendio, imbuendi. Quum post duo amplius sæcula, præter M. H. Goldastum, qui Enchiridio Biblico, Francof. an. 1620 edito, inseruit, nemo repertus esset, qui Eclogam Theoduli, quondam in umbra scholarum et obscuri ævi tenebris sepultam, in publicam eruditorum lucem revocaret, bene de hoc scriptore meruit vir clariss. I. G. S. *Schwabe*, qui anno 1773 novam ejus poematis editionem procuravit. Majore adhuc studio, sed non feliciore successu, hoc carminum genus amplexus est Metellus, Tegerseensis monachus, sæculo XII vivens.

(1) Jam Vincentius Bellovacensis, qui anno Christi 1250 scripsit, Theoduli versus : *Æthiopum terras*, etc. citat libro XXVIII, cap. 30 Speculi Naturæ. Etiam Eberhardus Betuniensis scriptor sæculi XIII, in Labyrintho, tractatu III, v. 7, apud Leyserum, Hist. Poet. medii ævi, pag. 825, Theodulum inter poetas qui sua ætate in scholis lecti sunt nominat. Ed.

Hic præter carmina lyrica *de vita et laudibus S. Quirini*, Eclogas X ejusdem fere argumenti scripsit, appellavitque Quirinalia, in quibus sibi visus est ipsum Virgilium imitari, tum Eclogarum numero, tum versibus et hemistichiis Virgilii usurpatis, sed ipso carminis bucolici sensu et intelligentia plane caruit: nihil enim huic simile ejus Eclogæ habent, nisi quod pastores, quorum nomina e Maronis Bucolicis mutuatur, de vaccis, buculis et vitulis S. Quirino votis vel donatis, aut aliquo morbo afflictis, sermones instituunt versibus leoninis, et frequentia in iis miracula a S. Quirino facta memorant. Edidit Quirinalia Henr. Canisius in Lect. Antiquis, t. I, Append. p. 35, et repetita auctaque harum editione Jac. Basnagius, t. III, Part. II, p. 179. Medii ævi poema bucolicum e MS codice allegat Janus Vlitius, Comment. ad Gratii Cyneg. v. 203, idque in Galliis ante aliquot sæcula conditum fuisse certis argumentis sibi persuadet. Quod illius bucolici apospasmation producit, nævis quidem et sordibus inquinatioris sermonis sæculum recens et ignobile prodit, attamen ineptiis monachorum caret, quæ in Eclogis hactenus memoratis observantur, et sermonem de rebus ad vitam rusticam et pastoritiam pertinentibus continet. Unde rectius, quam alia, meruisset inter imitamenta veteris bucolici recentiora referri, siquidem Vlitio placuisset id totum ex veteri codice describere. Nunc quum meliora vix suppeterent ex sequiore ævo carmina ad classem Bucolicorum

referenda, illis quidem Severi Sancti, Vespæ et Bedæ contentus fui, quod et aliquam bucolici carminis similitudinem tenerent, et dudum a Petro Pithœo inter antiqua poematia relata essent. Quæ de iis scriptoribus digna memoratu erant, exposui in proœmio ipsis Bucolicis præmisso.

Ad Calpurnium, qui primarius hujus classis poeta est, singularem operam et præcipuum studium contuli, idque maxime elaboravi, ut quam plurimis rebus ornatus, et idoneis ad legendum intelligendumque præsidiis instructus compareret. Quæ igitur in præfatione, p. 13 seqq. de Gratio et Nemesiano, et de ratione, quam iis interpretandis adhibuerim, professus sum, eadem de Calpurnio dicta volo. In variantium lectionum hujus poetæ texto subjectarum collectione id simul operam dedi, ut Virgilii et aliorum poetarum locos insererem, quos ille frequens vetustiorum imitator expressisse, saltem respexisse videretur. Qui quoniam sæpe et vim declarandi sensus habent, hinc subinde factum est, ut eosdem in annotationibus, eorum caussa lectorum, qui has solas consulunt, repeterem (1). Etsi Calpurnius tot numero interpretes, tot viros doctos qui emendarent, nactus est, ut videri possit, quantum vix alius poetarum, castigatus; si qui tamen conferre pristinis quæ ipse huic auctori

(1) Nos vero qui id curavimus, ut cum animadversionibus variæ lectiones conjunctæ iis tantum submitterentur, harum repetitionum, quæ inutiles visæ sunt, fastidio lectorem liberavimus. Ed.

commodavi, velint, forte non inanem abs me operam datam esse, æqui et intelligentes arbitri fatebuntur. Quibus tamen hoc loco factum meum excusandum puto, quod in recensendo eo subinde contrariam prioribus viam ingressus sim, et, quæ illi tanquam vitiosa, ingenio et conjectura emendanda duxerint, hæc ego revocare in contextum et restituere auctori, certe non mutare vel corrigere, voluerim: etenim multo ex usu Calpurnii, et veterum exemplarium quæ mihi licuit inspicere, collatione didici, nonnulla ejus poetæ loca quæ mendo laborare interpretibus visa sunt, ab ipso auctore, vel per negligentiam, vel consulto relicta esse, ut inscitum et agrestem pastorum sermonem exprimere videretur; tum vero inesse ejus orationi nævos quosdam corruptioris eo ævo latinitatis, quos docti viri pro mendis codicum et librariorum hallucinationibus perperam habuerint. Ego vero qui Critici in recensendo scriptore officium vel præcipuum judico, non quid ille ex regulis linguæ et melioris more ætatis potuerit vel debuerit scribere, sed quid ipse scripserit, videre, quique emendandi per conjecturam Veterum loca, quæ mendosa videntur, licentiam non modo infinitam semperque dubiam, sed perniciosam etiam integritati auctoris censeo, nisi certa meliorum codicum scriptura, tanquam auctoritate, regatur; satius putavi, lectionem quæ plurimorum codicum consensu firmaretur, quantumvis insolentem vel mendosam, poetæ non emen-

datissime loquenti, tanquam suum sermonem restituere, quam, eo ad legem melioris ævi refingendo, poetam exsulem suæ ætatis facere. Hæc quum certo judicio me fecisse credam, nemo, ut equidem spero, indignabitur, quod subinde desertis superiorum interpretum emendationibus, reliquerim nævos quosdam sermonis alicubi occurrentes, neque tam comptum et elegantem quam isti quidem, poetam facere Calpurnium voluerim. Si qui nihilominus contendant, ita destitutum abs me poetam, nec justam ei castigando operam navatam esse, his a me credo satis fieri, recensendis ubique tum variationibus codicum, tum conjecturis, quæ quidem reperire potui, aliorum et meis, ut inde materiam emendandi et castigandi sumant ipsi et constituant, quod optimum et auctori aptissimum judicent. Quod si quidam et feliciore ingenio et majore arte his in rebus utantur, et meliora quam ipse potuerim, emendandis Calpurnii locis afferre sciant, horum ego et scientiam admirabor, et inventis applaudam liberaliter; id tantum rogo, ne a me postulent, ut pro vera ipsius auctoris scriptura habeam, quod illi forte scriptum ab eo aut scribendum, ingenio suo repererint.

Quum Calpurnii Bucolica, et quæ his affinia poemata addidi, minora viderentur, quam quæ implere secundum hoc volumen iis destinatum, possent, adjungenda iis putavi Idyllia, quæ ex antiquitate reperta commode hoc nomine possent appellari, quando-

quidem Theocritus etiam Idyllia sua cum Bucolicis ita conjunxit, ut ne nomine quidem distingueret. Appellari autem Græcis Idyllia puto, quæ Romanis Opuscula dicta sunt, qualia a Cassio Parmensi scripta Horatius, et a Septimio Sereno Terentianus Maurus testatur. Quamquam, quod genus carminis proprie eo nomine appellatur, non satis exploratum est, ipsa tamen vocabuli significatio eo ducere videtur, ut poematium intelligamus, quod rei aut facti alicujus singularis speciem, formam, et narrationem contineat. Opuscula ruralia Septimii Sereni, quæ Terentianus et Nonius Marcellus laudant, singula rusticationis opera singulis carminibus describebant, cujus argumenti quum præcipue sit antiquum illud poematium, quod Moretum inscribitur, plerique illud viri docti Sereno putarunt attribuendum. Aptum igitur inprimis videbatur, quod et Idylliis accenserem, et Bucolicis subjungerem, quum aliud Moretum, a Suevio, antiquiore poeta, scriptum Idyllii nomine a Macrobio Saturn. lib. II, cap. 14, diserte nuncupetur. Quum Septimius Serenus hujus poematii caussa inter Poetas minores abs me illustrandos receptus esset, instituti mei lex quam in præfatione prima, sup. p. 5, aperui, postulabat, ut reliqua Opuscul. ejus ruralium, quæ ab antiquis scriptoribus produntur, fragmenta, quamquam ex lyrico pleraque genere, huc conferrem. Propter insignem famam, qua Serenus et carmina ejus apud Veteres clarent, potest hoc meæ vel curio-

sitati vel diligentiæ concedi, quod omnia fragmenta carminum ejus conquirere studiose, et bono ordine digerere, et illustrare opera non defunctoria voluerim. In eumdem ordinem referre placuit incerti auctoris Copam, Ausonii Cupidinem cruciatum, et Cassii Parmensis Orpheum, quæ et formam Idylliorum habere, et celebratiora ejus nominis esse videbantur, et dudum seorsum edita ab aliis erant. De singulis quæ tenenda sint, aperio in proœmio.

Quum præterea alia nonnulla vetustatis Romanæ carmina restarent, Idylliorum nomine digna, quæ tamen ob argumentum vel metrum commode possent alio loco atque ordine proferri, malui hic aliquem locum selectis tribus Idylliis poetæ concedere, quem integrum vix sperabam posse me cum aliquo legentium fructu in hanc poetarum syllogen recipere. Est is Publilius Optatianus Porphyrius, cujus quædam carminum minorum congeries, sub titulo Panegyrici Constantino M. dicti, exstat. Pithœus hoc opus inter poematia vetera retulit, et propter argumentum a nobis tomo V proferendum erat. Sed sunt ea carmina Publilii singulari et difficili artificio molesta, inprimisque literarum positione et figuris lineas versusque intersecantibus ita perplexa et districta, ut vix intelligi, nedum placere, sanæ poeseos existimatoribus possint. Itaque, si obscura hæc et nugatoria carmina meæ inserere collectioni vellem, rem me facturum prævidebam, quæ nec usum ullum, nec gratiam ha-

bitura esset. Quoniam vero locum in poetis minoribus obtinet Porphyrius, neque excludi eorum societate totus potest, satis facere ei hactenus volui, ut, quæ in ejus carminibus occurrunt tria Idyllia figurata, huc referrem, quæ præstantiora cæteris ejus lusibus sunt, et ab exemplo Græcæ antiquitatis aliquam commendationem habent.

Absoluto hoc tanquam curriculo veterum poematum, quod secundi voluminis orbe definivimus, propediem tertio tomo alios prodire poetarum ordines jubebimus: primo quidem, Satyricos minores, in quo Val. Cato, Petronius, Turnus, Sulpicia, Eucheria et Cl. Marius Victor comparebunt; tum Elegiæ diversorum auctorum et temporum; denique Lyrica varii generis, et in his præcipue edita a Casp. Barthio Vestritii Spurinnæ fragmenta, cum Pervigilio Veneris, producentur (1). De singulis ita mereri studebimus, ut rei simul literariæ emolumento pro virili parte serviisse videamur. Scribebam Helmstadii, in Academia Julia Carolina, a. d. XXV Febr. MDCCLXXX.

(1) Vid. sup. p. 5, qualem huic Editioni nostræ divisionem et poematum ordinem assignaverimus. Ed.

T. CALPURNII

SICULI

ECLOGÆ XI

QUIBUS EX SEQUIORE ÆVO

ACCEDUNT

SEVERI SANCTI CARMEN BUCOLICUM

VESPÆ ET BEDÆ

ECLOGÆ

I.

DE T. CALPURNIO SICULO

EJUSQUE

ECLOGIS.

Calpurnii, qui vitiose a quibusdam Calphurnius scribitur, ætas nullo quidem Veterum testimonio satis certo declaratur; potest tamen ex ejus Eclogis probabiliter colligi, floruisse eum M. Aurelio Caro ejusque filiis imperantibus, fuisseque adeo æqualem Olympii Nemesiani. Id paullo luculentius, quam hactenus factum est, demonstrare annisus sum in argumento ad Eclogam I et VII. Caii prænomen ei tribuunt editio princeps Romana, et quæ eam sequitur Ascensiana, cum MS codice Vossiano; reliquæ omnes Titi. Julium Calpurnium vocarunt quidam eruditi (1), nescio qua ratione inducti; sed improbat Casp. Barthius, Advers. lib. XLIII, c. 4 (2). Quamquam enim non insolens est, sequiore præsertim ævo, duo conjungi gentilia nomina, et

(1) Gyraldus, de Poet. hist. dial. IV; J. A. Fabricius, Bibl. Lat. t. I, p. 544; P. Burmannus, præf. ad Poet. min. p. 39.

(2) Idem tamen, quod improbaverat ante, alio loco, nempe lib. XLIX, cap. 14, satis audacter asserit, et Calpurnium scribit in omnibus libris Julium appellari. Ego contra affirmare possum, nullo in libro me illud nomen invenisse. — Exstitisse tamen codices antiquos, in quibus Julius vocaretur Calpurnius probare videtur liber MS Jacobi de Cesollis, qui in Bibliotheca Ducali Guelferbytana servatur, ubi, loco eo quem infra inter testimonia de Calpurnio attulimus, Julius Scalpurius nominatur. Ed.

Junium Calpurnium Vopiscus in Caro refert epistolam de hujus Imperatoris obitu ad Præfectum Urbis scripsisse, ubi quidam MSS Julium nominant, hoc ipsum tamen in dubio est, an Julius iste Calpurnius poeta noster habendus sit, et, quorum auctoritas hic maxime sequenda est, vetustiorum Calpurnii exemplarium nullum, quod sciam, Julii nomen præfert. Exstant e gente Calpurnia plures, qui scriptis ad nostram memoriam servatis inclaruerunt, et discernendi ab hoc poeta sunt. Calpurnius Flaccus excerptas rhetorum minorum declamationes reliquit; Calpurnium Bassum quidam nominant commentarii in Aratea Germanici auctorem; et alius poeta Calpurnius, qui, nescio an pro Nostro haberi possit, comœdiam *Phronesin*, teste Fulgentio Planciade, de prisco sermone verb. *Nasiterna*, scripsit (1).

Additum Calpurnio cognomentum Siculi, quod in plerisque exemplaribus vetustis legitur, non puto soli librariorum conjecturæ de patria poetæ deberi, sed antiquum et ab ipso auctore profectum esse. Sic et alii solebant ejus ætatis scriptores patriæ suæ nomen addere, ut Flavius Vopiscus Syracusius, et Citerius Siculus Syracusanus, Grammaticus Burdigalensis, cujus epigramma de tribus pastoribus exstat. Barthius tamen l. c. putat id profectum esse a librariis, qui Siciliam Calpurnii patriam collegerint ex his versibus Ecl. IV, 62:

> Tityrus hanc habuit, cecinit qui primus in istis
> Montibus Hyblæa modulabile carmen avena.

Nam quum ibi profiteatur Calpurnius se carmen bucolicum a Virgilio accepisse, idque dicat *Hyblæa modulabile avena*, et in istis montibus cantatum, hinc librariis putat opinionem de Sicilia Calpurnii patria subnatam. Ego vero rationem istam me non assequi fateor: etenim Hyblæa avena modulabile perinde dixit carmen bucolicum, ut Virgilius

(1) Alius poetæ Calpurnii Pisonis recitationem memorat Plinius, Epist. V, 17. Ed.

Syracosios versus et Musas Sicelidas, respiciens ad Theocritum, carminis bucolici principem. Propius vero est, quod Vlitius existimavit, prima annotatione ad Nemesiani Cynegeticon, ex versu 59 Eclogæ IX, quæ vulgo Nemesiano tribuitur, Siciliam Calpurnii patriam intelligi, quod Erycinam Venerem *nostram Dionen* vocet:

....................et nostra Dione,
Quæ juga celsa tenes Erycis.

Sed idem argumentum non satis firmum est, siquidem pastorem Siculum, non ipsum poetam in ejus persona, loqui existimemus. Nobis ad patriam Calpurnii designandam sufficit, eum perpetuo Siculum appellari, neque adesse indicia e quibus aliunde ortum fuisse colligamus. Quod vero Barthius Romanum fuisse Calpurnium, aut e pago Romæ propinquo oriundum, suspicatur, id tam frivola ratione e versibus supra allegatis conjicit, ut vix opus esse aliqua refutatione videatur. Vixisse aliquandiu Romæ et carmina composuisse, fortasse colligas ex istis; at, natum ibi esse, minime poteris.

Quod genus vitæ Nostri, quæ conditio et fortuna fuerit, harum rerum nihil quidem ex aliis scriptoribus, pauca tamen ex ipsius Eclogis, et subobscure quidem, possunt intelligi: etenim quibus allegoriis et nominum personarumque significationibus veteres Grammatici putaverunt Virgilium in Bucolicis suam fortunam adumbrasse, iis etiam Calpurnium videmus usum esse, ut vitæ suæ fata lectoribus insinuaret. Tityri et Corydonis nomine Virgilius creditus est se et res suas significasse (1); similiter Calpurnius sub persona Corydonis se loquentem inducere, et pleraque fata sua enarrare videtur Ecloga I, IV et VII; in octava Tityri nomen assumere, quod jam feliciorem statum rerum suarum nactus Tityro Virgiliano similis videretur. Cæsarem Impe-

(1) Quam rem ex Veterum quibusdam locis demonstravit Chr. Gottl. Heynius, vir ill. ad Donati Vitam Virg. p. 122, et in argumento Ecl. I.

ratorem Deum suum vocat; in Meliboei persona sibi Mæcenatem Virgilianum fingit, præsertim Ecloga IV, ubi plura vitæ suæ fata narrans inter alia confitetur, diu se luctatum cum paupertate et inopia rei familiaris, statutumque apud se habuisse, vitæ caussa tenuiter sustentandæ in Hispaniam, vel ultimas abire terras; sed revocatum a Melibœo, et benigne habitum, et lautiore in re collocatum esse. Neque obscure significat, se Romæ tandem munus aliquod in aula Imperatoris nactum esse, patrocinante Melibœo : quam fortunam Amaryllidis Virgilianæ nomine, ex opinione Grammaticorum, designat. Sic enim ille, Ecloga IV, v. 31, ad Melibœum :

..............Certe ne fraga rubosque
Colligerem, viridique famem solarer hibisco,
Tu facis, et tua nos alit indulgentia farre.
....
Per te secura saturi recubamus in umbra,
Et fruimur silvis Amaryllidos, ultima nuper
Litora terrarum, nisi tu, Melibœe, fuisses,
Ultima visuri, etc. (1).

Sub Meliboei nomine Olympium Nemesianum poetam intelligendum, vulgaris opinio est. Sed hoc mihi admodum dubium videtur, et tantum librariorum vel Grammaticorum quorumdam recentiorum conjecturæ deberi, qua inducti etiam dedicatas Nemesiano Eclogas Calpurnii crediderunt. Calpurnius ipse Melibœum ut magistratu illustri functum et auctoritate pollentem virum suis carminibus describit, qualem Nemesianum fuisse Vopiscus, qui ejus poesin tantum laudat, nullo verbo indicat. Existimaverim potius præfectum aliquem Urbis, aut Magistrum Officiorum, eo tempore magistratu functum intelligi, qui pro gesti muneris facultate potuerit Calpurnium beneficiis iis, quæ ipse præ-

(1) Hujus loci inprimis notentur verba *tua nos alit indulgentia farre* : nam his significari annonam publice præbitam, et munus publicum delatum Calpurnio, auctore Melibœo, vix mihi dubium videtur. Ed.

dicat, ornare. Frequentes Romæ fuisse ætate Calpurnii et Nemesiani agones et commissiones poetarum, tomi hujus procemio, p. 20 et seqq. in vita Nemesiani ex ipsis Calpurnii Eclogis probavimus, unde, floruisse ibidem studia literarum, et magistratus summos, Romæ degentes, qui literas amarent, et oratores poetasque publice recitantes audirent, solitos esse, quos præcipue probarent, ad honores et officia aulica provehere, tuto colligitur. Melibœum, quem Calpurnius sæpe se et alios benigne audivisse memorat, ex istis magistratibus fuisse non dubito; et si accuratius, quæ ille de Melibœo dicit, considero, Magistrum Officiorum puto eo nomine indicari. Fortasse unus hic locus id satis probaverit, Ecl. IV, 158:

> Fer, Melibœe, Deo mea carmina; nam tibi fas est
> Sacra Palatini penetralia visere Phœbi.

Per Palatinum Phœbum intelligendum esse Cæsarem in Palatio habitantem, dubio caret. Sed qui curam Palatii et jus Cæsaris adeundi haberet, is præcipue Magister Officiorum fuit. Egerunt de eo magistratu inprimis Gutherius, de Offic. dom. Aug. lib. II, cap. 20; Pancirolus, comment. ad Not. dign. imp. cap. 62, et, ex quo illi plurima ducunt, Cassiodorus, Variar. lib. VI, epist. 6. Ex his intelligimus, totius Palatii curam ad Magistrum Officiorum pertinuisse, omnesque Scholarum ordines et Officia in Palatio militantium ejus imperio paruisse. Unde *Magister Palatinus* a Sidonio, lib. I, epist. 3; *Magister regia tecta regens officiis* a Rutilio, Numat. Itin. lib. I, 563, et ἡγεμὼν τῶν ἐν τῇ αὐλῇ τάξεων a Zosimo, lib. II, c. 25, vocatur. Hic Imperatori assidue præsto erat; sub ejus cura erant memoriales omnes, scrinia epistolarum et libellorum, admissionum denique officia. Proinde si Calpurnius, beneficium aliquod petiturus, admitti ad Cæsarem, aut libellum ei supplicem tradere, aut carminibus suis tradendis Cæsari commendari voluit, nullum adhibere magis idoneum ei negotio patronum potuit, quam Magistrum

Officiorum. Possunt præterea perquam commode ad hunc magistratum referri, quæ Calpurnius passim de Melibœo prædicat. Variam ejus eruditionem laudat Ecl. IV, 53, juris scientiam et justitiæ æquitatisque studium, in epitaphio, Ecl. VIII, 51, seqq. (vid. sup. pag. 23):

............Plenum tibi ponderis æqui
Pectus erat: tu ruricolum discernere lites
Adsueras, varias patiens mulcendo querelas.
Sub te ruris amor, sub te reverentia justi
Floruit; ambiguos signavit terminus agros.

Optime hæc conveniunt in Magistrum Officiorum, cujus dignitas, ut supra memorati scriptores docent, Jurisconsulto aut Philosopho deferri solita, quemque dicunt disciplinam et mores totius Palatii rexisse, variaque exercuisse judicia, in Officiales maxime, Cubicularios, Scholares, tum vero appellationes omnes a limitaneis Ducibus, vel Comitibus, communi audientia proposita in sacro Auditorio, una cum Quæstore Palatii, more consultationum judicasse. Cassiodorus inter alia dicit, eum *peræquatores etiam victualium rerum in urbe regia propria voluntate constituere*, de quo præcipue intelligenda videntur verba: *Plenum tibi ponderis æqui Pectus erat.* Et quando Gutherius monet, sub Magistro Officiorum agros limitaneos fuisse, nescio an huc referendum sit illud: *ambiguos signavit terminus agros:* nam quum agrorum istorum pensitatione alendi essent milites in limitibus excubantes, essentque illi propterea censendi, dividendi, assignandi cultoribus, dubium non est, quin sæpe controversia de finibus agrorum orta dirimenda fuerit Magistri Officiorum judicio, et legitimus agro ambiguo terminus constituendus. Sufficere hæc puto ad intelligendum sub nomine Melibœi Magistrum Officiorum laudari. Eminentem ejus magistratus dignitatem ipso nomine Melibœi signavit Calpurnius, si Kempheri conjectura ad Ecl. I vers. ult. probanda est, qui allusum eo nomine ad purpuram Melibœam existimat, cujus meminit Lucretius, II, 499, et

Virgil. Æn. V, 251, ut purpuratum Augusti familiarem significaret. Cæterum, quinam is fuerit Magister Officiorum, et quo nomine vocatus, difficilius est affirmare, quum præter Consules Romanos et Præfectos Urbi rara Magistrorum Offic. nomina exstent. Quoniam vero, quod ex Veterum monumentis haud paucis constat, Magisteria potestas plerumque cum reliquis honoribus inter Consulatus et Præfecturas gesta est, sufficiet hoc loco, ostendere aliquem e Consulibus vel Præfectis eorum temporum, in quem convenire illa, quæ de Meliboeo Calpurnius prædicat, videantur. Quod si iis temporibus Nemesianus aliquis Consul vel Præfectus Urbi reperiretur, pedibus irem in eorum sententiam, qui istum patronum dare Calpurnio voluerunt. Nunc probabilius judico, Magistrum Officiorum, quem Calpurnius coluit, fuisse C. Junium Tiberianum, qui paullo ante Cari imperium A. P. C. N. 281 Consul cum Probo Imp. fuit, et post decennium iterum Consul et Præfectus Urbi. Quod de summis honoribus per ea tempora sæpe conjunctim aut gradatim gestis dixi, id præter alia monumenta hæc maxime inscriptio probat (Gruter. pag. 406, n. 1):

F. EVGENIO. V. C. EX PRÆFECTO PRÆTORIO
CONSVLI. ORDINARIO. DESIGNATO
MAGISTRO. OFFICIORVM. OMNIVM
COMITI. DOMESTICO. ORDINIS. PRIMI
OMNIBVSQ. PALATINIS. DIGNITATIBVS
FVNCTO.

Nonnunquam ex Consule Ordinario Magistrum Officiorum eam dignitatem nactum esse, probat Gutherius, neque minus ex lege 2 tit. 9 de Quæstor. et Mag. Offic. lib. VI Cod. Theod. colligit Gothofredus, post gestam Magisteriam vel statim, vel nonnulla dilatione, Præfectos esse factos. Quo pacto admodum probabile est, Junium Tiberianum, qui extremo Probi imperio Consul fuerat, et decennio post Præfecturam Urbis cum altero Consulatu gessit, eo, quod

inter utrumque honorem est, intervallo, hoc est, ipso imperii Cariani tempore Magistri Officiorum munere functum esse. Calpurnius Melibœi non solum eruditionem laudat, sed et favorem erga eruditos, quorum studia et hortatu suo et multis præmiis excitarit. Vid. Ecl. IV, 53 seq. VIII, 17, 41, 58. Eumdem animum et morem Junii Tiberiani fuisse, Vopiscus exemplo suo docet, initio vitæ Aureliani, ubi memorat, ab eo tum Præfecto Urbis vehiculo se acceptum, et multo sermone de rebus literariis, præsertim historicis, familiariter habito, excitatum esse ad scribendam Aureliani Imperatoris historiam, promissis eam in rem subsidiis et libris ex Ulpia bibliotheca. Reverenter ibidem et honorifice Vir sanctus appellatur, quod elogium facile convenit Melibœi moribus a Calpurnio descriptis. Quod vero inprimis movet me, ut hunc esse Junium Tiberianum credam, illud est, quod Melibœum Calpurnius dicit et favisse poetis, et ipsum poetam fuisse, Ecl. IV, 55 seq. et VIII, 63: nam carmina scripsisse Junium Tiberianum certo mihi videor e versu trochaico Tiberiani, quem Fulgentius in Expos. serm. ant. v. *Sudus* adducit, colligere: *Aureos subducit ignes sudus ora Lucifer.* Ejusdem Prometheum fabulam citat Fulgentius Mythol. lib. III; neque ulla caussa est, cur Tiberianum hunc, a Fulgentio citatum, alium habeamus, ac illum Junium, Consulem et Præfectum Urbis (1). Denique et grandis ætas, quam Melibœo tribuit Calpurnius Ecl. VIII, 43, optime convenit Junio Tiberiano, quem si videmus A. C. 281 Consulem fuisse, anno autem 291 iterumque an. 303

(1) Juvat hic addere, quæ de Tiberiano refert Gyraldus, de poet. hist. dialog. IV, p. 256: « Tiberianum poetam per tempora Constantini floruisse, testis est Hieronymus in Chronicis. Scribit Servius hunc epistolam induxisse vento allatam ab Antipodibus, quæ talem haberet inscriptionem: *Superi Inferis salutem* ». Qua, *inquit*, occasione tractat reciprocum quod de Antipodibus fertur. « Citatur hoc ipsius inter cætera carmen: *Aurum quo pretio reserantur limina Ditis.* Fulgentius quoque quum in Mythologico, tum alibi ejusdem versus affert. Prometheum hic scripsisse dicitur, quo libro Deos ait sua singula homini tribuisse ». Ed.

inter Præfectos Urbis apparere, adeoque per triginta certe annos summis, qui in re publica sunt, honoribus exsplenduisse, confiteamur necesse est, apte in eum quadrare, quæ Calpurnius cecinit:

> Longa tibi, cunctisque diu spectata senectus,
> Felicesque anni, etc.

Sic declarato Calpurnii patrono, Junio Tiberiano, Magistro Officiorum et Præfecto Urbis, paullo probabilius constituere possumus, quod adhuc valde ambiguum visum est, an poeta noster idem sit Junius Calpurnius, quem Flavius Vopiscus scribit *ad memoriam dictasse Caro, et super morte Imperatoris epistolam dedisse ad Præfectum Urbis.* Sunt rationes, quæ obstare huic opinioni videantur, sed prævalent aliæ quæ affirmant. Calpurnium poetam, diximus, satis clare profiteri, se officium aliquod in aula Imperatoris impetrasse, aut exspectasse saltem, ope et gratia Melibœi; hoc autem nomine Magistrum Officiorum intelligendum esse demonstravimus. Enimvero, quod Junius Calpurnius gerebat munus, dictantis ad memoriam Imperatori, est ejusmodi, ut non alio, quam Magistro Officiorum, auctore et patrono illud nancisci potuerit. Hujus enim curæ et directioni suberant quatuor Palatii scrinia, Memoriæ scilicet, Epistolarum, Libellorum, Dispositionum, et qui scrinio memoriæ præerat, alias Magister vel Dictator Memoriæ dictus, is *idoneus probitate morum, ac bonis artibus præditus, per Magistrum Officiorum Imperatori offerri debuit*, ut de alio ejusdem officii lex 1 Cod. de offic. Magistr. Offic. præscribit. Quum igitur eadem conditione Calpurnius, Dictator Memoriæ, et noster poeta fuerit, uterque etiam eodem patrono in munere adipiscendo usus sit, haud obscura hæc ratio videbitur, ut unum eumdemque Calpurnium accipiamus, quum præsertim et temporis ratio suffragetur: nam Junius Calpurnius, ille Memoriæ Dictator, eodem tempore, hoc est, angusto illo imperii Cariani spatio, quo et Calpurnius poeta, floruit; ille eam gratiam adeptus

Cari Imperatoris et Cæsarum est, quam hic summo studio, carminibus in laudes Cæsarum compositis, ambierat; ille denique ei muneri præfuit, quod a poetæ studiis fortunisque minime alienum erat. Unde profecto mirum videri debeat, si in ista temporis et fortunæ æqualitate diversi tamen Calpurnii fuerint (1). Notus haud dubio fuit Vopisco Calpurnius noster, ut Syracusio et populari suo, atque igitur, si sub imperio Cari et filiorum ejus, quod describit Vopiscus, aliquo loco fuit, aut dignum aliquid memoria gessit, Vopiscum ejus mentionem non omisisse arbitror. Proinde Calpurnium Siculum, qui in Eclogis se locum aliquem sub Caro nactum esse significat, credibile est, eumdem esse, qui a Vopisco Syracusio memoretur (2). Junius quidem ibi vocatur Calpurnius, sed vere hoc nomen gessisse ille videtur, propterea quod vel ejusdem gentis esset, atque hac etiam de caussa, gratiam Junii Tiberiani promeritus: vel assumpsisset hoc nomen in patroni honorem, quem auctorem fortunæ suæ habuerat; quamquam id fortasse non semper, nec ubique usurpavit, neque necesse habuit in fronte carminum ab se editorum ponere. Quum enim multis Romanorum, præsertim clientibus, solenne fuit gentilitium patroni nomen addere suo, tum illud etiam insolitum, e pluribus nominibus quandoque unum vel alterum, omisso alio, usurpare. Aliud fortasse graviusque dubium oriri ab officio, quod gerebat Junius Calpurnius, possit: hic enim officii caussa peregre aberat in comitatu

(1) Eamdem opinionem tuetur Casp. Barthius, Advers. lib. XLIX, cap. 14: « Ex quo scriptore (Vopisco) ego etiam aliquando in eam sententiam veni, ut Eclogarum suarum bonum præmium retulisse Calpurnium hunc nostrum existimaverim; et ab amante studiorum honestorum Principe in aulam et comitatum adeo Augusteum adscitum, memoriæ Cari adhibitum fuisse; ipsum videlicet illum Junium Calpurnium, quem in vita Cari laudat, ejusque de morte ejusdem Principis epistolam proponit idem Vopiscus ».

(2) Eumdem etiam putat Glandorpius in Onomast. historiæ Rom. pag. 193. Ed.

Imperatoris et expeditione Persica, atque inde epistolam de morte Cari Romam scribebat ad Præfectum Urbis. At noster poeta, qui eodem tempore, nempe sub brevi Cari imperio, Bucolica sua scribebat, in his ipsis significat se scripsisse in umbra et otio et Romæ agentem :

Per te secura saturi recubamus in umbra,
Et fruimur silvis Amaryllidos. . . . . .

Non videntur hæc dici potuisse ab homine in exercitu apud Imperatorem, in tumultu bellico, in continuis itineribus et muneris sui negotiis versante, neque omnino credimus poetam nostrum, si eo loco quo Junius Calpurnius fuisset, tan tum otii habiturum fuisse, ut carminibus pangendis, quæ secessum scribentis et otia quærunt, operam impenderet. Romæ autem scriptas esse Eclogas Calpurnii, multa earum loca, præsertim Ecloga VII, declarant, qua spectaculum Romæ celebratum, et ab ipso poeta visum, exponitur. Sed hæc omnia facile conciliantur inter se, si statuamus, quod ex ipsis Calpurnii Eclogis apparet, eum primo commendatum a Melibœo, et in gratiam Cari Imperatoris adductum, ob insigne elogium, quod Cæsaribus imperium auspicantibus scripserat Ecloga I et IV; mox honore auctum, Romæ aliquamdiu vixisse, et alias Eclogas, septimam certe, scripsisse primo, vel altero adeo Cari anno; tum autem, vacante apud Imperatorem loco Dictatoris Memoriæ, paullo ante ejus mortem evocatum Roma esse ad munus hoc in comitatu Cæsaris subeundum, eoque factum esse, ut, Imperatore paullo post mortuo, epistolam quam Vopiscus memorat, officii caussa scriberet ad Præfectum Urbis, qui, testante Anonymo de Præf. Urb. eo anno Ceionius Varus fuit. Reliquas Eclogas ab VIII ad XI, aliquo temporis intervallo, et Melibœo, quem Junium Tiberianum Præfectum Urbis fuisse suspicor, mortuo, Romam reversum, otioque et literis redditum, perscripsisse arbitror. Quibus rebus efficitur, ut existimare omnino possimus, Junium Calpurnium Vopisci non diversum a poeta nostro fuisse.

Devenio nunc ad Eclogas Calpurnii paullo accuratius considerandas. Quas quum contra plurimorum hominum judicia, et contra omnium, quæ per duo sæcula prodierunt, editionum morem, T. Calpurnio omnes XI, atque adeo eas etiam quatuor, quæ adhuc Nemesiano tribui solebant, assignaverim, non inique abs me postulabunt lectores, ut eis tantæ novationis et immutationis rationem luculente reddam. Vidit id dudum Janus Vlitius, et Calpurnio omnes deberi Eclogas, rationibus allatis demonstravit, principio commentarii ad Nemesiani Cynegeticon et in præfatione ad Eclogas; nec ab ejus sententia se alienum professus est Petr. Burmannus, in præfatione ad Poëtas Lat. min. Neuter tamen ordinem Eclogarum adhuc observatum migrare, et Calpurnio restituere, quæ Nemesiano adhuc tributæ erant, ausus est, sive dubitatione aliqua retinebantur, sive ista mutatione non valde opus esse existimabant. Quo major mihi danda videtur opera, ut, recte me fecisse, qui omnes Calpurnio Eclogas tribuerim, solidis argumentis approbem.

I. Ac primo quidem, Olympium scripsisse Bucolica, nullo antiquitatis testimonio probatur. Vopiscus, qui in Numeriano ejus carmina recenset, et ἁλιευτικὰ, κυνηγετικὰ et ναυτικὰ scripsisse tradit, nullam Bucolicorum mentionem, quod uno verbo potuisset, injicit. Et, si relictæ ab eo Eclogæ fuissent, certe cum Cynegetico, quod Nemesiani esse certo constat, conjunctæ in aliquo codice comparuissent. At vero nec, qui primus Cynegeticon exhibuit, codex Eclogas Nemesiani adjunctas habuit, nec, qui Eclogarum plurimi codices exstiterunt, Cynegeticon.

II. Qui ævo medio et ante inventam artem typographicam vixerunt scriptores, nullum Bucolicorum auctorem, post Virgilium, alium norunt, quam Calpurnium, quod e testimoniis infra producendis Jacobi *de Cesollis,* Francisci Petrarchæ, et Angeli Politiani oppido intelligi potest: atque hic postremus diserte omnes poetas bucolicos, Græcos et Latinos, enumerans, e Latinis quidem Tityrum, hoc est,

Virgilium, et Calpurnium, nullum vero Olympium vel Nemesianum, nominat.

III. Primæ et antiquissimæ Eclogarum editiones sub Titi Calpurnii nomine omnes exhibent, nulla Nemesiani mentione facta, videlicet Romana princeps, Daventrienses duæ, Nordheimensis, Coloniensis, Ascensiana, quibus accedunt codices MSS plurimi hinc inde in bibliothecis publicis servati, ut Palatinus liber, olim Janotii Maneti, in quo Barthius, Advers. lib XLIII, c. 4, testatur Calpurnio omnes XI Eclogas clare vindicari, item Vossianus, quem Burmannus sæpius allegat, fortasse etiam Dorvilliani. Primus Nemesianum quatuor Eclogarum auctorem nominavit, simulque priores Calpurnii Nemesiano quasi dedicatas inscripsit Ugoletus, qui editionem Parmensem curavit. Quam quum Ugoletus in fine exemplaris professus esset impressam esse *e vetustissimo atque emendatissimo codice e Germania allato, in quo Calpurnii et Nemesiani, uti impressi sint, tituli legantur;* certatim omnes inventum Ugoleti, tanquam ingens arcanum e penetralibus Vestæ prolatum, amplexi sunt, ut nemo posthac auderet Bucolica, quamvis ex alio codice expressa, non nominato Nemesiano, edere. Assensit, quæ proxime sequuta est, editio Florentina Juntæ, et diversorum Eclogas quas conjunctas dedit, novo auctore Nemesiano auxit. Petrus Crinitus, cujus libri de poetis Latinis ineunte sæculo XVI prodierunt, Nemesiani Eclogas legi dicit. Diom. Guidalottus, qui anno quarto ejusdem sæculi commentarios in Bucolica Bononiæ prodire jussit, affirmat discretas Calpurnii et Nemesiani Eclogas in antiquis exemplaribus legi; simul tamen fatetur, a multis et doctissimis viris citari carmina, non Nemesiani, quæ ei adscribantur, sed Calpurnii, quod nunc inquirere nolit scrupulosius, neque discretas hactenus Eclogas uni Calpurnio adscribere. Interim nullum antiquorum, ad quæ provocat, exemplarium nominat, atque adeo vix aliud cognovisse videtur, quam illud ab Ugoleto commendatum quod ipse exscribit. Et sic reliqui Bucolicorum edi-

tores omnes Ugoletum sequuti sunt, et spreta vetustiorum editionum auctoritate, quasi fruges invenissent post glandes, Parmensis distinctionem, nullo judicio aut examine adhibito, receperunt, uno tantum Ascensio excepto, qui Parmense exemplar forte non viderat. Quam temere autem uni Ugoleti codici, eique nec viso nec examinato, fides sit habita, facile arguere aliorum collatio codicum potuisset, quorum nullus omnino inventus est, qui cum Parmensi editione conspiraret, plures contra, qui convenirent cum prioribus, unum Calpurnium proscribentibus auctorem.

IV. Neque vero difficile est perspicere, Nemesiani nomen præpositum non genuini et sinceri codicis auctoritati, cujus alias socii et consentientes reperti essent, sed unius librarii errori, aut scioli cujusdam, qui Parmensem codicem interpolaverit, conjecturæ deberi, quandoquidem fontem erroris illico aperire licet. Fuit haud dubie quidam vetustiorum interpretum, qui Meliboei nomine in Calpurnii Eclogis Nemesianum significari putaret, quem poetam nobilem, æqualem Calpurnio et apud Cæsares gratiosum e Vopisco norat. Hic legebat, Calpurnium aliquoties Melibœo, cujus magnam in se benevolentiam prædicat, carmina sua tradere et commendare, ut Ecloga I, v. ult., *Forsitan Augustas feret hæc Melibœus ad aures;* et iterum Ecl. IV, v. 158, *Fer, Melibœe, Deo mea carmina.* Itaque dedicatas re ipsa Nemesiano Eclogas putabat, et fronti earum adscribebat: *Ad Nemesianum Carthaginiensem* (1). Idem deinceps, aut fortasse alius, eodem codice usus, quum videret Ecloga VIII Meli-

(1) Ipsam hanc opinionem clare prodit Diom. Guidalottus, qui primus commentarios in has Eclogas, post editam Parmensem, scripsit, in præmissa Nemesiani vita asserens, Melibœum, cui Calpurnius Eclogas suas tradat ad Augusti aures ferendas, esse Nemesianum illum, cui opusculum suum dicarit Calpurnius. Hoc scitum Ascensius, qui eodem fere tempore notas in Calpurnium scribebat, nec exemplar Parmense viderat, adeo ignorabat, ut Calpurnium putaret Augusti et Virgilii ævo scripsisse, et sub Melibœo Pollionem vel alium quempiam patronum intelligeret.

bœum defleri ut mortuum, hujus igitur Eclogæ inscriptioni, tanquam argumentum, apponebat *Nemesiani* ἐπιτάφιος, sive, ut Juntinum exemplar barbare eloquitur, *Epiphunus*. Hisce glossematibus auctum exemplar postea imperitus describens librarius, Nemesiani nomen Eclogæ VIII appositum accipiebat pro auctoris nomine, et semel hac opinione imbutus titulum hujus eclogæ et numeros sequentium, ut opinioni suæ conformes essent, mutavit, quos denique Parmensis editor expressit. Hæc plane ita, ut retuli, in eoque ipso codice quem Parmensis editio expressit, facta esse, ipsum Parmense exemplar satis aperte prodit. Etsi enim post Calpurnii septem Eclogas reliquæ Nemesiani, numeris ad primum redeuntibus, sequuntur, ultima tamen earum non IV, ut novus ordo poscebat, sed XI, et expresse *undecima*, quasi Calpurnianis connumeratis, inscribitur: quo indicio conjectura mea manifeste confirmatur. Nempe apparet, in eo codice e quo exscriptum est Parmense exemplum, fuisse initio, sicut in aliis, Eclogas omnes, tanquam unius Calpurnii, a prima ad undecimam continuis numeris signatas; accedente vero sciolo quodam, qui octavam et sequentes putaret esse Nemesiani, numeros earum mutatos, ita tamen, ut ex incuria librarii ultimæ Eclogæ pristinus numerus XI remaneret. Quapropter Parmensis illa editio, quæ novum Eclogarum auctorem Nemesianum prodere voluit, eumdem alio indicio dejecit, et priorum editionum, solum Calpurnium præferentium, fidem adeo non labefactat, ut potius confirmet.

V. Glossemata illa duo, Nemesiani bis in fronte Eclogarum positi, si accuratius expendantur, ita se destruunt invicem et refutant, ut plane ex iis stupor inepti librarii intelligatur. Nam qui Eclogas Calpurnii Nemesiano dedicatas putabat, quod hic esset Melibœus in Eclogis laudatus, is non videbat repugnare isti opinioni Eclogam octavam, quæ, quum Melibœo mortuo parentet, Nemesiani ἐπιτάφιος est, neque adeo huic una dedicari potuit. Rursus, qui hoc effugere

absurdum volebat, et octavam Eclogam cum reliquis Nemesiano auctori tribuere, is non videbat, hoc admisso Melibœum in prioribus Eclogis laudatum pro Nemesiano haberi non posse, et hypothesin adeo destruebat, ob quam Calpurnianæ Nemesiano dedicatæ erant. Nam quum octava in Ecloga Melibœus lugeatur ut mortuus, absurdum erat, Nemesianum hoc carmine ipsum sibi ire exsequias. Ambo igitur glossemata, quum in uno codice inventa mutuo se destruant, palam est nulla auctoritate esse. Objicis, non necesse esse, Melibœum, qui Ecloga I et IV laudatur, eumdem putare, ac qui in octava defletur mortuus. At profecto necesse est: confer inter se Eclogam IV et VIII, et si comparare accurate, quæ utrinque dicuntur, velis, fateberis eumdem virum in utraque describi, et quarta in Ecloga de vivo prædicari, quæ in octava de mortuo.

VI. Stylus Eclogarum, quæ Nemesiani dicuntur, et Calpurnii, plane idem, atque ut lac lacti simillimus est. Et profecto nimium mihi sapere videntur, qui, opinione de diversis auctoribus occupati, differentiam aliquam styli in Eclogis subodorari, atque hinc, Calpurnius an Nemesianus castigatior et venustior esset, quærere voluerunt. Imaginariam esse hanc styli differentiam, ipse judicantium dissensus et contrariæ sententiæ produnt. Vossius Calpurnium Nemesiano castigatiorem esse notat, Instit. poet. lib. III, c. 8, p. 34; Scaliger contra Nemesianum Calpurnio, Poet. lib. VI, c. 5, p. 824. Mihi quamquam non perspicacissimo, nec obtuso tamen ingenio, nihil plane occurrit in Eclogis, quod aliquam styli diversitatem, diversosque adeo auctores arguat, nec, puto, aliter sentient, qui Bucolica ista vel semel attentius lecta comparaverint inter se, et subacto his in rebus sint judicio (1).

(1) Placet hoc loco addere judicium Casp. Barthii, Advers. lib. XLIII, cap. 4: « Porro nec de illo nobis satis constat, undecim illæ Eclogæ, quarum IV Nemesiano, VII Calpurnio adscribuntur, utrum his auctoribus junctim, an vero omnes Calpurnio soli debeantur. Sane stylus

VII. Janus Vlitius ad argumenta pro vindicandis Calpurnio XI Eclogis etiam hoc refert, quod in iis omnibus æqualis Virgiliani Bucolici imitatio observetur, tum œconomia singularum semper aliquam Eclogam Virgilii, quamvis nunquam eadem, exprimat; vid. Vlitius in præfatione ad Nemesiani et Calpurnii Eclogas. Ego vero ut permulta Calpurnium a Virgilio sumpsisse concedo, ita, quod œconomiam et numerum Eclogarum attinet, Theocritum non minus respexisse arbitror. Si a solo pendere Virgilio voluisset Calpurnius, puto eum non plures, quam decem Eclogas fuisse scripturum: tot enim a Virgilio scriptas esse, quod non plures Theocriti essent rusticæ, nec ultra hunc numerum proferri scenarum pastoralium varietas posset, censuerunt veteres Grammatici; vid. Donatus in vita Virgilii, § 23. Itaque, quum undecim Eclogæ Calpurnii numerum Virgilianarum excedant, posset inde contraria Vlitio argumentatio duci, non unum earum, sed duo fortasse auctores esse, quorum uterque aliquas tantum Maronis Eclogas imitari voluerit. Sed salva res est. Numerus Eclogarum ad undecimam prolatus non Virgilii, sed Theocriti imitationem prodit, quæ ubi manifesta est, et certum adeo consilium auctoris apparet, unum etiam Calpurnium earum auctorem esse demonstrat. Decem quidem numero Eclogas Theocriti mere rusticas esse, Grammaticorum fert opinio (vid. Servius in procem. Bucolicor.), quum tamen, quæ ad rusticas referri possint, undecim omnino reperiantur, de decima et undecima ambigunt eruditi. Quidam enim decimam ex eo numero eximunt, quod ad messores tota pertineat, ejusque loco undecimam reponunt, qua amores Polyphemi tractantur; alii decimam retinere in eo numero malunt, propterea quod, etiamsi non sit pastoritia, non continuo

earum maxime idem ingenium refert, etsi non negem unum carmen altero elaboratius esse, quod et in aliorum omnium poetarum libris observare licet; et in manuscripto libro Palatino, olim Janotii Maneti, Calpurnio omnes undecim clare vindicantur.

tamen non sit rustica; undecimam contra rejiciunt, quod in eodem fere argumento, quam sexta, versetur, eoque quasi superflua et supra istum numerum videatur. Franc. Vavassor, de Lud. dict. sect. I, cap. 7, pag. 110, huic fere sententiæ accedit, atque undecim Bucolica Theocriti ita conciliare cum Grammaticorum decreto studet, ut dicat, undecimam, in qua amores Polyphemi tractentur, sextæ, quæ in eodem argumento versetur, merito annumerari, proque una duas haberi. Ego quamquam in hoc plane Vavassori assentio, undecimam Theocriti pro accessoria et alteri Eclogæ annumeranda, propter similitudinem argumenti, haberi posse, in eo tamen dissentio, quod eam non sextæ, sed tertiæ potius similem esse arbitror. In sexta quidem et undecima de Polyphemi amoribus, sed diversa tamen ratione, agitur, quod in ista stolide superbus erga Galateam est, in hac ipse de superbia Galateæ queritur. At tertiæ simillima est undecima, ejusque idem fere argumentum, easdem sententias tenet. In tertia enim pastor de superbia Amaryllidis queritur, in undecima Polyphemus de Galateæ, et uterque infelicem amorem suum cantu solatur. Quæ quum ita sint, vides eamdem plane rationem a Calpurnio in Eclogis observatam, et manifestam in eo esse Theocriti imitationem. Undecim quidem Eclogas scribit Calpurnius, sed in his duæ sunt, tertia scilicet *Exoratio*, et nona *Donace* inscripta, quæ argumento ita conveniunt, ut plures sententias integrosque versus habeant communes et facile pro una haberi possint. Atque ut plane intelligas, in iis respici ad exemplum Theocriti, non solum unum ambarum argumentum est, sed et idem, e quo Theocritus tertiam et undecimam deduxit, ita, ut quantum similes inter se sunt duæ Calpurnii, tantum hæ ipsæ duabus Theocriti: nam similiter in iis pastores adversos suos amores decantant. Hoc pacto igitur Calpurnius numerum quidem undecim Eclogarum Theocriti absolvit, ita tamen, ut, duabus similibus pro una numeratis, dici non possit numerum a Virgilio re-

ceptum et a Grammaticis probatum excessisse. Cæterum e manifesta Theocriti, quod ad numerum Eclogarum attinet, imitatione quum illud certo colligitur, ab uno auctore scriptas esse undecim Eclogas, neque eas inter Calpurnium et Nemesianum esse dividendas; tum vero, quæ e similitudine duarum ejus Eclogarum quibusdam eruditis subortæ sunt dubitationes, eas allata hactenus ratione plane tolli posse et refutari. Fuerunt, qui nimia similitudine rerum et sententiarum in tertia nonaque Ecloga offensi, alteram ut superfluam vel interpolatam ejicere, saltem non eodem in numero et honore cum cæteris habere vellent; alii contra, qui viderent tot versus e tertia Ecloga ad verbum in nona repetitos, plagium hoc esse unius in alterius carmine commissi putarunt. In istis sunt duo Trognæsii, horum Bucolicorum editores, Antwerpiæ, 1608, et Duaci, 1632, qui Eclogam secundam Nemesiani, quæ *Donace* inscribitur, plane omiserunt, asterisco pro lacuna significanda apposito. Hi vero sive ipsi eam Eclogam omiserunt, sive in antiquo codice invenerunt omissam, vix alia ejus facti ratio excogitari potest, quam, quod Ecloga ista valde convenire cum alia et fere eadem esse videretur, hinc pro minus genuina, saltem interpolata et supervacua habitam, qua carere æquo animo lectores possent. A quo ausu vel errore facile revocari potuissent, si quidem rationem perspexissent, quam ipsi ab imitatione Theocriti duximus, quaque factum esse arbitramur, ut consulto vellet Calpurnius idem argumentum duabus Eclogis pertractare, eoque numerum undecim Bucolicorum Theocriti implere.

VIII. Quemadmodum ex ista imitatione Theocriti recte concludi arbitramur, unum omnium Eclogarum auctorem Calpurnium esse, ita inde et error refelli eorum potest, qui repetitione plurium versuum e tertia Calpurnii in nonam, quæ secunda Nemesiani dicitur, translatorum ita offensi sunt, ut inde confirmari opinionem de diversis Eclogarum auctoribus putarent: nam inprimis J. C. Scaliger,

Poetic. lib. VI, cap. 5, et J. A Fabricius, Biblioth. Lat. tom. I, lib. III, p. 545, ea opinione imbuti, hic quærendum existimarunt, utrum Nemesianus eos versus, an Calpurnius alteri sublegerit. Quod quidem per se minime probabile videri accurate attendenti potest, quum duorum æqualium et nobilium poetarum, quales Calpurnius et Nemesianus fuerunt, vix liceat alterum tam impudentem judicare, ut alterius versibus modo natis et nuper admodum editis suum poema exornare, eosque pro suis venditare velit. Sed neque factum hoc mirari quisquam potest, qui quidem consilium Theocriti exprimendi in Calpurnio perspexerit: nam Theocritus ipse duarum Eclogarum, quas memoravimus, ita alteram ex altera, ob similitudinem argumenti, duxit, ut easdem fere in utraque sententias adhiberet. Quod imitari volens Calpurnius modum quidem egressus est, et integros adeo versus et ipsa verba repetiit, hoc ipsum tamen tantum abest, ut versus ab alio surreptos arguat, ut potius eumdem utriusque auctorem Eclogæ esse confirmet: nam etiam Calpurnius aliis locis Eclogarum, quas ipsius esse nemo dubitat, suos ipsius versus repetiit (1), et aliorum etiam præstantissimorum poetarum neminem unquam puduit eosdem versus, eademque verba, rebus iisdem exprimendis adhibere. De Homero res notissima est. Horatius, Sat. lib. I, 6, 74, et Epist. I, 1, 56, bis utitur hoc versu, *Lævo suspensi loculos tabulamque lacerto;* item hoc, *Dives agris, dives positis in fœnore nummis*, Sat. I, 2, 13, et Art. poet. v. 421. Virgilius sæpius hac libertate usus est. Ecloga III, 87, et Æn. IX, 629, hunc versum iterat, *Jam cornu petat, et pedibus qui spargat arenam.* Plura exempla occurrunt Ecl. VIII, 15, coll. Georg. III, 326; Georg. I, 200, coll. Æn. II, 169; item Georg. I, 294, coll. Æn. VII, 14. Vossius, Instit. poet. lib. III, p. 26, hoc fieri a Virgilio aliisque poetis judicat,

(1) Sic versus Eclogæ IV, 161, *Tityron e silvis dominam deduxit in urbem*, iisdem pæne verbis recurrit Ecl. VIII, 83, et IX, 84. Initium Eclogæ II et IX valde simile est. Ed.

unius ut omnia esse poetæ cognoscerentur, eodemque argumento non absurde colligi existimat, Cirin esse genuinum Maronis opus, quia versus adeo multi e Bucolicis, Georgicis, Æneide in eo poemate reperiantur. Quid igitur dubitemus, duarum eclogarum, quæ versus aliquot repetitos habent, unum auctorem esse Calpurnium?

Sufficere arbitror, quæ hactenus allata sunt, argumenta ad evellendam animis hominum opinionem, quæ discernendas Calpurnii Eclogas, duobusque auctoribus tribuendas putavit. Quod si qui ne his quidem rationibus vinci se, et Nemesiani nomen ab Eclogis removeri patientur, hi tamen æquo, ut spero, animo ferent, quod pristinum Eclogarum ordinem sequutus Aurelianas Calpurnianis subjunxerim. Quum prima illa, quæ dicitur Nemesiani, Ecloga Meliboeum vita functum defleat, quem Calpurnii Eclogæ ut vivum et gratia florentem prædicant, neque Cæsarum, qui prima, quarta et septima Ecloga splendide laudantur, ulla in reliquis fiat mentio, manifestum est, quatuor illas, quæ Nemesiani dicuntur, serius scriptas esse Calpurnianis, mortuis jam Caro et Numeriano. Hinc omnes omnino editiones antiquiores, eæ etiam quæ Nemesiano quatuor Eclogas tribuunt, has postponunt Calpurnianis, neque hic ordo ab editoribus mutatus est prius quam in Aldina secunda Gratii et Nemesiani Cynegeticon Bucolicis adjungeretur. Hic scilicet ut Cynegetico Nemesiani Eclogæ adhærerent proxime, consultum putavit editor, has Calpurnianis præponere. Adoptarunt quidem hunc novum ordinem postea et alii, qui separatos a Venaticis Bucolicos ediderunt, præsertim P. Pithoeus et Rob. Titius; pristinum tamen nihilominus retinuerunt editio Tigurina Froschoveri, Francofurtana Egenolfi, et Basileensis Oporini. Satis igitur ordo abs me observatus habere videtur rationis et auctoritatis.

Etsi vero certum arbitror, omnes XI Eclogas uni Calpurnio deberi, id tamen nolo pernegare, esse fortasse distinctionem aliquam inter septem priores et posteriores quatuor

antiquitus observatam. Certe ætate discretas esse constat, et quum istæ sub imperio Cariano, hæc paullo serius scriptæ sint, hinc fortasse factum est, ut initio solæ septem Eclogæ, deinde alio tempore eædem reliquis auctæ ederentur, atque adeo codices invenirentur, qui septem tantum Eclogas Calpurnii tenerent. Ex ejusmodi codice forte descriptus est ille, quem bibliotheca Ducalis Gothana servat, qui septem tantum Calpurnii Eclogas exhibet, et in extrema pagina addit: *Hæc sunt, quæ de Calphurnio inveniuntur.* Deinde Calpurnium credo Theocriti et Virgilii imitandi studio permotum esse, ut, quod Grammatici de numero et argumentis Eclogarum utriusque observarunt, ipse in Eclogis elaborandis teneret, et earum quoddam discrimen et intervallum faceret. Itaque quum Grammaticos sciret existimare, septem Virgilii Eclogas esse proprie bucolicas, quas Theocritus decem haberet (vid. Servius in proœmio commentarii in Bucolica), satis esse putavit, septem Eclogas primo Bucolico complecti, et quamquam nec istæ essent omnes rusticæ, idem tamen licere sibi, quod Virgilio, putavit, qui tribus in Eclogis a Theocriti materia recessisset. Postea quum ex alio intervallo ad istam poesin rediisset, numerum decem Eclogarum Maronis ita explevit, ut, respectu simul ad Theocritum habito, quod supra demonstravimus, unam hujus Bucolici alteri prioris similem argumento esse vellet, adeoque ad undecimam usque procederet.

De natura carminis bucolici, et in quantum Calpurnius virtutes ejus assequutus sit, hic disserendi locus erat. Sed isti argumento præclare dudum satisfecit Christ. Gottl. Heynius, vir ill., acutissimus juxta atque literatissimus harum rerum æstimator, qui in aditu Virgilii ab se editi de carmine bucolico ita commentatus est, ut nihil in eo genere exactius desideres. Ad Calpurnium vero quod attinet, ipsum me arbitror, quæ in ejus Bucolicis virtutes, et qui nævi reperiantur, quum in argumentis ad singulas Eclogas, tum passim in annotatione subjecta satis monuisse. Universe au-

tem si de carminibus ejus poetæ ferre judicium, et quasi imaginem sistere Musæ ejus pastoralis velimus, videmus eum multo quidem inferiorem Virgilio esse, neque εἶδος carminis bucolici recte exprimentem, sed tamen ultra modum ætatis suæ ingeniosum, facundum, elegantem, numerosum, qui dotes ingenii præclaras multa arte et imitatione meliorum poetarum perpoliverit, dignusque sit, judice Burmanno, in præfat. ad Poet. Lat. min., qui post Virgilium in hoc scribendi genere secundum locum occupet. Virgilium quidem, ut par erat, præcipuum auctorem sequutus est, cujus non solum ingenium in fabula et œconomia Eclogarum inveniendа, sed dictionem etiam sententiasque sæpe expressit; ipse tamen Virgilius quum sæpe totus pendeat a Theocrito, nescio an Calpurnius in iis ipsis quæ dixi, multa alia, et fortasse plura Theocrito quam Maroni debeat, qui honore patriæ communis videtur excitatus, ut in genere carminis, in quo princeps esset Theocritus, elaboraret, atque hunc etiam sibi præcipue imitandum duceret. Certe pastorum suorum mores ad exemplar Theocriti paullo agrestiores durioresque fingit, quam Virgilius; quod autem eos et rerum urbanarum curiosos facit, ut Ecloga VII, et laudes Cæsarum declamatorio ritu decantare jubet, in eo simplicem ἀγροικίαν Theocriti multo magis deserit, quam Maro, et plane præceptum Quintiliani migrat, Institut. Orator. lib. X, c. I, 55: *Musa rustica et pastoralis non forum modo, verum ipsam etiam urbem reformidat.* Etiam hoc commune cum Theocrito habet, quod præter pastores etiam olitores vel horti cultores, ut ille messores et sectores lignorum, induxit loquentes, quod Virgilium videmus ita evitasse, ut pastores ejus subinde quidem horti sui, agri, vineti, immo et venatus, mentionem injiciant, nunquam tamen nisi apud greges et inter pascendum loquantur. In singulis quidem pastorum sermonibus, in quibusdam μικρολογίαις, sententiis et affectibus exprimendis Calpurnius rusticam simplicitatem Theocriti subinde assequi conatus est, et occurrunt loca,

quæ ex eo solo adumbrata videantur; sed officiunt ei haud raro quæsita acumina et affectati colores, quibus subinde amœnior justo et luxuriosior videtur. Præter Theocriti et Maronis imitationem, aliorum etiam poetarum lectione in pangendo carmine bucolico adjutus est, et certa mihi vestigia reperisse videor lecti ab eo Horatii, Tibulli, Propertii, Pap. Statii, Juvenalis, quos sibi satis familiares fecisse videtur, quum integros fere quorumdam versus exprimat. Dictio ejus plerumque magis elaborata et concinna est, quam ferre exilitas carminis bucolici possit. Eadem tamen et nævis quibusdam sermonis hinc inde adspersa est, qui barbarismi speciem habent, quos mirum sit scriptorem potuisse admittere, qui alias eam bene dicendi curam præ se ferat, ut in elegantioribus censeri mereatur. Occurrunt quædam inscitius duriusque dicta, quæ vix dubites vitio carere, et quamdam balbutiem inexplicitamque orationis difficultatem prodere. Vid. Ecl. III, 34, 35; IV, 152 et 153; V, 65, 66, 67, 68; VI, 6, 7, 8; VII, 39, 40. Apparet subinde ταυτολογία et περισσολογία supina, et ingrata ejusdem verbi in re eadem repetitio, ut Ecl. II, 82 et 83, 86 et 89; IV, 43 et 49, 72, 78 et 80, 149 et 150; V, 6 et 8, 19 et 21, 86 et 87; VI, 38 et 42; IX, 11 et 12. Quædam vocabula videtur per negligentiam vitiose eloqui, quædam et plebeia adhibere, quæ certo constet non nisi ab rudi et indocta plebecula sic enuntiari solita, a bonis scriptoribus nunquam usurpata. Conf. Ecl. I, 57; II, 44; IV, 20, 153; V, 20. Non videntur hæc omnia posse inscitiæ scribentis imputari, qui tot alia præclare et eleganter dixit, neque tantummodo referri ad ætatis ejus, qua scribebat, corruptam latinitatem, siquidem vitare eam aut corrigere haud dubie poterat, ut Claudianus potuit supra ætatem suam elegans, si volebat, tam bene instructus, ut ipse significat, literis, et multa veterum poetarum lectione ad optima exempla conformatus. Libri veteres manuscripti ad emendanda loca, quæ male affecta videntur, nihil afferunt certæ opis, atque ipsa va-

rietate lectionis offensos et hæsitantes in iis librarios produnt; et velle ea sola conjectura ad rectam loquendi rationem revocare, temerarium et inane sit. Relinquitur, ut ea loca quæ vitiosa putamus, a manu ipsius auctoris sic profecta, et de industria mendosum ab eo sermonem subinde usurpatum suspicemur. Qui quum videret Theocritum, ad exprimendum rusticum pastorum sermonem dialecto Dorica, eorum peculiari, quibusdam etiam ἀκυρολογίαις studiose admissis, ut Grammatici putant, usum esse, hujus imitandi studio eo provectus est, ut dictiones vulgi inquinatius loquentis, vocabula item antiquata et plebeia sermoni pastorum suorum admisceret, ut rusticius loqui viderentur. Nam et antiquitus rustice loqui dicebantur, qui barbare et vitiose (1), et priscæ vocis usus exprimere agreste aliquid et rusticanum videbatur; Cic. de Orat. lib. III, c. 11. Virgilium quidem plerique dicunt nihil tale ausum esse, servasseque eum in Bucolicis usum loquendi, quem in aliis, qui, Probo Grammatico judice, *una lingua loquens sensus rusticos aptare elaboravit, sine reprehensione sermonis*. Sed nescio, an satis accurate judicent, qui Maronem dicant nihil plane rustici sermonis in Bucolicis admisisse. Qui hoc agere consulto, atque Eclogas ejus perquirere eo fine velit, haud difficulter in iis quædam κακοσύνθετα et ἀνακόλουθα, quædam inscitius et frigidius dicta, et sententias minus explanatas, verbo, voluntatem et licentiam discedendi aliquando a legibus Grammaticæ animadvertet. Quæ pro vitiis et fæcibus sermonis haud dubie haberentur, si a poeta minus elegante admissa essent, nunc a Virgilio usurpata crucem figunt interpretibus. Conferat, si quis exempla requirat, Ecl. I, 54, 66, 70; III, 109; V, 27; VII, 31, 70. Constat, olim jam reprehensum in Virgilio esse, quod priscis verbis subinde usus esset, et Donatus in ejus Vita memorat, quod aliquando

(1) Gellius, Noct. Attic. lib. XIII, cap. 6 : « Quod nunc barbare quem loqui dicimus, id vitium sermonis non barbarum esse, sed rusticum; et cum eo vitio loquentes rustice loqui dictitabant ».

cujum pecus dixisset, sic ei, quasi rustice, non latine, loquuto illusum esse : *Dic mihi, Damœta, cujum pecus? anne latinum? Non, verum Ægonis, nostri sic rure loquuntur.* Quin etiam solœcismos in eo Critici veteres ausi videntur notasse; et, quamquam his multo reverentior Servius, aliquod tamen ei σολοικοφανὲς identidem objicit, aut objectum ab aliis refert, nec purgat ipse semper, neque excusat; sic Fr. Vavassor de Lud. dict. sect. II, cap. 2. Equidem libens fateor, parce admodum et moderate, et quasi docta cum dispensatione talia vitia a Virgilio in Bucolicis admissa, ut qui cultiores suos, quam Theocritus, pastores fingere, et majorem, quam ille, elegantiæ et urbanitatis habere rationem voluerit; idem tamen affirmare non vereor, nonnulla consulto admisisse Virgilium, ut his quasi notis agrestioris sermonis suas Eclogas adspergeret. Calpurnius, qui has, quamquam raras, labes Virgilii haud dubie animadvertit, idem sibi licere putavit; sed, quum Theocritum sequeretur magis, et rusticiores suos, quam Maro, pastores faceret, modum a Virgilio servatum excessit, frequentiusque iis vitiis indulsit, ut non solum inordinatum et rudem, sed et fæculentum subinde agrestium sermonem assumeret; præsertim quum corruptior ætatis suæ latinitas, per peregrinas gentes in pagos agrosque invecta, haud paullo majorem ejus imitandi facultatem daret. Neque vero nunc affirmo, recte fecisse Calpurnium, et optima ratione usum esse, qui sic voluerit agrestium sermonem adumbrare; illud tantum contendo, esse nævos latinitatis, qui in ejus Eclogis reperiantur, ejusmodi, de quibus dubitari debeat, vitione et errore scriptoris, an potius studio rustici sermonis imitandi admissi sint. Quod si ita est, difficilem juxta ac summe verecundam esse oportet crisin in locis Calpurnii, qui laborare nævo aliquo videntur, emendandis. Quis enim corrigere ea e conjectura audeat, ubi neque codices indicent meliora ab auctore scripta esse, neque certum sit voluisse eum rectam loquendi formam observare? Proinde fateor non usque me assentire

studio, quod docti viri multis locis Calpurnii e conjectura corrigendis adhibuerunt, præsertim ubi dictionem ejus ad rectiorem loquendi legem formare conati sunt; et quamquam ipse ab ea ratione emendandi non abstinui, ubi commode fieri ad meliorem poetæ intellectum poterat, immo debebat, nihil tamen eorum pro certo constitui, aut contexto inferendum duxi, nisi id videretur veterum codicum fide manifeste approbari.

Tantum de Calpurnio ejusque Eclogis. De titulis, quos singulis præpositos videmus, egi in earum argumentis. Primum eos exhibuit editio Florentina Juntæ 1504, unde transierunt in alias, quæ exemplar illud expresserunt, Viennensem, Aldinam primam, Pithœanam et plures. Ab indocto librario vel monacho ævi medii profectos esse, ipsi satis per se indicant, septimæ inprimis titulus, simulque documento sunt, non melioris notæ et originis habenda esse glossemata, quæ Nemesiani nomen titulo Calpurnianarum Eclogarum vel dedicationis caussa, vel pro auctore addiderunt. Ego quamquam nomen istud removendum a fronte Eclogarum censui, ut errorem tollerem, quem ab hac interpolatione invectum certis argumentis demonstravi; istos tamen titulos abjicere nolui, quod et antiquitus traditi nihil ipsi auctori derogarent, et recte intellecti notam cujusque Eclogæ non omnino spernendam suppeditarent.

SERIES EDITIONUM

T. CALPURNII,

ET, QUI HUIC ACCESSERUNT,

GRATII ET NEMESIANI.

Ex quo tempore animum adjeci ad edendum Calpurnium, et diligentius eum tractare cœpi, animadverti hunc poetam, quamvis multis eruditorum curis perpolitum, variis adhuc nævis laborare, quibus extergendis hactenus docti viri haud aliam, quam ab ingenio et conjectura, opem præstare potuissent; esse præterea in hujus poetæ editionibus eam differentiam, quæ auctorem quarumdam Eclogarum redderet dubium, easque Nemesiano contra aliarum auctoritatem tribueret. Itaque magno studio investigare ejus poetæ vetera exemplaria manuscripta cœpi, quorum ope et locos male affectos paullo certius constituerem, et rationem invenirem opinionis illius, quæ Eclogas inter Calpurnium et Nemesianum divisisset, aut confirmandæ magis, aut evertendæ. Sed ea res secus cecidit ac speraveram, siquidem præter codices, quos dudum ab eruditis usurpatos et excussos sciebam, vix unum et alterum reperire potui nondum ab aliis occupatum. Quæ autem ex singulis codicibus aut docti viri dudum descripserant, aut annotaveram ipse, ea videbam partim vix meliora excusis esse, præter aberrationes quasdam et arbitrarias correctiones scribarum, plerumque convenire cum aliis et vetustis exemplaribus, partim esse dudum a doctis viris ad castigandum eum poetam usurpata. Res igitur omnis et cura mea redibat ad editiones Calpurnii, in quibus quoniam detegere fontes et propagines varietatum in titulis

et contexto Calpurnii occurrentium volebam, comparare mihi notitiam earum, quotquot exstare didicissem, studui, et conquisitas in ordinemque redactas hoc loco recensere statui. Cujus quidem laboris hunc fructum tuli, partim ut refutare, quod in superioribus feci, errorem inveteratum possem, qui quatuor Eclogas auctori Calpurnio eripuisset, partim ut locos aliquot, quos ingenium editorum temere et præter meritum correxisset, pristino et genuino poetæ sermoni restituerem. Cæterum si quibus hæc opera ob ipsum auctorem, cui data est, non magni adeo momenti videbitur, certe ad historiam literariam hac parte locupletandam non nihil utilitatis habebit. Magnum autem in eo negotio studium et benevolentiam singularem, quam expertus sum virorum clarissimorum, qui magnis bibliothecis præfecti sunt, non possum quin hoc loco gratus agnoscam et magnopere prædicem, præsertim Jul. Car. Schlægeri, in aula Sereniss. Ducis Saxo-Gothani Consil. multis doctrinæ humanioris ornamentis et plurimis de republica literaria meritis illustris mihique amicissimi viri, item Gotth. Ephr. Lessingii, qui Ducalem bibliothecam Guelferbyt. curat, viri illustris et celeberrimi, tum Jo. Mich. Franckii, quondam Sereniss. Electoris Sax. a bibliotheca, viri literatissimi, quórum curæ et humanitati notitiam debeo plurium Calpurnii exemplorum. Prius vero quam ad editiones enarrandas accedam, juvat libros manuscriptos, quos legerim a doctis viris laudatos et recensendo Calpurnio adhibitos, breviter commemorare. In quibus primo loco nominandum puto codicem Palatinæ bibliothecæ, quem describit Casp. Barthius, Advers. XXXIV, 2, et XLIII, 4, aitque olim Janotii Maneti fuisse (1), paullo ante annum 1460 scriptum, et XI Eclogas uni Calpurnio vindicare. Variationes ejus passim citavit idem Barthius in Advers. et Janus Gebhardus in Cre-

(1) De Janotio Maneto agit Welschius in Supplemento ad Bibliothecam Gesnerianam, quod legitur in Schelhornii Amœnitat. literar. tom. VI, pag. 502. Ed.

pundiis, Janus autem Vlitius annotationibus suis inseruit. Quæ fata fuerint hujus codicis, et quo abierit tandem, disturbata bello tricennali bibliotheca, ignoro. Varietates tamen ejus codicis etiam Petrus Burmannus refert accepisse se a Jo. Christoph. Wolfio, e codice Michaelis Richeyi notatas ad exemplar editionis Vlitianæ. Multum scriptis libris usus est Robertus Titius in commentariis ad Eclogas, et Franciscus Modius in Lectionibus novantiquis, sed qui qualesque illi fuerint, me non memini apud eos legere. Vossianum, item Heinsianum et Dorvillianum codicem P. Burmannus sæpissime allegat, qui etiam ad calcem tomi I Poet. min. aliarum excerpta variationum curavit excudi, quas Jac. Phil. Dorvillius Neapoli in bibliotheca Joannis Carbonarii, et ex duobus aliis codicibus in gratiam Burmanni exscripserat. Horum omnium neque ætas neque characteres ita describuntur, ut de eorum pretio vel auctoritate constare possit. Hoc tantum intelligo e multis eorum lectionibus, tum lacunis et aberrationibus, valde similes eos esse prioribus et vetustis editionibus, neque adeo indicium facere Nemesiani auctoris quibusdam Eclogis adscripti. Dorvillianorum unus et alter subinde videtur correctiones magis a scriptore tentatas, quam veras lectiones, exhibere. In catalogo Manuscriptorum Bibliothecæ Regiæ Parisiensis Cod. 8049, num. 4, Calpurnii Eclogæ tres priores, cum quartæ initio, sæculo XIII scriptæ, leguntur, quas a nemine collatas arbitror. Denique bibliotheca Sereniss. Ducis Saxo-Gothani codicem servat in membrana scriptum, octonis, qui post Virgilii Bucolica, Georgica et Æneidem habet Calpurnii Eclogas septem, nitide scriptus, recens tamen, et vix ante sæculum XV exaratus, præterea mutilus, aut ex mutilo codice descriptus, quandoquidem septima Ecloga in versu 65 finitur, et librarius post spatium aliquod vacuum in extrema paginæ ora hæc subcripsit: *Finis : hæc quæ de Calphurnio inveniuntur*. Lectiones ejus quam plurimas vidi quum Vossiano codice a Burmanno citato, tum antiquis editionibus Romana et Da-

ventriensi convenire. Eas olim a se exscriptas mecum humanissime communicavit Jo. Georg. Meuselius, vir cl. Professor in Academia Erfordiensi præclare meritus, cui gratum animum hic lubens profiteor.

Editionum Calpurnii prima prodiit

1. Romæ, 1471, typis Conradi Schweynhemii et Arnoldi *Pannartz,* fol. quæ post Silium Italicum, Eclogas XI sub *C. Calpurnii* nomine sistit, et adjuncta habet Hesiodi Opera et Dies, carmine Latino per Nicolaum *de Valle.* Vid. Mich. Maittarius, Annal. Typogr. tom. I, pag. 92, et p. 303 edit. novæ: exstat in Bibliotheca Electorali Dresdensi. Contulit eam Janus Vlitius, etiam Burmannus ab Academiæ Leidensis bibliotheca ex legato Perizoniano subministratam habuit. Jure hanc principem omnium editionum judicavit Vlitius in var. lect. ad Bucol. et Gronovius, Observ. lib. III, cap. 13; quorum post testimonia virorum mirum videtur, ignorari eam a J. A. Fabricio potuisse.

   Venetiis, anno 1472, fol. editum esse *Calphurnii Bucolicum carmen* una cum Ausonii epigrammatibus, Probæ Centone, Ovidii Consolatione ad Liviam et Publ. Greg. Tiferni hymnis, refert Mich. Maittarius in Annal. Typogr. tom. I, p. 98. Hæc an exstet alicubi, non possum affirmare.

   Calphurnii Siculi poetæ Bucolica, Parmæ, 1478, 4, Maittarius, tom. I, p. 387, memorat, Fabricium in Bibl. Lat. Orlandum, p. 148, et Beugh. p. 39, allegans. Atque hanc principem editionem facit Fabricius. Sed qui eam vidisse se testaretur, hactenus inveni neminem. Igitur de ea valde dubito, et potius commixtam esse censeo cum Parmensi recentiore, de qua postea, quæ Nemesiani Eclogas primum venditavit.

2. *Daventriæ,* 1491, 4. Undecim exhibentur Eclogæ hoc titulo: *Titi Calphurnii Siculi Bucolicum carmen.* In fine legitur: *Bucolica Titi Calphurnii Siculi finiunt impressa Daventriæ*

Anno Millesimo quadringentesimo nongentesimo (sic) *primo, per me Jacobum de Breda juxta scholas*. Constat foliis 20. Mendum typographicum in anno signando etiam Maittarius observavit tomo I, p. 534. Hanc editionem nemo hactenus contulit, nec Burmannus nancisci potuit; ipse tamen nactus sum e bibliotheca, quæ olim Jac. Burckhardi fuit, nunc scholæ Holzmindanæ ad Visurgim est. Plurimas lectiones hoc exemplar cum principe Romana communes habet, cæterum satis mendose expressum est, aliquot etiam lacunas, integris versibus omissis, habet.

3. Aliam Daventriensem, quæ nullum annum impressionis habeat, in copiosissima bibliotheca Serenissimi Ducis Electoris Saxoniæ Dresdensi exstare comperi. Hæc priori similis Eclogas XI solo Calpurnii nomine exhibet, et sub finem hæc verba adscripta habet: *Bucolica titi calphurnii Siculi finiunt Impressa Davantriæ in platea episcopi.* Videtur priore aliquando correctior.

4. Daventriensi editioni ætate aut æqualis aut suppar videtur, quæ sine anni et loci nota prodiit forma 4, memoraturque a Fabricio et Burmanno, qui eam exstitisse apud Hulsium, et a se ex librorum ejus auctione bibliothecæ Academicæ vindicatam refert. Atque ego exstare eam scio, ipseque tractavi e bibliotheca publica Academiæ Vitembergensis benevole commodatam. Constat foliis 29. Etiam hæc Eclogas XI Tito Calphurnio tribuit, atque ex asse convenit cum Daventriensi, cujus et lacunas habet, ita tamen, ut paullo emendatius elegantiusque expressa in quibusdam meliorem orthographiam sequatur. Inscriptio eadem quæ in Daventriensi, præfatio nulla. De ætate ejus conjicere nihil aliud licet, quam impressam videri sub finem sæculi XV. Hoc typorum forma quodammodo indicat, et quod adjunctam reperiebam Arti poeticæ Horatii per *Magistrum Hinricum Northemensem* editæ. Hic autem Hinricus de Nordheme teste Trithemio floruit circa annum 1494. Hanc edit. vocare placuit Nordheimensem.

5. *Buccolica canori poete Titi Calphurnii Siculi undecim æglogis jucunditer decantata.* Sine loco et anno. In fine legitur : *Buccolica titi calphurnii siculi poete non mediocriter docti fœlici numine in edibus pie memorie Henrici Quentell prioribus longe castius characterisata consumantur.* Constat hunc Henricum *Quentell* impressisse Coloniæ circa finem sæculi XV. Exstabat hujus editionis exemplar Norimbergæ in bibliotheca Godofredi Thomasii. Vid. ejus Catal. vol. III, sect. I, num. 2814. Nunc illatum est bibliothecæ publicæ Academiæ Helmstadiensis.

Hactenus Calpurnius solus. Nunc accedit Nemesianus, cui quatuor Eclogæ attributæ.

6. *Bucolica Calphurnii et Nemesiani.* In fine : *Impressum Parmæ per Angelū vgoletū : E vetustissimo atque emendatissimo Thadæi Vgoletti codice e germania allato ī quo Calphurni et Nemesiani vti īpressi sunt tituli leguntur.* fol. Hic non solum quatuor extremæ Eclogæ Nemesiano auctori tribuuntur, sed et Calpurnianis prioribus hic titulus præfigitur : *Titi Calphurnii Siculi Bucolicum carmen ad Nemesianum Karthaginensem incipit.* Annus impressionis non additur, sed Maittarius, tomo I, p. 748 affirmat, Ugoletum impressisse Parmæ anno 1493, idemque Ausonii poetæ opuscula per Ang. Ugoletum Parmæ a. 1499 excusa refert p. 689. Vlitius putabat hoc exemplum circa annum 1500 editum, ejusque lectiones in libellum suum variantium transtulit, quas et mihi e bibliotheca Electorali Dresdensi suppeditatas esse fateor. In extremo exemplaris folio, forte ne spatium illud vacaret, additum est epitaphium vetus Romæ inventum, quod Pithœus inter epigramm. et poem. vet. p. 117 vulgavit : *Qui colitis Cybelen, et qui Phryga plangitis Atim,* etc.

7. *Iodoci Badii Ascensii in C. Calphurnii Bucolica facilis commentatio. Ex officina chalcographa Ascensii,* qui in fine hanc operam se navasse dicit M. Durando Gerlerio

Parrhisiensium librario jurato; ad quartum Calendas Decembres anni MDIII, in 4. Hæc editio rursum Eclogas XI sub C. Calphurnii nomine exhibet, et Romanam principem exprimit, paucis exceptis, quæ Ascensius emendasse videtur. Varias ejus lectiones cum commentariis Ascensii repetit splendida editio Venatic. et Bucol. poet. quæ Lugd. Bat. et Hagæ Com. 1728 in 4 prodiit; unde ipse habui.

8. *Eclogæ Vergilii, Calphurnii, Nemesiani, Francisci Petrarchæ, Ioannis Boccacii, Ioann. Bapt. Mantuani, Pomponii Gaurici.* In fine: *Impressum hoc opus Florentiæ opera et impensa Philippi de Giunta bibliopolæ Florentini, Anno salutis Mille. CCCCC. IIII. Decimo quinto Calendas Octobris*, in 8. Vid. Maittar. Annal. Ind. p. 329. Hæc quidem Parmensem sequi in Nemesiano nominando, cæterum ex alio codice expressa videtur, quod inscriptiones sive titulos singularum Eclogarum, ut Delos, Crotale, etc. prima exhibet et in lectionibus ab ista multum discedit. Sæpius eam laudat et ad partes vocat alterius Florentinæ anni 1590 auctor Rob. Titius. Recentiorum nemo eam contulit, ne Burmannus quidem, qui serius acceperat. Mihi ejus notitiam luculentam fecit Jo. Mich. Franckius e bibliotheca Electorali Dresdensi.

9. *Calpurnii et Nemesiani Bucolicum carmen, cum commentariis Diomedis Guidalotti.* Bononiæ, 1504, fol. Hic prorsus Parmensem editionem sequitur, et divisis libellis commentarios in Calpurnium et Nemesianum distinguit; illum Principi Alexandro Bentivolo, hunc Christophoro Pogio, Secretario ejus, dedicat. Servat hujus edit. exemplum bibliotheca Elector. Dresd. Commentarii Guidalotti cum præfationibus additi sunt editioni Leidensi, 1728.

10. Hoc loco placet ponere veterem illam, quam Casp. Barthius in notis ad Gratium, Nemesianum et Calpurnium sæpe jactavit, et Janus Vlitius Germanicam ἄτοπον vocat. Eam Barthius, Longobardico charactere impressam, eo, quo ipse scribebat, tempore sæculi ætatem excessisse dicit

ad Calpurn. Ecl. III, 38; IV, 34 et 40, ita ut ad annum 1513 referenda foret: nactum se eam esse in ruinis veteris cœnobii ad silvam Hercyniam, monet ad Claudian. p. 147 edit. prim. annum nec locum expressum esse, sed in fine adscriptum esse typo, Andream Lotterum architectum esse, quem Lipsiæ habitasse conjicit ex aliis libris eodem charactere ab eo excusis, qui penes eum sint; vid. ad Grat. Cyneg. v. 1, et Nemes. Cyneg. v. 1, 57 et 143. Janus Vlitius hanc editionem nunquam exstitisse, sed fictam et falso jactatam a Barthio censet, quem propterea multis locis acerbissime insectatur. Id certum est, si habuerit Barthius ejusmodi exemplar, quale describit, rem esse miraculo similem, quæ doceat exstitisse in Germania Gratium et Nemesianum cum Bucolicis Calpurnii editos ante, quam Venetiis apud Aldum prodirent, et magno in errore fuisse orbem eruditum, qui eos a Georgio Logo Silesio A.D. 1534 e vetusto exemplari Sannazari primum editos crediderit. Neque repertus est hactenus quispiam eruditorum, qui antiquam illam Germanicam se vidisse testaretur, et, qui Vindicias nominis Barthiani contra Vlitium suscepit, Matthæus Lagius ad hanc criminationem satis jejune et timide respondet, quasi de re agat non certo sibi comperta. Præterea nullum in typographis veteribus Andream Lotterum agnoscunt annales typographici, sed Melchiorem Lotterum, qui Lipsiæ primum, post Magdeburgi impressit. Nisi lectiones, quas Barthius e suo codice profert, valde ab aliis discreparent, suspicarer, forte ejus menti obversatam esse antiquissimam Eclogarum editionem Parmensem, e codice e Germania allato expressam per Ang. Ugolettum, et pro hujus nomine Germanicum et notius Andreæ Lotteri ei per errorem memoriæ succurrisse, unde et factum sit, ut variantes lectiones Gratii et Nemesiani aliunde excerptas ad istum veterem Eclogarum codicem referret; quoniam vero ille diserte affirmat, Cynegeticos Calpurnio conjunctos in vetusto eo,

quod laudat, exemplari fuisse, idque tum præsto sibi fuisse, quum notas suas scriberet (vid. ad Gratii v. 1, et Nemes. Cyneg. v. 143), nunc mihi omnis ejus excusandi ratio conclamata videtur.

11. *T. Calphurnii Siculi et Aurelii Nemesiani Carthaginensis, Poetarum Æglogæ, decoro diligenter observato, facilique sententiarum ubertate amabiles lectuque dignæ.* Subjiciuntur hi versus : *Ad Lectorem :*

> Prata per, et virides reparatis frondibus agros,
> Per nemus umbriferum, per juga celsa simul,
> Quid faciat ruris studiis assueta colendi
> Simplicitas, docet hoc, candide lector, opus.

Sequens præfatiuncula pauca habet de ætate horum poetarum et Crinito, e recentiores poetas bucolicos laudat. Sub finem Eclogarum Nemesiani legitur : *Hieronymus Victor et Joannes Singrenius impresserunt Viennæ Austriæ, Expensis suis. Anno M.D.XIIII.* Constat foliis 20 in 4. Possidebat frater meus Wernsdorfius. Expressa est e Florentina Giuntæ, quod tituli Eclogis præpositi et lectiones collatæ docent. Talis etiam est sequens :

12. *T. Calphurnii Siculi Bucolicon, et Aurelii Nemesiani Cartaginiensis Eclogæ.* Subjectæ sunt Joannis Joviani Pontani Operibus collectis. *Venetiis in Ædibus Aldi et Andreæ soceri, mense Februario.* M.D.XVIII. in 8. Hanc voco Aldinam primam. Est apud me.

Hactenus sola Bucolica; nunc accedunt Cynegetica Gratii et Nemesiani.

13. *Poetæ tres egregii, nunc primum in lucem editi : Gratii de venatione, lib. I. P. Ovidii Nasonis Halieuticon liber acephalus; M. Aurel. Olymp. Nemesiani Cynegeticon, lib. I. Ejusdem Carmen bucolicum; T. Calpurnii Siculi Bucolica; Adriani Cardinalis Venatio;* cum præfatione Georgii Logi Silesii ad Antonium Fuccarum, Augusta-

num. *Venetiis in æd. heredum Aldi*, 1534, 8. Est in biblioth. Elector. Dresdensi et in Ducali Guelferbytana. Bucolica in ea expressa sunt ad exemplar editionis Parmensis Ugoletti. Dixi de ea in procemio ad Gratium. Eodem, quo prodiit, anno repetita est, jussu, ut puto, Fuccari, cui dedicaverat et miserat Logus.

14. *Augustæ Vindelicorum*, per H. Steynerum, 1534, 8. Plane e Veneta, vel Aldina secunda, sed admodum negligenter et festinanter expressa est, ita ut etiam indices vel custodes paginarum Aldinæ loco non conveniente medios inter versus imperite repetat. Omisit etiam Adriani Venationem. Plene atque per omnia Aldinam refert sequens:

15. *Apud Seb. Gryphium, Lugduni*, 1537, 8. Est in mea supellectile libr.

16. *Tiguri apud Froschoverum*, 1537, 8. Sola tenet Bucolica. Hanc falso a Barthio adductam suspicabatur Vlitius, sed Gesnerus in Bibliotheca memorat, et P. Burmannus possedit ejusque variantes lectiones exegit. Idem testatur, in prima ejus pagina duo disticha illa legi, quæ supra ad num. 11 recitavi. Unde suspicor expressam esse e Viennensi, et lectiones adeo habere Juntinæ. Ipse non vidi (1).

17. *Rerum bucolicarum scriptores : P. Virgilii Eclogæ X, T. Calphurnii Eclogæ VII, Aurel. Nemesiani Olympii Eclogæ IV et Act. Sinceri Sanazarii Eclogæ V*. Francof. apud Christoph. Egenolphum, 1539, 8. Ego nondum vidi, scio tamen exstare in ditissima bibliotheca Electorali Saxonica, et quantum e variis indiciis colligere licet, ducta videtur e Juntina, cujus etiam collectionem Bucolicorum imitata est.

18. *Bucolicorum autores XXXVIII, quotquot a Virgilii*

(1) Sed postea ipse ego nactus exemplum hujus editionis sum, vidique verum esse quod suspicatus erat Wernsdorfius, eamque per omnia similem esse Viennensi. Tantum in fine adjectus est Antonii Thylesii Consentini Cyclops. Ed.

ætate ad nostra usque tempora eo poematis genere usi sunt. Farrago Eclogarum CLVI, nunc primum in studiosorum juvenum usum collecta. Basil. ex offic. Jo. Oporini, an. 1546, 8. In his auctoribus primum locum tenent Calpurnii et Nemesiani Eclogæ, sequuntur Ausonii Ecloga, in qua Cupido cruciatur, et ejusdem altera de vita humana, porro Antonii Codri, Jov. Pontani, Fr. Petrarchæ, etc. Calpurnium Oporinus dedit ad exempla primarum editionum Daventriensis, Nordheimensis, Ascensianæ, quarum et lacunas aliquas retinuit; idem tamen multa correxit, in quibus partim judicio suo, partim aliorum auctoritate exemplorum usus videtur. Exstat in bibliotheca Ducali Guelferbytana.

19. *Inter epigrammata et poematia vetera* Petrus Pithœus Calpurnii et Nemesiani Eclogas, sicut et Gratii et Nemesiani Cynegetica, edidit Paris. 1590, 12, et Lugduni, 1596, 8. Fundus editionis est Juntina, sed et hic pleraque collata cum aliis exemplaribus et emendata sunt.

20. *Nemesiani et Calpurnii Bucolica cum commentariis Roberti Titii.* Florentiæ, 1590, 4. Additæ sunt epistolæ Hugolini Martelli, quibus loca quædam poetarum aliter, atque Titius, explicare conatur. Contextum Eclogarum dedisse e Parmensi et Aldina secunda videtur, sed aliis collatis castigatum.

21. *Daretis Phrygii de bello Troiano libb. VI, a Corn. Nepote* (verius Josepho Iscano) *latino carmine donati;* it. *Lucani Panegyricum ad Calp. Pisonem, Gratii et Olympii Cynegeticon, Rufi Festi Avieni descriptio orbis, Olympii et Calpurnii Bucolicon.* Antwerpiæ apud Joach. Trognæsium, 1608, 8. Expressa est ad Pithœanam. Nihil in ea P. Burmannus se notavisse affirmat, quod critici oculos aut mentem advertere mereatur; idem tamen ad Eclogam II Nemesiani monet, Eclogam eam in Trognæsiana editione an. 1608 non comparere, sed per asteriscum indicari esse lacunam, et statim sequi Eclogam III, ubi Pan trium

puerorum impulsu modulatur. Id quo spectet, ipse exposui supra in procemio num. VII.

22. In corpore omnium poetarum veterum Latinorum, quod Genevæ et Aurel. Allobrogum, 1611, tomis II in 4 prodiit, Nemesianus et Calpurnius excusi leguntur. Huc simul refero alias ejusmodi collectiones poetarum, quales sunt, quæ Lugduni 1616, 4, et a Mich. Maittario Londini et Hagæ Comitum 1713 et 1721, tomis II, fol. item Mediolani 1731 seqq. cum versione Italica tomis XXVIII, in 4, prodierunt, et hos poetas e melioribus exemplis expressos dedisse feruntur (1).

23. *Venatici et Bucolici poetæ Latini, Gratius, Nemesianus, Calpurnius, cum commentar. Casp. Barthii. Acc. fragmenta Vespr. Spurinnæ.* Hanoviæ, 1613, 8. Poetas hosce ad Pithœanam editionem recensuit, et pleraque solo ingenio se affirmat restituisse, nec editione antiquiore usum, præter Germanicam aliquam ἄτοπον et Tigurinam. Quamobrem quantopere vapulaverit a Vlitio, qui post eum ad hos auctores accessit, supra memoravimus. Nos Barthii commentarios minime contemnendos, et multa in his felicius enodata, quam in aliis, candide judicamus. De adjectis Spurinnæ fragmentis videatur judicium Fabricii, Bibl. Lat. lib. I, cap. 16, p. 284.

24. *Gratius, Nemesianus, Calpurnius, cum Darete Phrygio.* Duaci, 1632, 8. Edidit Alexand. Carol. Trognæsius, Joachimi filius, et plane expressisse ex antiquiore Trognæsiana, quam num. 21 memoravimus, videtur, quandoquidem et secundam Nemesiani Eclogam, ut illa, omisit. Exstat in bibl. Elector. Dresd.

25. *Jani Vlitii Venatio Novantiqua*, h. e. Auctores rei ve-

(1) Post illos Collectio Pisaurensis omnium poematum, carminum, fragmentorum Latinorum, tomo IV, qui poetas minores et minimos continet, dedit Gratium, pag. 20 seqq. Nemesiani Cynegeticon, p. 139, ejusque Eclogas, pag. 142; et Calpurnii Bucolicon carmen ad Nemes. Carthag. p. 145. Ed.

naticæ antiqui, cum Bucolicis Nemesiani et Calpurnii, cum comment. J. Vlitii. Ex offic. Elzev. 1645, 12. Plenius de hoc libro egi t. I horum poet. in præf. ad Gratium.

26. *Poetæ Latini rei venaticæ scriptores et bucolici antiqui*, cum notis integris doctorum virorum. Lugd. Bat. et Hag. Com. 1728, 4. Sunt in hac omnes, quæ adhuc exstiterunt, notæ, in Venaticos quidem Barthii, Vlitii, Th. Johnsoni, Ed. Brucei, in Bucolicos Ascensii, Guidalotti, Titii, Martelli, Barthii, item in tres priores Calpurnii Eclogas Gerard. Kempheri; quibus accesserunt Fracastoris Alcon, M. Lagii Vindiciæ nominis Barthiani, et Jo. Caii libellus de canibus Britannicis. Editio hæc sine dubio splendidissima omnium est, et typorum chartæque elegantia figurisque æri incisis ornatissima, quales paucæ auctorum veterum prodierunt; adderem etiam consummatissima, nisi Burmanniana successisset. Dicitur adornata consilio Sigeb. Havercampi; quod tamen indigne tulit P. Burmannus, qui tunc ipse eorum poetarum editionem moliebatur, atque in bibliopolam et editores, qui eam curaverant, graviter invectus est in præfat. ad Poet. Lat. minores. Modeste ad hæc respondit Havercampus in præfat. ad Eutropium a se editum an. 1729, 8.

27. *Poetæ Latini minores, cum integris doctorum virorum notis, et quorumdam excerptis, curante P. Burmanno.* Leidæ, 1731, tomi II, 4. Tomo priore Gratii et Nemesiani Cynegetica cum hujus fragmentis de aucupio, Eclogæ item Nemes. et Calpurnii continentur; tomo II prodeunt Rutilii Numatiani Iter, Serenus Sammonicus et Marcellus de Medicina, Rhemnius Palæmon de ponderibus et mensuris, denique Sulpiciæ Satyra. Præter suas in omnes hos poetas annotationes Venaticis adjecit Rob. Titii ineditas, omisit autem Brucei, ut in Bucolicis Ascensii et Guidalotti commentarios, quos Havercampi editio dederat. Quibus præterea præsidiis usus sit Burmannus in hac editione adornanda, passim ipsi suo loco notavimus.

28. Les *Pastorales de Némésien et de Calpurnius, traduites en français avec des remarques et un discours sur l'Églogue.* Bruxelles, Balth. Winfeld. 1744, in-8.

29. M. Aur. Olympi Nemesiani, poetæ Carthaginiensis, nec non T. Calpurnii Siculi Opera quæ exstant omnia. Luneburgi, literis Sternianis, anno 1746, in-8. Editor est Henricus Gottlieb Schmid, quamvis non nominatus. In præfatione fatetur, se uti adnotationes adjicere haud necesse esse putaverit, ita satis habuisse contextum verborum purum, nitidum, omnibusque mendis, quoad ejus fieri potuerit, purgatum dare.

30. *Poetæ Latini minores, ex editione Petri Burmanni fideliter* expressi. Glasguæ, 1752, in-8. Nihil nisi textum a Burmanno recensitum exhibet, cæterum chartæ et typorum nitore elegantissima est.

31. *M. Aur. Olymp. Nemesiani Eclogæ IV, et T. Calpurnii Siculi Eclogæ VII, ad Nemes. Carthaginiensem,* cum notis selectis Titii, Martelli, Vlitii, et integris P. Burmanni. Mitaviæ, 1774, in-8.

Satis ampla hæc series editionum est Poetarum bucolicorum, et fortasse plures sunt, quæ curam et scientiam meam fefellerint. Neque nunc annumerare iis volo, quas viri docti olim appararunt et promiserunt, nec perfecerunt tamen : nam Franc. Modius Lection. Novantiq. epist. XVII profitetur, velle se Gratii, Nemesiani et Calpurnii poemata scholiis passim explicata, aliorumque poetarum ejusdem argumenti collatione illustrata edere. Præterea Ludov. Carrion, not. ad Valer. Flacc. Argon. lib. II, 260, indicat in animo se habere, Calpurnium et Nemesianum ab infinitis mendis repurgare; idemque testatur de eo Barthius, ad Calp. Ecl. VII, 41. Denique etiam Jo. Matth. Gesnerum novimus Calpurnio cæterisque poetis bucolicis edendis operam suam destinasse, quod ipse indicat in epistola ad Bayerum, libro I Sylloges novæ epistol. varii argumenti, No-

rimb. 1760, 8. Sed hæc eorum virorum omnis opera intra conata et promissa substitit. Et in numerosa editionum, quæ prostant, serie, quantum e diligenti earum recensione didici, haud amplius tres quatuorve reperies præcipua consideratione dignas, et usu critico insignes, cæteras vero ex iis propagatas. Tot enim fere sunt, quæ vel ex diverso manuscripto excusæ, vel cum judicio critico recensitæ videantur, et reliquarum veluti familias ducant, nimirum Romana princeps, Parmensis Ugoletti, Florentina Juntæ, et Parisiensis Pithœi. Romana Daventrienses duas, Nordheimensem, Coloniensem, Ascensianam sequaces habet, tum plerosque manuscriptos, qui hodienum reperiuntur, consentientes. Parmensis ducit Bononiensem Guidalotti, Aldinam secundam cum Augustana et Gryphiana, Florentinam secundam Titii; Juntina vero Viennensem, Aldinam primam, Tigurinam, Francofurtensem Egenolphi, denique Parisiensem Pithœi. Basileensis, vel Oporiniana, singularis est, quæ quidem ad vetustiora exemplaria Romanæ aut Daventriensis expressa est, sed pleraque mendosa et hiulca loca tam feliciter restituit et corrigit, ut si emendationes istæ ex alio bono codice, non ex sola conjectura Oporini profectæ sint, certe hæc editio in præstantissimis habenda videatur. Idem fere dicendum de antiquiore Ascensiana; sed quamquam primus Ascensius Calpurnium commentario illustravit, et paullo post Diom. Guidalottus, neuter tamen eorum in notis suis magnum poetæ critice emendandi studium præ se fert. Id primus ei præstitit Franciscus Modius in Lectionibus Novantiq. Francof. 1584, 8, et mox Pithœus in Parisiensi editione Bucolicorum recensionem cum judicio et collatione aliorum librorum videtur instituisse; quem deinde alii, maxime Trognæsii, in editionibus anni 1608 et 1632, tum Barthius et Vlitius in multis sequuti sunt. Quædam post Barthium e collatione codicis Palatini tentavit Janus Gebhardus in Crepundiis, lib. II, cap. 17. Ex ista editionum omnium ordinatione judicare de variantibus, quas contexto

Calpurnii subjecimus, licebit, quarum silva nisi ante a me congesta esset, quam mihi satis de earum familiis constaret, certe multo parcior in iis enotandis fuissem. Nunc consultum putavi, nihil in istis minutiis, semel congestis, mutare, quæ tam opportunæ errori et confusioni sint (quare nos mutaverimus, vide Præmonitionem nostram huic volumini præfixam. Ed.). Proximum est, ut notas, quibus in enotanda lectionis varietate usus sum, subjiciam.

NOTÆ
EDITIONUM CALPURNII.

R. Romana princeps. 1471.
D. Daventriensis. 1491.
N. Nordheimensis.
Ug. Parmensis Ugoletti.
Q. Coloniensis, ex ædibus Henr. Quentell.
As. Ascensiana. 1503.
Bo. Bononiensis Guidalotti. 1504.
F. 1. Florentina prima Juntæ. 1504.
V. Viennensis. 1514.
A. 1. Aldina prima. 1518.
A. 2. Aldina secunda, quæ cum Venaticis prodiit. 1534.
Gr. Gryphiana. 1537.
T. Tigurina. 1537.
O. Oporiniana. 1546.
P. Pithœana. 1590 et 1596.
F. 2. Florentina secunda cum comment. Titii. 1590.
G. Germanica ἄτοπος Barthii.
B. Editio Barthii, vel ipsius commentarii.
Vl. Vlitii editio, vel ejus notæ.
MS *Pal.* sunt variationes scriptorum codicum Palatinæ biblioth. quas Gebhardus et Barthius in Advers. citarunt. — MS *Tit.* quas Titius ex scriptis libris allegavit. — *Voss.* quas Burmannus e codice Vossiano. — H. quas idem e cod. Heinsii. — *Dorv.* quas idem a Dorvillio accepit. — *Mod.* MS, e quo Modius multa emendavit. — *Goth.* Codex Biblioth. Gothanæ Eclogarum Calp.

II.

DE SEVERO SANCTO

ET

CÆTERORUM POEMATUM

CALPURNIO SUBJECTORUM

AUCTORIBUS.

Quod in Eclogis bucolicis mihi faciundum putavi, ut, quæ falso hactenus inter Calpurnium et Nemesianum divisæ essent, uni Calpurnio deberi vincerem, idem mihi fere in carmine Severi Sancti evenit, cujus auctori in primis statim editionibus ea nomina attributa sunt, quæ non unius, sed duorum diversissimorumque hominum esse, liquido potest demonstrari. Primus hoc carmen, ab Elia Vineto acceptum, edidit Petrus Pithœus, cum *Veterum aliquot Galliæ Theologorum scriptis*, Parisiis 1586, in 4, hac sub inscriptione, *Severi, Rhetoris et poetæ Christiani carmen bucolicum.* Idem paullo post prodire jussit in collectione Epigrammatum et poematiorum veterum, Parisiis 1590, iterumque Lugduni 1596, p. 573, ubi sic inscripsit: *Incipit Carmen Severi Sancti, id est, Endeleichi Rhetoris, de mortibus boum.* Utramque inscriptionem deinde repetierunt editores Bibliothecæ Magnæ Patrum, cui idem carmen insertum est. Est autem inscriptio a Pithœo præfixa, sigillatimque Endeleichi nomen additum, ut ex ipsis voculis *id est* intelligitur, non ex antiquo codice, sed ex Pithœi, aut alius qui

suppeditaverat, conjectura et opinione profectum: Veterum enim is minime mos fuit, ut diversa unius hominis nomina ita conjungerent. Itaque alii post Pithœum eruditi nomen illud Severo Sancto additum sic acceperunt, ut putarent, Severum Sanctum eumdem esse, ac qui alias memoretur Endeleichus. Videamus nunc, ubi is repertus sit. Endelechii, amici sui, meminit Paulinus Nolanus, epistola IX ad Sulpicium Severum, eumque sibi auctorem fuisse scribit opusculi de Theodosio Imperatore componendi. Præterea indicium Endelechii rhetoris facit annotatio vetus in codice Apuleiano bibliothecæ Vaticanæ reperta, quam referunt Sirmondus in not. ad Sidon. Apoll. lib. IV, epist. 8, Geverard. Elmenhorstius ad Apuleium; Rosweidus in not. ad Paulin. l. c. Curtius Pichena, præfat. append. not. in Tacitum. Est vero hujusmodi: *Ego Salustius legi et emendavi Romæ feliciter, Olybrio et Probino Coss. in foro Martis controversiam declamans oratori Endelechio. Rursus Constantinopoli recognovi Cæsario et Attico Coss.* Enimvero nullum hic indicium Endelechii pro Severo Sancto habendi est: neque enim uspiam Endelechio nomen Sancti apponitur, ut neque Sanctis, qui dicuntur, nomen Endelechii. Flavium Sanctum, affinem suum, memorat Ausonius, Parental. XVIII, quem innuit præfectum agri Rutupini fuisse. Et ad Sanctum quemdam epistolam XXVI scribit Paulinus, quem illius Sancti filium fuisse conjicio. Alium Sanctum, cum Gallicino, Burdegalæ episcopatu functum, ut familiarem suum laudat Sidonius, lib. VIII, epist. II. Atque hi omnes Aquitani fuisse et in Gallia vixisse videntur, siquidem et Reinesius epistola VIII ad Daumium, p. 24, Sanctorum gentem illustrem et celebrem inter Gallicas fuisse ostendit, pluribus Gallis ejusdem nominis e veteri memoria productis (1). Nullus horum cognomento Endelechius

(1) Antiquioribus jam temporibus Sanctorum nomen inter Gallos usitatum fuisse probat Claudius Sanctus, a Tacito memoratus Hist.

vocatur. Quam autem rationem sequi docti viri in Endelechio cum Severo Sancto commiscendo potuerint, equidem non perspicio, nisi æqualis utriusque ætas fuit : nam Olybrius et Probinus Consules, quibus Romæ docuit Endelechius, fuerunt A. C. 395, cujus anni initio Theodosius Imp. decessit, quem laudandum ille Paulino commendabat. Et Severum Sanctum, carminis bucolici auctorem, Theodosiano ævo vixisse, quum ex argumento ejus carminis demonstrari potest, tum inde colligi, quod idem Sanctus familiaris Paulini fuisse videtur, ad quem epistola XXVI scribit. Præterea rhetoris et poetæ Christiani elogium, si in fronte carminis, quod Pithœus edebat, Severo Sancto vere appositum fuit, forte caussam aliquam præbuit doctis viris, ut Endelechium rhetorem huc referrent. Verum Paulinus, qui utriusque meminit, eos clare distinguit, suo quemque nomine proprio appellans. Et reliqua eorum sunt disparia : nam Endelechius Romæ vivebat, Severus Sanctus in Gallia; ille rhetoricam Romæ docebat, hic an rhetor unquam fuerit, dubium est, certe fuit Burdegalensis, non Romanus, seque in Gallia scripsisse, in ipso carmine prodit, ubi luem boum scribit ante Belgas vastasse, nunc etiam ad populares suos transiisse. Et si pluribus argumentis discrimen Sancti et Endelechii probare non datur, quod rara utriusque mentio apud Veteres reperitur, satis tamen hæc valebunt ad alteram opinionem, quæ diversorum nomina uni homini tribuit, nec ullo vetustatis testimonio nititur, rejiciendam. Quo magis mirum est, levem conjecturam Pithœi, inscriptione carminis expressam, sic amplecti omnes fere eruditos potuisse, ut non solum qui obiter ejus carminis mentionem injicerent, sed etiam qui data opera de eo agerent, auctorem Endelechium profiterentur. Ad istos referendi Sirmondus l. c. Savaro ad Sidon. Apoll. lib. II,

lib. IV, cap. 62, qui dux viæ dicitur legionibus Romanis datus, quæ se Gallis dediderant. Ed.

epist. II et XII, 3; Rosweidus ad Paulin. l. c. ad hos Gerh. Jo. Vossius in opere de poetis Lat. Thomas Reinesius l. c. Jo. Weitzius et alii qui carmen illud edendum curarunt. Quamquam nec diffitendum est, anonymum auctorem editionis Lugduno-Batavæ 1715, in præfatione, et Christ. Schoettgenium, vol. VI Bibliothecæ Lat. Fabric. p. 470, hæsitanter de auctore loqui, et dubitare, an forte plures eo nomine appellati perperam pro uno sint habiti (1).

De auctore igitur carminis, Severo Sancto, quæ præterea dici possint verisimiliter, non habeo, nisi eum fuisse Sanctum opinemur, ad quem, unaque Amandum, scripta est Paulini epistola XXVI. Amandum enim quoniam ferunt posthac episcopatu Burdegalensi functum esse, hinc colligas Sanctum cum Amando vixisse Burdegalæ, et, si vere ei rhetoris elogium tribuit inscriptio carminis, ibi Grammatici vel Rhetoris officio functum esse: quod ipsum etiam carminis de mortibus boum argumentum et œconomia prodit, quandoquidem videtur in exponenda lue jumentorum illustre narrationis vel descriptionis exemplum, Rhetorum more et exercendi ingenii gratia, componere, eoque veterum historicorum et poetarum locos imitari voluisse. Ex eadem ratione haud temere conjicias, pertinuisse hunc Sanctum ad cognatos et affines Ausonii poetæ, quorum plures vivebant in Aquitania, et fortasse filium fuisse Flavii Sancti, quem Ausonius in Parental. n. XVIII et XIX ut affinem laudat, et filium habuisse memorat. Deorum cultui prius addictum, mox Christo nomen dedisse, innuit Paulinus, epist. cit. Occasionem scribendi carminis habuit a pestifera lue, quæ boves per Pannoniam primum et Illyricum, deinde Belgas, straverat, tum etiam penetraverat in Galliam. Vid. vers. 22. Luem hanc A. C. 409, Alarico Ita-

(1) Th. Reinesius in epist. LXV ad Daumium: « *Severi Endelechii ætatem incertam Vossio, feci certissimam in epist. ad Weitzium, qui eam secundæ editioni suæ accusurus fuit* ». Ed.

liam ingresso, perruptis ejus e Pannonia et Illyrico claustris, infudisse se, et longe lateque agros, armenta, viros vastasse, Ruffinus ad Chromatium refert, apud Sigonium, lib. X de Occid. imp. Sed annum ejus calamitatis vix definire licet, neque etiam necesse est. Diu enim multumque, per variasque terras, inter bella et eluviones gentium continuas grassata hæc lues videtur, quod inprimis testatur Ambrosius, ejusdem temporis scriptor, Commentar. in Lucam, lib. X, cap. 21, tomo IV Oper. p. 739: *Quanta*, inquit, *prælia et quas opiniones accepimus præliorum! Quæ omnium fames, lues pariter boum atque hominum, cæterique pecoris, ut etiam nos, qui bellum non pertulimus, debellatis tamen pares fecerit pestilentia.* Copiose etiam de horum temporum calamitatibus agit Salvianus Massil. lib. V. de Gubern. Dei. In ipso carmine Severus Christum bis memorat ut Deum, eumque nunc solum magnis in urbibus coli perhibet, v. 106. Vim signi crucis summopere prædicat, et fide accedente pestilentiam eo sedatam esse asserit, contra nihil paganorum sacrificia et cæsas victimas profuisse. Quæ sane demonstrant, scriptum esse carmen eo tempore, quo Christiana quidem religio, multa jam superstitione contaminata, invaluisset, superessent tamen et passim celebrarentur sacrificia et ritus gentilium, hoc est, scriptum esse ævo Theodosii, aut ei proximo. Sub Theodosio enim constat paganismum ita sublatum, ut clausis aut destructis Deorum templis in urbibus non alia, quam Christi religio coleretur, gentilium vero cultus exterminatus in agris pagisque subsisteret. Scopus Severi in hoc carmine elaborando fuisse videtur, ut in publica calamitate mortiferæ luis hominibus suis auxilium Christi petendum suaderet, eoque cultum religionemque ejus commendaret. Quum hæc calamitas rem rusticam attingat, putavit sibi id argumentum carmine rustico, vel ad formam veteris bucolici composito exsequendum. Similiter alium fecisse poetam Christianum, ut carmine bucolico et Tityri nomine usurpato, Christum cele-

braret, discimus ab Isidoro Hispal. Orig. lib. I, cap. 38, ubi de centonibus Virgilianis, sigillatim Probæ Adelphii uxoris, loquens, hæc addit: *Sic quoque et quidam Pomponius ex eo demum poemate inter cætera styli sui otia Tityrum in Christi honorem composuit.* Ausonius inter cognatos suos Pomponium Maximum, sororis filium, ab ingenio et facundia laudat, Parental. XVII; et, nisi Pomponius ab Isidoro nominatus hic ipse est, certe ex ætate et cognatione Ausonii, adeoque et Severi Sancti, is fuisse videtur, qui utriusque exemplo et Christum carmine bucolico celebrare et centonibus Virgilianis uti voluerit.

Quod a Pithœo aliisque editoribus carmen Severi bucolicum, item Ecloga bucolica, appelletur, id graviter indignatur, qui editionem Leidensem curavit, in præfatione, existimans, neque auctorem Severum ita appellavisse, neque carmen ipsum dignum esse, quod inter Bucolica veri nominis numeretur, quum neutiquam ad istam dulcedinem ascendat, quam ratio ejus carminis poscat, ut sub humili rerum agrestium tractatione intelligatur abscondere aliquid mirificum, quod vel in palatiis vel in urbe inter vicinos aut amicos acciderit; sed potius nude enarret atque deploret ea, quæ in agris ex vero contigerant, et præter nomina ab pastoribus aut bubulcis olim usurpata apud poetas, nihil habeat fere, quod ad formam carminis bucolici pertineat. Ego quidem hæc vere dici fateor; immo auctorem hoc magis credo in leges carminis bucolici impegisse, quod, quum alias vitæ pastoritiæ, qualis priscorum hominum fuit, securitas, amœnitas, gaudia et deliciæ eo carmine adumbrari soleant, contra in hoc summa ejusdem miseria et calamitas describatur; idem tamen contendo, non magni adeo momenti hanc controversiam esse, potuisseque a doctis viris carmen bucolicum appellari, laxamento ei voci dato, quod qualicumque modo ei simile esset. Deinde vix dubito, tametsi auctor carmen suum ipse non inscripserit bucolicum, quod certo affirmari nequit, scripsisse id tamen ea mente,

ut bucolicum videretur. Nam ea ætate, qua scribebat Severus, recto de literis judicio deperdito, certum est, quum aliorum poematum, tum bucolici præsertim, naturam fere ignoratam et neglectam esse, ita ut ejus generis haberetur, quodcumque agrestium vel pastorum de rebus agrestibus confabulationem teneret. Eum errorem jam in Calpurnio, quamvis haud spernendo poeta, præsertim in ejus Ecloga V, observare licet, in recentioribus autem poetastris, ut in Bedæ Ecloga, quam ipsi dabimus, et in Metelli Tegerseensis, sæculo XII scribentis, Quirinalibus, a Canisio editis, multo magis. Reinesius titulum *carmen bucolicum* probare magis videtur, quam alterum *de mortibus boum*, quum hoc glossema esse insulsi Grammaticastri putet. Ego tamen hunc tenere tutius arbitror, de quo certius constet, e veteri scripto expressum esse. Quod præterea Severus deserto metro, carminis bucolici proprio, choriambicum usurpavit, id rhetorum more fecisse exercitationis caussa videtur, ut periculum faceret ejus metri componendi, fortasse etiam cum Virgilio Horatium imitari voluit, qui alternos sermones lyricis etiam versibus expressit, lib. III, od. 9. De cætero carmen Severi sua laude non fraudandum est. Narratio ipsa dulcis est, perspicua et elegans, et plurimis adspersa floribus poeticis, quamquam et aliqui ex ævo scriptoris nævi adhærent, et novi verborum significatus constructionesque insolentiores reperiuntur. Quæ de religione et sacris perverse ineptequc sentit auctor, errori ejus sæculi debentur, et æmulum Paulini auctorem demonstrant, qui pariter in carminibus suis de efficacia signi crucis, de miraculis sanationum et servatis etiam jumentis delirat (1).

(1) In Historia literaria Galliæ, scripta per religiosos Benedictinos e congreg. S. Mauri, tomo II, pag. 56, ea Ecloga de mortibus boum attribuitur Sancto, poetæ Christiano, et hic diversus ab Endelechio esse censetur. Præterea huic Sancto, poetæ Christiano, ibi tribuitur poema de parabola Decem Virginum in Evangelio, idque fuisse inter hymnos existimatur, quos Sanctus ille Paulino, qui desideraverat, mittit,

Superest, ut varias editiones, quibus carmen Severi Sancti evulgatum est, paucis recenseam. Post primas illas Pithœi, supra memoratas, insertum est hoc carmen Bibliothecis Patrum Parisiensibus, et quidem editionis secundæ, anni 1589, tomo VIII, p. 275; tertiæ editionis, an. 1624, tomo III, p. 579; quartæ, anni 1654, tomo VIII; Coloniensis, an. 1618, tomo V; denique Lugdunensi maximæ per Anissonios elaboratæ et auctæ, an. 1677, tomo VI, p. 376. Jo. Weitzius hoc carmen cum suis notis et Wolfgangi Seberi racemationibus separatim edidit, Francof. 1612, 8. Hanc editionem repetiit, et splendidioribus typis, addita copiosa præfatione, in qua de auctore et inscriptione carminis disputatur, recudendum curavit vir eruditus in Batavis, qui nomen suum non edidit, Lugduni Batav. 1715, 8, e typographia Petri van der Aa, cui nomini deinceps illita fuit alia schedula, in qua impressum est : Apud Samuelem Luchtmanns, 1717. Recensetur in actis Erud. an. 1716, pag. 80 seq. Jac. Gronovius auctor præfationis videtur Ven. Ernesto, Bibl. Lat. Fabric. tomo III, p. 258. Haud multo post G. Outhofius, Embdæ ad Amisiam ecclesiastes, edito libello, cui titulus : *Judicia Jehovæ Zebaoth, seu bellum divinum, quo petit Deus peccatores*, adjunxit carmen Severi Sancti, id est Endelechii, de mortibus boum, eique præter selectas Weitzii et Seberi annotationes nonnulla a semetipso observata adjecit, Groningæ, 1721, 8. Recensetur hic liber in actis Erud. Supplem. tomo VIII, p. 214. Breves castigationes ei recensioni pag. 218 subjecit C. A. Heumannus, quas excerptas meis annotationibus addere placuit. Recentissime edidit, et novam præfationem de auctore, editionibus et argumento hujus carminis præmisit M. David Richter, Hamburgi 1747, 4. Denique hoc carmen editor Collectionis

epist. XXVI, sive XLI alterius editionis. Sed eo loco hymnorum quidem missorum mentio fit, et disputatio de parabola Decem Virginum inde petitur; utrum vero totum poema illius argumenti fuerit, non satis clare apparet. Ed.

omnium poematum Latinorum Pisaurensis proposuit tomo V, qui anno 1766 prodiit.

Severi Sancti carmini Pithœus in collectione poematum vet. *Vespæ judicium coci et pistoris, judice Vulcano*, subjecit, et nos eum sequuti subjecimus. Quod quidem infimæ latinitatis carmen quum non contemnendum putavimus propter aliquam eruditionem et festivum leporem, tum etiam Bucolicis accensere voluimus propterea, quod altercationem et sermones amœbæos duorum e plebe hominum contineret, quales pastorum in Bucolicis frequenter tractantur. Et quum carmen hoc, multis locis hiulcum et pessime depravatum, viderem, aliquanto rectius, quam adhuc factum esset, posse restitui, invitabat me hæc ipsa ratio, ut hac collectione repetitum et plurimis a mendis liberatum sisterem. Caspar Barthius illud passim in Adversariis, præcipue lib. XXX, cap. 4, et lib. LI, cap. 7, 10, et 13, recensuit et emendavit, et carmen *ingeniosum nec illepidum*, quamvis argumento vili et ignobili, auctorem autem *versificem non pessimum* vocat. Pauca in eo Pithœus correxit, quæ cum Barthianis excerptis meis annotationibus adjungam (1). E genere autem carminum ludicrorum, cujus plura in antiquitate exstiterunt, unum hoc superest. Cocus et pistor de prærogativa certantes judicio committuntur, arbitro in litem præsidente Vulcano, quo nimirum ambo illi opifices non possint familiariorem rebus suis seligere (2). Talis argu-

(1) Post Pithœum, carmen Vespæ integrum solus fere repetiit Andreas Rivinus, qui illud ad calcem *Cœnæ Cypriani dubiæ per Maturum, Lotharii Cæsaris ministrum, compactæ et digestæ*, recudendum curavit, additis notulis et conjecturis suis, Lipsiæ, anno 1644, ubi carmini hunc titulum præposuit: *Vespæ veteris et ob joca ingeniosa suo ævo non incelebris poetæ Judicium disceptantibus inter se de primatu Coco et Pistore sub arbitro Vulcano.* Sine notis id carmen, omisso Vespæ auctoris nomine, repetitur in Collectione Pisaurensi poet. Lat. tomo IV, p. 224. Rivini autem conjecturas et emendationes suis quasque locis nostris animadversionibus inseruimus. Ed.

(2) Argumentum carminis et ratio inductæ altercationis coqui et pisto-

menti et genii olim fuit Aselli Sabini dialogus, in quo boleti et ficedulæ, et ostreæ, et turdi certamen induxerat : pro quo Tiberium Imperatorem ducenta ei sestertia donasse refert Suetonius, in Tib. cap. 42. Genus hoc ortum et maxime celebratum videtur in conviviis divitum Romanorum, qui inter cœnandum adhibere frequenter histriones, scurras, ludios solebant, convivas exhilarandi caussa. Huc referenda est duorum scurrarum Sarmenti et Messii Cicerri faceta contentio, quam Horatius in itinere suo factam narrat, quum in villa Cocceii Nervæ cum comitibus cœnaret, domino cœnæ haud dubie scurras istos inducente; Horat. Serm. I, 5, 50 seqq. Et Cæsarem Augustum, Suetonius scribit, cap. 74, in cœna *aut acroamata et histriones, aut etiam triviales ex circo ludios interposuisse, ac frequentius aretalogos.* Dicebantur aretalogi, mimi vel ludii, qui joculari ostentatione virtutes et merita sua extollerent ad excitandum risum, qualis Plautinus ille Pyrgopolinices et Terentianus Thraso. Unde et alios, ob loquacitatem notabiles, ita dictos esse, Acro Horatii interpres, Crispini philosophi exemplo docet (1). Erant igitur poetæ, qui ejusmodi aretalogos inducerent carminibus, ipsi dicti aretalogi, et iis re-

ris ducta est a jactantia et gloriatione solita, quæ ferebatur, coquorum apud Veteres, de qua multa lectu digna collegit Th. Crenius, Animadv. Philolog. et Histor. parte III, cap. 2, pag. 32. Ubi inter alia, p. 33 : « Coquorum nationem, quod in libri XX variis lection. cap. 23 observavit Victorius, contumacem gloriosamque apud Veteres fuisse, testimoniis comicorum poetarum intelligitur; qui hujusce modi ipsos in fabulis inducunt. Inprimis autem garrulum vanumque finxit quemdam ejus generis hominem Philemon in Milite, atque artem studiumque suum, supra quam ferri posset, extollentem, etc. » Pag. 34 hæc addit Crenius : *Est et in medio satis eruditum Vespæ poetæ carmen, quo ille Cocum Pistori commisit, et litem apud Vulcani tribunal persequi jussit*, apud *Barthium, lib. XXX Advers. cap.* 3 *et* 4, *col.* 1401. Athenio poeta comicus scripsit Encomium coquorum : vid. Athenæum, XIV, cap. 23. Ed.

(1) Ad Horat. Serm. I, extr. Turnebi de aretalogis sententiam vide, Advers. lib. X, 12.

citandis risum moventes æra mererent, aut cœnas divitum captarent, ut jucundi parasiti. Axium Paulum, rhetorem, Ausonius quasi talem traducere videtur, quem et aretalogum et poetam vocat Epist. XIII, mimosque et carmina scripsisse, et lautioribus cœnis delectatum passim innuit. Sed nostrum Judicii coci et pistoris auctorem in numero aretalogorum habendum, quum totum carminis argumentum ostendit, tum ipse auctor versu 4 confirmat, quo se agyrtam et circulatorem, qui populo ludos faciat, profitetur (1). Neque igitur displicet Casp. Barthii de auctore sententia, Advers. lib. LI, cap. 10: « Omnem, inquit, summam « vitæ mortalium ponit hic poeta in conviviorum ratione; « uti ex omnibus apparet, parasitum aliquem venustiorem « et suaviorem, ut et eruditiorem fuisse ultimis Romanæ « linguæ temporibus, cui rei utique etiam nomen convenit, « Vespæ videlicet, non aliter ei impositum ab urbana ju- « ventute, quam Peniculo illi apud Plautum, cujus Curcu- « lio similem omnino Vespæ huic titulum habet ». Nempe ut parasitos Plautus vocavit Peniculum, qui reliquias mensarum extergeret, Curculionem, qui cœnas arroderet quasi frumentum; ita ille Vespam parasitum poetam ab urbanis putat appellatum, quod cœnas circumvolitans liguriret. Quippe vespas carne vesci, contra quam apes, ferunt; vid. Plin. Hist. Nat. lib. XI, cap. 21. Sed fortasse in appellatione Vespæ sola cœnæ, cujus captator est, significatio quærenda: nam, ut Festus tradit, vesperna olim cœna dicta, et vespillones vespæ, omnes a vespere. Potuit tamen et Vespa verum auctoris, non joco inditum, nomen esse: nam Terentius Vespa exstat apud Ciceronem, de Orat. lib. II, c. 62, ut Lucretius Vespillo in Brut. c. 48, et Aurel. Vict. de Viris illustr. cap. 64. Ætas auctoris in infimam latinitatem conjicienda est, quod et vitia sermonis et peccata in legem Pediam, passim occurrentia, ostendunt, quæ non viden-

(1) Similis argumenti Comœdias, Pistorem et Placentam a Pomponio, antiquo poeta, scriptas aliquoties citat Nonius Marcellus. Ed.

tur omnia errori librarii imputanda. Plura hujus carminis similia habet Testamentum ludicrum Marci Grunnii Corocottæ Porcelli, sæpius editum, ut Fabricius refert, Biblioth. Lat. lib. IV, cap. 3, pag. 309, edit. Ernest. cujus jam Hieronymus meminit in Prooemio VIII lib. in Esaiam.

Quæ carmen Vespæ sequitur, *Bedæ Venerabilis Ecloga*, Cuculus inscripta, æque ac illud contentionem duorum, tertio arbitro, continet, atque tum argumento, quod vitam pastoritiam utcumque attingit, tum ipso titulo inscripto satis prodit, propositum auctori fuisse ut carmen bucolicum scriberet. Sed profecto ultimus ejus generis conatus est; qui defectam ingenio et elegantia ætatem ita prodit, ut verear, ne peritos rei poeticæ offendam, qui rude adeo et ineptum carmen sustinuerim longe præstantiorum ordini adjungere, quamvis idem non inelegans esse carmen censeat Polycarpus Lyserus, Hist. poet. medii ævi, p. 208. Sed excusat me instituti mei lex, quo volebam singula unius generis carmina e diversis collecta ætatibus, modo non plane barbara essent, in unum conferre, et juvari hac ratione historiam poeseos arbitror, ut illius in quoque genere progressus vel defectus ex ipsis exemplis sequiorum ætatum intelligatur. Petrus Pithoeus quidem, ut ipse in emendationibus ad Vetera Epigrammata, ubi de Symposio, declarat, Bedæ Eclogam editione dignam non putavit, idem tamen hanc alteri editioni adjungendam adscripsit exemplari Biblioth. Reg. Paris. quod Petr. Burmannum Sec. permovit, ut operi Anthologiæ Lat. lib. V, carm. LXX inferret. Præterea ediderunt Melch. Goldastus inter Ovidii Erotica et amatoria opuscula, Francof. 1610, pag. 190, et Casim. Oudinus de Script. eccles. tom. II, p. 326. Bedæ auctori tribuerunt plerique codices manu exarati et impressi; sed Miloni, monacho Elnonensi, Oudinus e codice bibliothecæ Colbertinæ. Pithoei manuscriptus liber titulum præferebat, *Virgilii de contentione Veris et Hiemis.* Alii codices tantummodo *Cuculus* inscripserunt; alii *Conflictus*

Veris et Hiemis. Goldastus sub titulo *Bedæ Venerabilis Presbyteri Cuculus* duas edidit Eclogas, et primam *de conflictu Veris et Hiemis* inscripsit; secundam, versibus elegiacis scriptam, *de morte Cuculi*. Sed hanc Alcuino auctori tributam Jo. Mabillonius in codice Elnonensi invenit, imprimendamque curavit Analect. Vet. tomo I, pag. 369, atque ego, quia priore multo deteriorem et plane stolidam, nec a Mabillonio Eclogæ nomine insignitam, reperiebam, nolui hac editione repetere (1). In illa Bedæ recensenda Petr. Burmannus Sec. collatione duorum codicum MSS bibliothecæ Vossianæ et Leidensis, in schedis Nic. Heinsii reperta, item variantibus editionis Francofurtanæ, et Oudini ex codice Colbertino, usus est. Qua opera quum abunde præstitum illi carmini viderem, quod operosiorem curam vix mereri videbatur, paucis ipse defungi volui, satisque habui, Burmanni annotationes excerptas, cum meis quibusdam, contextui carminis, quem ipse ex editione Francofurtana dedi, subjicere. Argumentum poematis hoc est: decertant inter se Ver et Hiems, et sua quisque munera et commoditates extollit, ternis invicem versibus respondentes; tandem judex Palæmon pro Vere pronuntiat (2). Est in Bionis Smyrnæi Idylliis fragmentum aliquod, quo Myrson a Cleodamo de quatuor anni horis interrogatus, quam earum maxime advenire optet, post commemorata reliquarum incommoda, Veris sibi perpetuitatem optat. Equidem Bedæ, vel quisquis est auctor carminis latini, non audeo tantam vel eruditionem vel diligentiam asserere, ut eum putem Bionis carmen græcum imitari voluisse; sed tamen ea est utriusque similitudo, ut, si non de industria græcum sibi proposuerit exprimendum, certe ha-

(1) Utramque tamen, ita ut apud Goldastum inscriptam, dedit Casp. Dornavius, in Amphith. Sapientiæ Socraticæ jocoseriæ, pag. 456 et 457. Ed.

(2) Comparatio Hiemis et Veris a Maximo Planude græce scripta exstare dicitur in codice MS bibliothecæ Cæsar. Vindob. apud Lambec. IV, p. 56, et Fabric. Bibliothec. Græcæ, vol. X, p. 535. Ed.

beat in eo exemplum vetustatis, quo poematis sui argumentum et inventionem tueatur. Quum in eo veris maxime laudes decantentur, et cuculus, avis temporaria, sub adventum veris cantare solita, pro ipsius signo habeatur, hinc cuculus ubique pro vere ponitur, ipsumque carmen inscribitur Cuculus. Qua in ave nescio an poeta imaginem satis pulchram et accommodatam amœnitati veris describendæ repererit, præsertim si antiquitatis de ea judicium spectetur. Antiquis enim cuculus avis pigra et contempta habebatur, convicio etiam et gravi opprobrio inde nato, quod agricolæ et viatores, nomine et cantu ejus alitis imitando, in seros vindemiatores conjiciebant, qui post æquinoctium et vere jam provecto vineas putare deprehenderentur; quem ritum et Plinius accurate exponit, Hist. Natur. lib. XVIII, cap. 26, et passim tangunt poetæ; ut Horatius, amarulentum conviciatorem describens, Satir. I, 7, 29.

> Expressa arbusto regerit convicia, durus
> Vindemiator et invictus, cui sæpe viator
> Cessisset, magna compellans voce cucullum.

Quem locum imitatus est Ausonius in Mosella, v. 165. Neminem veterum et elegantiorum poetarum arbitror cuculi cantum inter veris suavitates laudasse, et multo suavius Beda loco ejus lusciniam induxisset. Sed de prisco sensu et more multum mutavit et serior ætas Bedæ, et populi, in quo vivebat, consuetudo.

III.

DE T. CALPURNIO SICULO

TESTIMONIA AUCTORUM AC JUDICIA.

I. Flavius Vopiscus in Caro, cap. viii.

Junius Calpurnius, qui ad memoriam dictabat, talem ad Præfectum Urbis super morte Cari epistolam dedit inter cætera : « Quum, inquit, Carus princeps noster vere carus « ægrotaret, tanti turbinis subito exorta tempestas est, ut « caligarent omnia, neque alter alterum nosceret, etc. »

II. *Jacobus de Cesollis, scriptor sæculi XIII, libro IV de bello Schaccico, inter plura Ovidii, Senecæ, Plinii, Juvenalis testimonia, quibus incontinentiam mulierum probare vult, etiam hoc e Calpurnii Ecl. III,* 10, *adducit:* Mobilior ventis, o femina : *ubi Scalpurius vitiose pro Calpurnio allegatur. Casp. Barthius eum locum e libro scripto, qui apud eum exstabat, producit et emendat, Advers. lib. XLIX, cap.* 14 (1).

(1) In quibusdam codicibus opus Jacobi de Cesollis inscribitur *De moribus hominum super ludo Schaccorum*. Locus exstat initio lib. IV, cap. *de motu reginæ*. Ejus libri in Bibliotheca Ducali Guelferb. sex codices MSS et una editio impressa Viennæ 1505 apud Winterburgium, in 4, exstant. Præterea duæ versiones Germanicæ et una Gallica, manu exaratæ, Italica vero impressa Venetiis, 1534, in 8. In uno codicum scriptorum Julius Scalpurius nominatur. Codex est sæculo XV exaratus. In editione Viennensi locus Calpurnii non legitur, ut et in uno MSS codicum. Maittair. in Annal. typogr. tom. I, pag. 644, hanc editionem recenset: *Jacobi de Cesollis, Ord. Prædic. Informatio morum, excerpta ex*

III. Franciscus Petrarcha, libro XXXVIII Variar. Epist. ad Gulielmum de Pastrengo, Veronensem.

Exspecto etiam Calpurnii bucolicum carmen, et tuam Varronis agriculturam. *Citat Laur. Pignorius, Symbol. epistol. Epist. XVI, p.* 65 (1).

IV. Angelus Politianus in Nutric. pag. 542 Oper.

. . . . Quid rustica dicam
Jubila pastorum silvis meditata sub altis?
Ut patrias Moschus non inficietur avenas,
Externasque Bion; ut opaca Tityron umbra
Provocet Ausonio Calpurni fistula cantu?

V. Petrus Crinitus de Poetis Latinis, lib.V, cap. lxxxi.

T. Calphurnius natione Siculus fuit, ut inscriptiones veterum codicum probant. Inter eos poetas relatus est, qui scripserunt bucolicum carmen. In hoc enim judicio eruditorum magnopere excelluit, quum gratia carminis, tum elegantia et proprietate. Per eadem tempora floruit, quibus Diocletianus Cæsar et Constantii Principes Romanum imperium moderati sunt, etc.

modo et ratione ludi Schaccorum, sive de moribus hominum officiisque nobilium; et super eo commentarius. Mediol. 1497, *fol. parv.*

Post illa Flavii Vopisci et Jacobi de Cesollis testimonia nescio an plane verum sit quod Barthius, Advers. lib. XLVIII, cap. 16, affirmat : *Calpurnium Eclogarum conditorem nemo ullus Veterum appellatione dignatus est.* Ed.

(1) Locus Petrarchæ est in libro Variarum Epist. XXX. Sic scilicet inveni in editione Epistolarum Petrarchæ, quæ prodiit Lugduni 1601, in 8. Ed.

VI. Erasmus Roterod. in Paneg. Philippi, Burgundionum Principis, tomo IV Opp. p. 523.

Non dicam regiam oris dignitatem, ac totam faciem sic ex amabili quadam venustate pariter ac majestate temperatam, ut neque gratia minuat reverentiam, neque dignitas officiat gratiæ, qualem arbitror fuisse ille, in quo uno geminos vultus Martis atque Apollinis apparuisse scripsit Calphurnius, idque in rustico quidem carmine, sed quo nihil possit dici minus rusticum. *Respicit Ecl. VII, vers. ult.*

VII. Ejusdem Erasmi Adag. Chil. I, cent. 8, 83.

Acanthidem superat cornix. Calphurnius bucolicus poeta, Ecloga VI:

> Astyle credibile est, si vincat acanthida cornix,
> Vocalem superet si turpis aedona bubo.

Acanthis enim vocalis est avis, et inprimis canora. Cornix obstrepera quidem, sed minime canora.

VIII. Gyraldus de Poetarum historia, dial. IV.

Julius Titus Calpurnius, in insula Sicilia natus, unde illi cognomen Siculus. Bucolica hic scripsit, quæ exstant, et a multis leguntur probanturque. Ego certe in eo facilitatem et sermonis volubilitatem, sed parum interdum nervi et concinnitatis offendi. Fuit quidem, quum ego omnes septem Eclogas avidissime legerem, nam et me puero magni quidam professores, ut tunc erant tempora, eas etiam publice prælegebant, etc.

IX. Jul. Cæs. Scaliger in Hypercrit. cap. v.

Calphurnio qui post Maronem primas deferant, inveni. Quod judicium neutiquam probatur mihi; laxus enim et

tumidus est. Is tamen quum versus sæpe fundat non contemnendos, permittit me legentem dormitare: nusquam acuit, nusquam tenet; aveoque frequenter absolvere, quæ vixdum occœpi videre.

X. Jo. Petr. Lotichius in Biblioth. Poet. P. H. p. 470, de Calpurnio Siculo.

Bucolicos inter vates Calphurnius exstat,
Bucolica vates optimus ipse lyra.
Qui dum pastores modico contentus amavit,
A pastorali carmine tantus ovat.

XI. Casp. Barthius, Advers. lib. XXXIV, cap. ii.

In meliori genere censeo bucolicos duos poetas, Nemesianum et Calpurnium, qui licet ad divinitatem Maronis nihil faciant, simplicitate tamen loquendi non sunt indigni, qui diligantur: non enim in iis sunt partibus, qui acutarum sententiarum affectatione Barbaris ingruentibus exemplo et occasioni fuere omnem eloquentiam corrumpendi, et velut præcipitio dejiciendi, etc.

XII. Renatus Rapinus, dissert. de carmine pastorali, p. 193.

Ambo (Calpurnius et Nemesianus) pro temporum conditione tolerabiles illi quidem, sed cum beata illa Augusti ætate nullo modo comparandi: neuter enim Virgilii succum expressit. Quod de Nemesiano inprimis satis apparet, qui tametsi puri sermonis amans videri velit, vix tamen satis liber est a crepundiis nugisque puerilibus. Gentis suæ superavit quidem indolem vir Afer; sed ingenuitatis quum maxime studiosus videri vult, semper aliquid præ se fert transmarinæ peregrinitatis. Non majori laude dignus est Calphurnius quantumvis Siculus: in eo recognoscas formam

quidem amœnitatis et ingenii aliquam, sed rudem atque imperfectam; suos habuit tamen laudatores, apud quos molli satis et nuda scribendi dulcedine commendabilis habetur, sed nihil ad ingenuitatem simplicitatemque plane mirificam Virgilii.

XIII. Olaus Borrichius de poet. Lat. diss. II, § 45.

Opus Calpurnii ingeniosum, temperatum et a scopulis tumoris et humilitatis alienum.

XIV. Petr. Burmannus, in præfat. ad Poetas Lat. minor.

De ipsis scriptoribus (Calpurnio et Nemesiano) eorumque eruditione et elegantia post judicia aliorum nihil dicam, quum abunde viri docti offenderint, elegantes, acutos et numerosos esse, dignosque, qui post Virgilium in hoc scribendi genere secundum locum occupent, ideoque mereri, ut non tironum modo, sed eruditissimorum manibus versentur: neque male judicasse Clericum, Art. Crit. Part. I, cap. II, § 2, n. 4, qui Virgilii Eclogis addenda horum poemata suadet, fatendum est.

ARGUMENTA

BUCOLICORUM CALPURNII

ASCENSIANA.

Primo divini memorantur carmina Fauni.
Inque *altro* Crotales gemini recitantur amores.
In *terno* Lycidas canit acres Phyllidis ignes.
In *quarto* Augustum Corydon laudat Melibœo.
In *quinto* genitor dat rustica dogmata gnato.
In *sexto* sese rivales voce lacessunt.
Ast in *septeno* spectacula laudat et urbem.
Octavo exstincti probitas canitur Meliboei.
In *nono* Donacen canit Astachus et puer Alcon.
In *decimo* Bacchi laudes canit, et bona vini.
Undecimo Meroes puerique canuntur amores.

T. CALPURNII

SICULI

BUCOLICON*.

ECLOGA I.

DELOS.

ARGUMENTUM.

Solis ardentis, quamvis declivi jam æstate, calorem ut devitent, umbras captant pastores Ornitus et Corydon, et in silvam deveniunt, ubi antrum Fauni est, densis pini arboribus circumseptum, in eoque fagus Fauno sacra, rivum aquæ bullantis sub ipsa radice protegens. Huc ingressi forte fortuna in ista fago carmen vel oraculum Fauni falce incisum offendunt, quo felicissima tempora sub novo Dei ipsius imperio populis terrarum annuntiatur. Quod carmen postquam perlegit Ornitus, ambo pastores sacro numinis horrore tacti Faunum venerantur, et carmen a Deo oblatum repetunt canendo ad fistulam. Manifeste expressa est hæc ecloga ex Virgilii Ecl. IV : ambas vero inter se si conferas, fortasse addubites cui palma inventionis tribuenda. Virgilius oraculum recitat e carminibus Sibyllinis, quæ passim ferebantur incerto auctore, quod meminisse non solum et recitare, sed et applicare ad nobilis pueri natales, paullo doctius,

* Sic Vlitius et Burmannus inscripserunt. *Eucolicum carmen* D. N. Ug. A. 2. B. F. 2. P. *C. Calpurnii Bucolicum*, Voss. R. As. Addunt : *Ad Nemesianum Carthaginiensem* Ug. A. 2. B. F. 2. P. Omittunt tamen, etiam post Parmensem, F. 1. V. A. 1. O. Ipse cur rejecerim, ejus rei rationem reddidi in procem. Vlitius conjiciebat : *Ad Numerianum Cæs.*

quam pro ingenio pastoris, videri poterat. Calpurnius oraculum fingit a pastoribus inveniri ab ipso Fauno in sacra fago descriptum, qui pastorum Deus, et ipse vaticiniis celebris, quondam rex Latii, et Romanorum Deus patrius, aptissime et elegantissime dicitur oraculum pastoribus legendum proposuisse de felicitate Romanorum sub novo Imperatore(1). Sane sic ipse Virgilius oraculum Fauni fatidici, in luco Albuneæ celebratum, et fata regni Latini canens, commemorat Æn. lib. VII, v. 81 seqq. Consentientem meo judicio de hac Ecloga habeo Fontenellium, *Discours sur la nature de l'Églogue, p.* 175, qui, quod ad inventionem attinet, eam Pollioni Virgilii præfert. Scriptam esse hanc Eclogam post mortem Cari Imperatoris, in laudem Carini et Numeriani, putant Hugol. Martellus, not. ad v. 84, et Jo. Tristanus, Comment. histor. tom. III, p. 313. Sed vero propius, ipsius Cari, qui Probo, apud Sirmium tumultu militari occiso, anno salutis 282 successit, exoriens imperium ejusque filios Cæsares celebrari. Carus certe, nec alius, intelligendus est, qui hac Ecloga bis, v. 46 et 84, præterea Ecl. IV, 48, vocatur *ipse Deus*. Hoc enim nomen Carus Imp. sive ipse ambiit et vindicavit sibi, sive oblatum ab adulatione provincialium recepit, sæpe in nummis et monumentis antiquis, ut viri docti monuerunt (2), tanquam solenne et proprium obtinet. Et Nemesianus, Cyneg. v. 71, diserte Carum eodem elogio insignit, de Carino loquens:

> ....ipso
> Pæne prior genitore Deo.

Numerianum filium etiam, ob laudem eloquentiæ, quam ei Vopiscus tribuit, designat Noster, v. 44:

> ....Juvenemque beata sequuntur
> Sæcula, maternis caussam qui lusit in ulnis.

Insunt præterea in oraculo Fauni, quod hac Ecloga exponitur, quæ optime convenire in illud tempus videntur, quo, ut Vopiscus

(1) Varro de L. L. lib. VI, p. 72: « Fauni, Dei Latinorum, ita « ut Faunus et Fauna sint in versibus, quos vocant Saturnios; in « silvestribus locis traditum est solitos fari : a quo *fando* Faunos « dictos ».

(2) Vlitius ad Nemes. Cyneg. v. 64; Cuperus de Eleph. Exercit. II, c. 8; Begerus Thes. Brand. tom. III, p. 167.

in Probo, cap. ult. et in Caro, c. 1 scribit, interfecto Imperatore optimo, Probo, magna trepidatio incesserat Romanos, qui ex illo ingentem imperii ruinam, et malum successorem, qui novas in republica turbas daret, metuebant. Hoc enim metu eos levare, Caro imperium capessente, videtur Calpurnius, v. 84.

> Scilicet ipse Deus Romanæ pondera molis
> Fortibus excipiet sic inconcussa lacertis, etc.

Injicit mentionem cometæ tum temporis per viginti amplius noctes placida luce coruscantis, neque tam dira minantis, ut quondam Julio Cæsare interfecto. Hac re non obscure innuit, factam tum æque cædem Imperatoris Romani, ut olim Cæsaris. Qua quidem Probus periit, per tumultum militarem atrociter interfectus, non autem Carus, qui ex morbo decessisse verissime dicitur; vid. Vopiscus in Caro, cap. 8. Illud denique annotandum videtur, quod historici tradunt, multis bellis confectis et pace parta Probum frequenter dicere solitum: *Brevi milites necessarios non futuros*. Vid. Vopiscus in Probo, cap. 20 et 23; Eutropius, lib. IV, c. 11; Aur. Victor de Cæsarib. c. 37. Quod dictum ipse Vopiscus ita accipit, ut Probus felicitatem rei publicæ et pacem perpetuam, et vere aureum sæculum pollicitus fuerit. Hoc autem tum temporis forte multorum sermonibus jactatum commode arripuit Calpurnius, et in laudes Cari successoris vertit, quum totam fere Eclogam annuntiatione aurei sæculi et perpetuæ pacis promissione implet. Sic enim significare videtur, quod Probus jam promiserit et præviderit brevi futurum, sed fato præventus præstare non potuerit, id nunc Imperatorem Carum certo perfecturum esse. His perpensis liquido videtur apparere, hanc Eclogam scriptam esse eo ipso tempore, quo nuntiatum erat, Probum a militibus occisum, Carum autem imperio potitum esse, filiis simul ad Cæsarum gradum evectis. Scilicet novorum Cæsarum gratiam captare hoc carmine voluit Calpurnius, eoque id Augustis tradendum Melibœo in fine commendavit. Inscribitur hæc Ecloga DELOS in editione Florentina Juntæ, ejusque sequacibus. Id vocabulum quem significatum hoc loco habere ex mente inventoris debeat, nemo interpretum hariolari ausus est. Vlitius conjecit, DEUS scriptum fuisse, ex vers. 29, 46, 73 et 84. Sed mutare vocabulum vix necesse est. Sufficit latentem in eo sapientiam scioli, qui argumentum Eclogæ

sic exprimere voluit, indagare. Is forte arripuit ex lectione hujus carminis, exponi oraculum aliquod vel vaticinium, idque in sacrario Fauni, v. 9 et 15. Meminerat bonus homo, auctorem oraculorum perhiberi Apollinem, eumque natum et cultum esse in Delo. Volebat igitur locum oraculo insignem, et pastorem, quasi Delium vatem, hoc carmine celebrari, et inscribebat DELOS (1).

(1) Fortasse tamen ut Vlitius induceretur ad legendum *Deus* fecit quidam codex quo *Delus* scribebatur, ut se scripsisse testatur Burmann. ad Anthol. Vet. Lat. epig. et poem. lib. III, ep. VII, not. ad v. 1: adducitur enim Virg. Æn. III, 73 et seqq. *Sacra mari medio colitur gratissima Delus*, etc. ubi *Delus* pro *tellus* scripsit ex conjectura Patrui ad Ovid. VI, Fast. 178, quod firmat nonnihil codex Biblioth. Amstelodamensis, in quo a manu secunda *Delos* superscriptum, sive pro glossa, sive pro varia lectione. Vid. ad hos Virg. vers. nostr. ed. t. II, p. 365 et 456. Cæterum nec inverisimile est Delon pro cujusvis oraculi designatione a sequiore latinitatis ætate adhibitam esse. Ed.

ORNITUS, CORYDON*.

ORNITUS.

Nondum solis equos declivis mitigat æstas,
Quamvis et madidis incumbant præla racemis,
Et spument rauco ferventia musta susurro.

CORYDON.

Cernis ut, ecce, pater quas tradidit, Ornite, vaccæ
Molle sub hirsuta latus explicuere genista.
Nos quoque vicinis cur non succedimus umbris?
Torrida cur solo defendimus ora galero?

* *ORNITUS et CORYDON fratres.* D. *Corydon*, *Ornitus.* R. As. O. Versu 1. CORYDON R. As. O. usque ad v. 8, melius. Ed. — Orniti nomen apud Virg. Æn. XI, 677, et Stat. Theb. XII, 142 et 207. Ornitus etiam avus Iphiti Argonautæ.

1. *Declivis* Heins. — *Solis* æstus, quamvis exeunte jam *æstate,* et incipiente vindemia, nondum remisit. Solis *equi*, non alieni ab humilitate carminis bucolici, ut Theocr. II, 147, hic maxime calorem exprimunt, quem labore incalescentes efflant naribus. — *Declivis æstas*, quando, ut Lucanus, X, 236, exponit, *in autumnum declinat Phœbus.* Virgilio est *mollior æstas*, Georg. I, 312, et ibid. II, 321 : *Quum rapidus Sol Nondum hiemem contingit equis, jam præterit æstas.* Ed.

2. *Quatenus* Pal. apud Barth. Advers. 34, 8. — *Incumbat præda* Cod. Heins. — *Quamvis et madidis*, notatio rustica autumni : Claudian. de Sene Veron. v. 11, *Frugibus alternis, non Consule computat annos.* Ed.

3. *Ferventia musta* intelligo de musto cum fervore defluente in lacum, non de condito in doliis, ut male Titius. Dd.

4. *Et ecce* Dorv. b. *Ornithe* Asc. et sic passim. — *Vaccas* Dorv.

5. *Molliter hirsuta* Dorv. 2. *genesta* Ug. D. A. 2. Pal. Dorv. — *Genista hirsuta* fruticis genus, densum et frondosum, umbram pecori sufficiens. Virg. Georg. II, 434. Pervigilium Ven. : *Ecce jam super genistas explicant tauri latus :* quæ verba respexisse videtur Noster.

6. *Cur, quor* R. et ita versu seq. et Voss. et fere semper. *Umbræ* Tit. f. ex vers. 19, *captatæ successimus umbræ.* Virg. Ecl. V, 5, *Sive sub incertas, Zephyris motantibus, umbras, Sive antro potius succedimus.*

7. *Galerus*, pileus, e ferinis pel-

ORNITUS.

Hoc potius, frater Corydon, nemus, ista petamus
Antra patris Fauni, graciles ubi pinea densat
Silva comas, rapidoque caput levat obvia soli;
Bullantes ubi fagus aquas radice sub ipsa
Protegit, et ramis errantibus implicat umbras.

CORYDON.

Quo me cumque vocas, sequor, Ornite; nam mea Leuce,
Dum negat amplexus nocturnaque gaudia nobis,
Pervia cornigeri fecit sacraria Fauni.

ORNITUS.

Prome igitur calamos, et si qua recondita servas:
Nec tibi defuerit mea fistula, quam mihi nuper
Matura docilis compegit arundine Lygdon.

libus, vel junco confectus, gestamen pastorum, venantium, agricolarum, quo faciem ab æstu solis defendant. Vid. Gratius, v. 430, auctor Moreti sub fin. — Isidorus in glossis: *Galerum, pileum pastorale, quod de junco fit.* Idem Orig. lib. XIX, cap. 30. Ed.

8. *Antra petamus Ista* Dorv. a.

9. *Pater* Faunus, quia pastorum et agrestium, populi sui, præses. Vid. vers. 37, et Ecl. II, 13. — *Pinea*, apposite: pinum enim Fauno, quem eumdem cum Pane Arcadico asserit Ger. Kemp. ad h. l. consecravit antiquitas. Ed.

10. *Caput levat obvia soli*, h. e. vertice elato contra solem, hujus se ardori opponit. Sic Ovid. Art. II, 697: *Nec platanus, nisi sera, potest obsistere Phœbo.* — *Rapidus* sol, torrens, ut ignis. Claud. IV Cons. Hon. 341.

11. Pro *bullantes* malebat Heinsius *palantes*. — *Bullantes*; i. e. bullas excitantes. — *Fagus* rivum aquæ radicem suam alluentis protegit; conf. v. 20 et 34.

13. *Sequar* Dorv. a. *mea Lene* R. As. Goth. *Lauce* Dorv. b. *Lerne* Voss. *Laute* Dorv. c.

15. *Pervia fecit sacraria*, h. e. fecit, ut fas mihi sit adire sacrum locum, quod non poterant, qui Venere usi essent. *Sacraria* peculiariter dicuntur interiores silvarum recessus, et Diis agrestibus, Fauno, Pani, Dianæ, sacri. Vid. Epigr. inter errones Venereos: *Semicapri quicumque subis sacraria Fauni*. Conf. Propert. III, 13, 47, et Gratius, v. 484 et 534.

16. Hic versus deest in B.

17. *Nova fistula* R. As. O. Voss. Goth. et probat Burmannus.

18. *Matura* arundine, quæ in modum fistulæ aptum excrevit, et sua tempestivitate cæsa est. *Tempus credendorum calamorum* docet Plinius, Hist. Nat. lib. XVI, c. 36. Ed. — *Lydon* R. As. Voss. Goth.

Et jam captatæ pariter successimus umbræ.
Sed quænam sacra descripta est pagina fago,
Quam modo nescio quis properanti falce notavit?

CORYDON.

Adspicis, ut virides etiam nunc litera rimas
Servet, et arenti nondum se laxet hiatu?
Ornite, fer propius tua lumina; tu potes alto
Cortice descriptos citius percurrere versus:
Nam tibi longa satis pater internodia largus,
Proceruinque dedit mater non invida corpus.

ORNITUS.

Non pastor, non hoc triviali more viator,
Sed Deus ipse canit: nihil armentale resultat;
Non montana sacros distinguunt jubila versus.

19. COR. hic præfigit D. et ad 20 R. et O. usque v. 28, recte.

20. *Descripta pagina* Pal. Ug.

21. *Nescio qui* Dorv. a. — *Properanti falce* notatam pulchre animadvertit pastor, quam mox intelligit a Deo scriptam, v. 29: Dii enim omnia citissime et tanquam momento agunt.

23. *Se lasset* Dorv. c. *laxat* D.

24. *Proprius* Goth. *tu lumina* D. *Altos* Dorv. b.

25. *Citius*, ora *ertius* Pal. Hinc Barth. in Adv. 34, 8, *Percurrere certius orsus*.

26. *Internodia* hic sunt ipsa crura a talo ad genua porrecta. De solo genu vel poplite accipit Ovid. Met. VI, 256.

28. *Rivali more* O. *Tibi vili more* Dorv. a. a. m. s. Calp. Ecl. XI, 3, *Nec triviale sonans*, et IV, 5, *non quæ nemorale resultent.* Manil. II, 41, de Theocrito. *Nec silvis silvestre canit.* — *Trivialis mos* est modus carminis inconditi et extemporalis, quo agrestes homines vel viatores in triviis otium vel laborem fallunt. Ovid. Trist. IV, 1, 5 seq. Juven. X, 22; hinc *triviale carmen* etiam rude et plebeium, Juven. VII, 55.

29. *Deus ipse*, Faunus. — *Nihil armentale*, non tale quid sonat, quale inter armenta a pastoribus fingi canique solet. Vid. Ecl. IV, 5. *Turmale fremit* Stat. Theb. IV, 10.

30. *Nec montana*, R. As. O. Voss. Dorv. a. b. *Destinguunt* Dorv. b. Ug. et Gebhard. ex MS Pal. *Distringunt nubila* Dorv. a. sed Heins. legebat *destringunt sibila versus*. — *Jubila*, auctore Festo et Varrone, lib. V, p. 58, sunt inclamationes rusticæ, vocabulo ad ipsum earum sonum accommodato: quæ quia crebro repetuntur inter canendum distinguunt versus. — Idem Varro, lib. II, de Lingua Latina scribit *jubilare* esse rusticorum, ut *quiritare* est urbanorum, quod significat fidem Quiritium clamando implorare. Ed.

CORYDON.

Mira refers; sed rumpe moras, oculoque sequaci
Quamprimum nobis divinum perlege carmen.

ORNITUS.

« Qui juga, qui silvas tueor satus Æthere Faunus,
Hæc populis ventura cano: juvat arbore sacra
Læta patefactis incidere carmina fatis.
« Vos o præcipue nemorum gaudete coloni,
Vos populi gaudete mei: licet omne vagetur
Securo custode pecus, nocturnaque pastor
Claudere fraxinea nolit præsepia crate;
Non tamen insidias prædator ovilibus ullas
Afferet, aut laxis abiget jumenta capistris.
Aurea secura cum pace renascitur ætas,

32. *Prælege carmen* malebat Gudius. Virgil. Ecl. v. 13: *in viridi nuper quæ cortice fagi Carmina descripsi.*

33. Hoc et carmina sequentia inscripta fagi cortici leguntur ab Ornito. Ed.

35. *Fagis* quidem omnes; malui tamen *fatis* cum Vlitio. Certe abundare *fagis* videtur, quum *arbore sacra* præcesserit, et *pandere*, *patefacere*, *detegere fata* poetis non infrequens. Virgil. Georg. IV, 451: *sic fatis ora resolvit.* Stat. Theb. I, 503: *veterisque exordia fati Detegit.* Ita etiam volebat Heinsius. Ed.

36. *Satus Æthere* Faunus, princeps Deus pastorum, a Cælo, rerum omnium principio, oriundus creditur, quod agrestes, semper sub dio agentes, videbant silvas, agros, prata rigari et fecundari ab æthere. Hinc idem Æther a pastore *omniparens* vocatur Ecl. VIII, 35.

39. *Præsepia* sunt stabulationes clausæ boum et ovium, quas solidis cratibus munire solebant ad luporum et furum rapinas arcendas. Virgil. Georg. III, 214: *Aut intus clausos satura ad præsepia servant.* — Omnia loca clausa et tuta *præsepia* antiquitus vocitata, teste Nonio, p. 49; quas hic Calpurnius *crates* et *præsepia*, aliter describit Statius Theb. VIII, 393: *Perspicuas sic luce fores et virgea pastor Claustra levat, dum terra recens; jubet ordine primos Ire duces*, etc. Ed.

40. *Prædator* non de lupo, sed homine accipiendum, quoniam idem jumenta abigit *laxis capistris*, h. e. immissis habenis, quibus fugiunt insidentes jumentis abigei, quomodo proprie vocantur in legibus, qui pecora ex pascuis abstrahunt. Vid. Scheffer. de Re vehic. p. 176.

42. *Sincera cum pace* conj. Burm. quod modo præcessit *securo*. — Sed item Ovid. Metam. I, 100: « sine militis usu Mollia securæ peragebant otia gentes ». Ed.

Et redit ad terras tandem squalore situque
Alma Themis posito, juvenemque beata sequuntur
Sæcula, maternis caussam qui lusit in ulnis.
Dum populos Deus ipse reget, dabit impia vinctas
Post tergum Bellona manus, spoliataque telis
In sua vesanos torquebit viscera morsus;
Et modo quæ toto civilia distulit orbe,
Secum bella geret: nullos jam Roma Philippos
Deflebit, nullos ducet captiva triumphos.

43. Virgil. Ecl. IV, 6: *Jam redit et Virgo*, etc. — Justitiam quasi e carcere, ubi situm et squalorem contraxit, in lucem et terras reducit poeta, quam alii in cælum regressam inde redire faciunt. Virg. Georg. II, 474; Ovid. Met. I, 150. Talem iconismum servant quidam eorum temporum nummi, qui felicem temporum reparationem exprimunt figura Imperatoris, aliam e fornice vel carcere, manu prehensam, educentis.

44. *Juvenemque beata sequuntur.* Themidis, i. e. justitiæ rediture hoc præcipuum argumentum est, quod Cæsar juvenis exoritur, qui pæne adhuc puer præmaturis ingenii et eloquentiæ experimentis, regendæ sapienter rei publicæ et justitiæ adeo præclare in foro exercendæ laudibus prælusit. Vid. Excursus primus ad hanc Ecl.

45. *Causam qui vicit* Cod. H. *curam qui lusit* Dorv. a. *In ulnis* F. 1. V. A. 1. O. cæteræ *lusit Iulis*. *Caussas* placet Burmanno, de ludicro puerili inter æquales infantes oratorem agentis; ut *ludere ducatus et imperia* dixit Suet. Ner. 35.

46. *Deus* vocatur Cæsar a Bucolicis. Vid. Virgil. Ecl. I, 6 et 19. Carus Imper. etiam in aliis monumentis. Vid. argumentum. — *Ipse Deus* hoc loco et v. 48 signat summum Imperatorem distinctum a filiis Cæsaribus: nam apud Græcos et Latinos αὐτὸς et *ille*, *ipse*, singularis honoris appellatio est et si a servis vel subjectis usurpatur, loco proprii nominis, dominum notat, ut apud Virgil. Ecl. III, 3. Vid. Casaub. ad Theophr., c. 2; Rupert. ad Flor. p. 54. — *Junctas* Ug. A. 2, Bo. F. 2. *Victas* As. O. Dorv. a. b. c. B. edit. Virg. Æn. I, 299: *et centum vinctus ahenis Post tergum nodis*, etc. Unde et reliqua desumpta.

48. *Vesano... morsu* Dorv. a. Lucanus, I, 3: *In sua victrici conversum viscera dextra.*

49. *Distulit*, toto orbe Romano dispersit, diffudit, ut v. 57. — Sed ibi malo interpretari *continuit* vel *cessare fecit*. Ed.

50. *Nullos Philippos*, nullam cladem civium Rom. qualis ad Philippos, urbem Thessaliæ, primum Pompeii, deinde Bruti et Cassii fuit. Virgil. Georg. I, 490, Hor. Carm. II, 7.

51. Deest hic versus in R. D. As. Dorv. b. c. Pal. Voss. — *Nullos ducet captiva triumphos*. Nullas victorias jactabit, quibus ipsa sit victa. — Omnino elegantissime, nam in

Omnia Tartareo subigentur carcere Bella,
Immergentque caput tenebris, lucemque timebunt.
Candida Pax aderit, nec solum candida vultu,
Qualis sæpe fuit, quæ libera Marte professo,
Quæ, domito procul hoste, tamen grassantibus armis
Publica diffudit tacito discordia ferro.
Omne procul vitium simulatæ cedere pacis
Jussit, et insanos Clementia condidit enses.
Nulla catenati feralis pompa senatus

bellis civilibus seipsam triumphavit Roma, et sibi ipsi captiva ignominiæ fuit. Vid. Lucan. I, 12. Ed.

52. *Subdentur* R. et As. etiam Voss. et Goth. *Claudentur* conj. Vlit. Virgil. Æn. I, 297: *Claudentur belli portæ.* — *Subigentur carcere*, quasi subacta et constricta compingentur in carcerem, ut hinc movere se nequeant, nedum erumpere. Tali carcer Æoli, Virgil. Æn. I, 54.

54. *Candida*, sincera, pura, minimeque dubia; quemadmodum candidi homines, qui exterius profitentur, quod intus in corde gerunt. — *Candida vultu*, quæ v. 58 dicitur *simulata*, specie exteriore blandiens.

55. *Profuso* Ug. F. 1. Bo. A. 2. F. 2. et G. *Professo* R. D. As. P. et Mod. et Goth. *Matre* Palat. *Quam* volunt Barth. et Burm. quod forte placeret eo sensu: *qualis fuit sæpe ea pax quam discordia publica, libera marte professo, domito procul hoste, tamen armis grassantibus* principum sævitia, *diffudit tacito ferro.* Nam accusativum pluralem *discordia*, quem hic docti viri intrudunt, quam ægerrime fero. Ed. — *Mars professus* est bellum indictum, declaratum, apertum, quod opponitur clandestino, subito tumultui. Sic *arma professa* Ovid. Fast II, 108; *professus hymen* Stat. Silv. I, 2. *Detecto Marte* dixit Lucanus, X, 346; *exserto bello*, Statius, Silv. V, 2, 39.

56. *Hoste*, externo nempe. Hostis enim apud Veteres idem dicitur qui *peregrinus*: sane ὅστις, unde ejus vocis est origo, est Græcis *quicumque*, *quisquis est*, quod vulgo usurpatur de peregrinis. Vid. Chr. Becm. Orig. ling. Latinæ. Ed. — Vid. Excursus secundus ad hanc Ecl.

57. *Diffugit* R. Voss. et Goth.

58. *Vitium simulatæ pacis*; περιφραστικῶς pro ipsa pace simulata. Tacitus Annal. I, *pacis imaginem* dicit, et id. Annal. XIII, 38: *Quum positis loricis et galeis in faciem pacis veniretur.* Lucan. lib. III, 71: *Agmina victor Non armata trahens, sed pacis habentia vultum.* Ed. — *Credere* Dorv. b. *Condere* Pal.

59. *Dementia* R. F. 1. V. O. et MS. Pal. Tit. Goth. Dorv. c. *Contudit* Pal. *Concedit*, et in marg. *truderit* Dorv. a.

60. *Catenati*, catenis colligati et longo ordine ducti ad supplicium. — *Feralem pompam* invidiose dicit, quasi triumphi ad pompam funebrem Romanorum comparati. Quo modo Lucanus, VIII, 733: *Præferat ut veteres feralis pompa triumphos.*

Carnificum lassabit opus, nec carcere pleno
Infelix raros numerabit curia Patres.
Plena quies aderit, quæ stricti nescia ferri
Altera Saturni revocet Latialia regna,
Altera regna Numæ, qui primus ovantia cæde
Agmina, Romuleis et adhuc ardentia castris
Pacis opus docuit, jussitque silentibus armis
Inter sacra tubas, non inter bella, sonare.
Jam nec adumbrati faciem mercatus honoris,

De Sullanæ victoriæ acerbitate Florus ait, III, 21: *De senatu, quasi de carcere, qui jugularentur, educti.* Similia de Maximino Thrace Capitolinus, cap. 13.

61. *Carnificum opus*, operam, officium, ut Cyprianus de Idol. van. c. 7, de Christo: *Crucifixus, prævento carnificis officio, spiritum sponte dimisit.* Prudent. Perist. XI, 59: *Jam lassatis tortoribus.* — *Laxabit* Pal. et Dorv. sed *lassabis* a. m. s. *Plenos* Goth.

62. *Raros curia Patres* videt, quia carcer plenus multos abstulit. Sic Manilius, V, 123, *raros Quirites*, sc. in Urbe, quia multi in Sacrum montem abscesserunt: *rara juventus* Horat. Carm. I, 2, quia multi bellis prioribus absumpti; et Lucanus, I, 27: *Rarus et antiquis habitator in urbibus errat.*

63. *Plena quies.* Idem cum Nostro epitheton habet Claudian. in Panegyr. *Concordia fratrum Plena redit*, ad quem locum Barthius recte *plena*, id est, absoluta, perfecta. Ed.

64. *Revoces* Ug. *Referet* Dorv. a. Virgil. Ecl. IV, 6: *redeunt Saturnia regna.*

65. *Qui primum* Ug. *Qua* Goth.

66. *Agmina*, vox militaris, de populo assidue belligerante. — *Romuleis castris* intelligo de urbe Roma, quæ Romulo regnante, instar castrorum in medio posita videbatur, ad sollicitandam omnium pacem, ut loquitur Liv. I, 21. — *Ardentia*, h. e. bellandi ardore flagrantia. Florus, lib. I, 8: *quid Romulo ardentius?*

67. *Pacis opus*, rerum, quæ tantum in pace possunt recte exerceri, ut sacrorum, legum, judiciorum, agriculturæ studium. Livius, I, 42, de censu instituto: *Aggreditur inde pacis longe maximum opus.* Manilio, II, 24, *pacis opus* est agricolatio. — Lactantius Instit. div. I, 22, de Numa: *Novi populi feroces animos mitigavit, et ad studia pacis a rebus bellicis avocavit.* Ed.

69. *Adumbrati faciem honoris*, i. e. speciem nomine, titulo, signis externis leviter adornatam; vero colore, ut et potestate carentem, quo sensu deinde *vacuos fasces* et *inane tribunal* dicit. Sic Cicero de Leg. agr. II, 12, *comitia curiata ad speciem per 30 lictores adumbrata.* Idem in Verr. III, 33, *Pippæ vir adumbratus.* — *Mercatus*; illas honorum licitationes jam correxerant optimi Imperatores, D. Claudius, Aurelianus, Tacitus, Probus et sub cujus imperio nunc Romani, Carus.

Nec vacuos tacitus fasces, et inane tribunal
Accipiet consul; sed legibus omne reductis
Jus aderit, moremque fori vultumque priorem
Reddet, et afflictum melior Deus auferet ævum.
Exsultet quæcumque Notum gens ima jacentem,
Erectumque colit Boream, quæcumque vel Ortu
Vel patet Occasu, mediove sub æthere fervit.
Cernitis ut puro nox jam vicesima cælo
Fulgeat? ut placidum radianti luce cometem
Proferat? ut liquidum nutet sine vulnere sidus?

Libera etiamnum republica, *honorum suffragia vendita* quandoque a P. R. arguit Juvenal. Sat. X, 78. Lucanus, Phars. I, 178: *Hinc rapti pretio fasces*. Ed.

70. *Nec inane* D. *etiamne* R. Goth. Voss. Dorv. b.

71. *Tacitus consul*, qui nec referre de omnibus in senatu, nec jus dicere audet, potestate omni ad Principem delata. Lucanus, III, 107: *vacuæque loco cessere curules; Omnia Cæsar erat.*

72. *Vultum priorem* opponit faciei, quam ante dixit, adumbratæ. Lucan. IX, 207: *Nec color imperii, nec frons erit ulla senatus.*

73. *Melior*, faventior et placidior Deus, qui confusa ordinat, afflicta restituit, ut Ovid. Metam. I, 21: *Hanc Deus et litem melior natura diremit.* — *Afferet* cod. H. et Dorv. a.

74. *Notus jacens* et *erectus Boreas*, pars terræ australis depressa, borealis erecta, opinione Veterum, quia hujus sidera nobis semper conspicua sunt, australia latent. Rationem clarius exprimit Virg. Georg. I, 240, seq. — *Gens in tua jacentem* Dorv. a.

75. *Ereptumque* cod. H. et Dorv. a. *Evectum* volebat. Heins. et Kempferus. *Borean* Goth.

76. *Servit* omnes libros habere ait Modius Lect. Novant. epist. CV, p. 463. Ita certe D. Ug. A. 2. Gr. O. Goth. Dorv. b. c. d. Sed *fervit* agnoscunt F. 1. V. A. 1. T. R. Sic Virg. Æn. VIII, 677: *Fervere Leucaten, auroque effulgere fluctus. Fervet* P. et Tit.

77. *Vicesima* R. et Voss. recte; *vigesima* cæteri. — Signum novi imperii et felicitatis futuræ ostendit esse cometam, per viginti adhuc noctes placido et candido, non ardente et sanguineo, lumine splendentem. Novum sidus novi regis orientis signum erat Veteribus. Sic Honorio Augusto declarato stellam medio die apparuisse scribit, vel fingit Claud. IV Cons. Hon. 184, seq.

78. *Fulgeat.* Ita enim Plinius, Hist. Nat. II, 25: *Fit et candidus cometes, argenteo crine, ita refulgens ut vix contueri liceat.* — *Radiantem* dixit Sybilla in Epigr. Gr.: πολλὰ μὲν ἄστρα καὶ ἀκτιόεντα κομήτην. Ed.

79. *Nutat* D. Ug. F. 1. G. Bo. V. A. 1. Pal. *Nutet* R. As. A. 2. F. 2. Goth. *Nitidum nutet* Voss. *Mutat* Dorv. a. *Mutet* Dorv. c. *Mittat* P. et Vlit.

Numquid utrumque polum, sicut solet, igne cruento
Spargit, et ardenti scintillat sanguine lampas?
At quondam non talis erat, quum Cæsare rapto
Indixit miseris fatalia civibus arma.
Scilicet ipse Deus Romanæ pondera molis
Fortibus excipiet sic inconcussa lacertis,
Ut neque translati sonitu fragor intonet orbis,
Nec prius ex meritis defunctos Roma penates
Censeat, occasus nisi quum respexerit ortus. »

CORYDON.

Ornite, jam dudum velut ipso numine plenus

quod nescio cur receperit Burmannus, nulla fere auctoritate munitum. Ego *nutet* reddendum poetæ censui. *Sine vulnere plenus* cod. H. et Dorv. a. *Nictat* conjicit Barthius, quod quidem de stellis dici possit, vel auctoritate Lucret. *Nictare* enim est quandoque scintillare. Ed.— *Niteat* Vlit. — *Nutare* eleganter dici puto sidus placidum, quod non ardere vehementius, sed leniter moveri et lucere videtur. Sic *titubantia sidera* dixit Manil. II, 14. — *Sine vulnere*, sine aliquo præsagio cædis.

80. *Numquid utrumque* D. Ug. A. 2. Bo. F. 2. Hoc rectum videtur et τὸ *spargit* postulat. *Non per utrumque* F. 1. V. A. 1. O. P. *Non quod utrumque* et *igne comato* B. in Adv. ex MS Pal. *Igne cremato* R. Goth. et Dorv. b. et Voss.

81. *Spargit* omnes, præter Dorv. a. qui *pergit:* quod et Heinsius malebat. — *Ardenti sanguine*, h. e. rubore sanguineo, qui color sæpe *ardere, flagrare, accendi* dicitur. Val. Flacc. III, 411 : *Ergo ubi puniceas Oriens accenderit undas*. Sil. Ital. I, 126 : *Idæoque lacus flagrantes sanguine cerno*. Sic et Auson. in Cupid. cruc. v. 92 de rosa : *rutilum traxit magis ignea fucum*. Ed.

82. *Et quondam* R. As. A. 2. Voss. Goth. — Inter prodigia, Cæsaris mortem consequuta, præcipue cometes, valde celebratus a poetis Virg. Georg. I, 488; Horat. Carm. I, 12, 47; Ovid. Metamorph. XV, 849; Manil. I, 965.

83. *Induxit* A. 1. et Dorv. c. *Fatalis* D.

84. Vide Excursum tertium.

85. Alludit per transcursum ad fabulam Herculis, qui Atlanti successit in cælo humeris sustinendo. Ed.

8. *Translatum* fuisse Imperium Rom. ad Barbaros; tum crebris irruptionibus, tum Valeriani Aug. captivitate, hic intellig. Kempher. Ed.

88. *Sentiat* Dorv. b. c. et Barth. ex conject. Post *occasus* distinguit Gr. et Martellus ad h. l. *Respexeris* Goth.

89. Corydon profitetur, se inter legendum divinum carmen singulari terroris ac gaudii, a Fauni numine profecti, sensu tactum esse. — *Numine plenus*, terror, cui numen inest, qui totus a numine

Me quatit, et mixtus subit inter gaudia terror;
Sed bona facundi veneremur numina Fauni.

ORNITUS.

Carmina, quæ nobis Deus obtulit ipse canenda,
Dicamus, teretique sonum modulemur avena:
Forsitan Augustas feret hæc Melibœus ad aures.

profectus et concitatus est. — *Plenus* omnes quos vidi. *Plenum* posuerunt Barth. et Burm. ad *Me* referentes, quod non necesse fuit.

90. *Mixtus subit inter gaudia*, hoc est quod Horatius dicit Carm. II, 19: *mens turbidum lætatur*. Terror est a præsentia numinis; gaudium a declarata ejus benignitate.

91. *Fecundi* Ug. F. 1. A. 1 et 2. P. F. 2. *Veneramur* Goth. — *Facundus* merito Faunus, non solum propter carmen hactenus recitatum, sed etiam quod ipsum nomen habere dicitur a *fando*. Vid. Macrob. Sat. I, 12, ut n. 1 ad Arg. huj. Ecl.

92. *Vobis* Bo. *Ipsa canenda* Dorv. a. *Colenda* F. 1. et A. 1, vitiose. —

93. *Discamus* Barth. e vet. cod. Advers. XXXIV, 8. — Sonum et modos carmini dabimus accinente fistula. Mallem, si per veteres codices liceret, *teretisque sono modulemur avenæ*, ut Maro expressit Ecl. X, 51: *Carmina pastoris Siculi modulabor avena*.

94. Similiter Eumenius pro rest. sch. in f. *Abs te peto, ut eam professionem literis tuis apud sacras aures prosequi non graveris*. — Virg. Ecl. III, 73: *Divum referatis ad aures*. Græcis εἰς ὦτα βάλλειν.

EXCURSUS I

AD CALPURNIUM, ECL. I, v. 44.

. . . . .Juvenemque beata sequuntur
Sæcula, maternis caussam qui lusit in ulnis.

Juvenem hoc loco, sicut et Ecl. IV, 137, et VII, 6, juniorem Cæsarem, quisquis ille sit, eminenter appellat, quod et antiquioribus poetis solenne est. Virgilius Cæsarem Augustum *juvenis* designat nomine, Georg. I, 500: Horatius eumdem pluribus locis, Carm. I, 2, 41; Serm. II, 5, 62; et Tiberium Neronem Epist. I, 8, 14. Matura eloquentiæ laus, Juveni hoc loco tributa, Cæsari quidem utrique, Cari filiis, convenit; nam Carinum adolescentulum declamasse incertus scriptor apud Suidam tradit; maxime tamen et præcipue Numeriano, quem Vopiscus memorat eloquentia præpollentem fuisse, adeo ut publice declamaverit, et in statua ei posita *Orator suis temporibus potentissimus* sit appellatus. Burmannus quidem *caussas lusit* mavult legere, et de ludo puerili accipi, eo sensu, quo Suetonius *ludere ducatus et imperia* dixit, in Ner. c. 35. Sed vereor, ut hæc digna oraculo laus, et idoneum futuræ felicitatis omen sit, si princeps dicatur aliquando oratorum forensium operas puerili ludo imitatus; et *ludere* potius de progymnasmatibus et meditationibus veræ eloquentiæ existimo accipiendum, ut ludere armis dicuntur, qui se ad prælia exercent, et ludus gladiatorius, ubi tirones præparentur arenæ. Quo sensu ipse Calpurnius, Ecl. IV, 21, *ludere* pro tentare vel meditari carmen dixit. Multum etiam dubito, an lusus ille puerilis, quem vult Burmannus, per ipsam rei illo lusu exprimendæ naturam, et puerilis ingenii facultatem, possit fieri. Certe Martialis, VI, 38, in parvulo Reguli oratoris filio ingenium præcox

et paternæ eloquentiæ amans laudaturus, nullum ei talem lusum affingit :

> Adspicis, ut parvus nec adhuc trieteride plena
>   Regulus auditum laudet et ipse patrem,
> Maternosque sinus viso genitore relinquat,
>   Et patrias laudes sentiat esse suas.
> Jam clamor, centumque viri, densumque coronæ
>   Vulgus, et infanti Julia tecta placent, etc.

Hoc igitur vult Calpurnius, Numerianum, ab ineunte ætate, suopte ingenio ad eloquentiæ studia propendisse, et teneris pueritiæ annis orare caussas et declamare solitum. Ea felicitas ingenii non sine exemplo est, et pluribus contigit, quandoquidem Quintilianus testatur, fuisse inter Romanos, qui prætextati caussas egerint; Instit. lib. XII, 6, 1. Incredibile quidem est, quod Calpurnius dicit, *maternis in ulnis* Numerianum caussam lusisse, sed ea hyperbole non insolita est Veteribus, qua nihil aliud, quam studium admodum præcox et præmaturum exprimunt. Pari enim schemate Manilius Agrippam, ab ineunte ætate amantem militiæ describit, lib. I, 795 :

> ....Matrisque sub armis
> Miles Agrippa suæ.

Ubi statim apparet, non *arma* matris sed *armos* sive ulnas intelligendas esse. Petronius adeo, præmaturas et properatas caussarum exercitationes reprehendens, cap. 4, queritur *eloquentiam pueris indui adhuc nascentibus*. Quamquam in hoc verbo enormem figuram esse, facile assentior Pontano, in Annot. ad Macrob. Saturn. VII, 16, cum eoque existimo scriptum ab Arbitro esse *pueris pascentibus*, h. e. a nutrice adhuc altis et cibatis (1). Plane phrasi Calpurnii utitur Themistius in oratione consulari ad Jovianum Imp. quum Varronianum, parvulum Joviani filium, sed assumptum a patre in societatem consulatus, vocat τὸν ἐν ἀγκάλαις ὕπατον, τὸν ἐκ τοῦ

(1) Rejicit tamen hanc Pontani emendationem Meursius in Crit. Arnob. lib. II, cap. 11. Ed.

μαστοῦ πατρώζοντα ἤδη(1). Ad eamdem quoque alludere Sidonius Apollin. Epist. IX, 14, videtur, quum Burgundionem, scholasticum juvenem, dignum esse ait, qui eloquentiæ facultatem, qua adolescens polleat, Romæ majore in celebritate exerceat. *Dignus*, inquit, *omnino, quem plausibilibus Roma foveret ulnis, quoque recitante crepitantis Athenæi subsellia cuneata quaterentur.* Romam quasi matrem aliquam dicit eloquentiæ, quæ juvenum studia alere et fovere possit plausibilibus ulnis, hoc est, favore et plausu frequentis coronæ, quando, ut in amplexu fit alumni, *concurrit dextera lævæ;* Horat. Epist. II, 1, 205. Sensu igitur verborum *maternis caussam lusit in ulnis* sic satis commode exposito, non est, quod lectionem aliam, *maternis lusit Iulis*, quam antiquissimæ Calpurnii editiones, a Romana et Parmensi Ugoletti profectæ, habent, magni faciamus. Quamquam enim in *Iulis* allusum videri potest ad basilicam Juliam in qua centumvirale judicium et caussæ plurimæ agebantur, ut ex Martialis l. c. et Quintil. Instit. XII, 5, 6, patet, et Iulus simpliciter pro Romano ponitur a Prudentio, Peristeph. II, 457, *materni* tamen Iuli qui intelligi possint, neutiquam perspicio.

(1) Similiter Himerius qui sub finem nuperi sæculi editus est, Orat. XXIII, 4, p. 772, de filio suo: Σὺ δὲ ἤσθα δημηγόρος ἐκ μέσων σπαργάνων... σὺ δὲ ἔτι τῷ μαστῷ καὶ τῷ γάλακτι προσκείμενος. Ed.

EXCURSUS II

AD CALPURNIUM, ECL. I, v. 56.

> Qualis sæpe fuit, quæ libera Marte professo,
> Quæ domito procul hoste, tamen grassantibus armis
> Publica diffudit tacito discordia ferro.

Valde interpretes hoc loco offendit *discordia*, quod si ex usu vulgari accipiatur genere feminino, cum præcedentibus nullo modo cohæret, quia antecedens *quæ* ad pacem referendum est, et *diffudit* quartum casum desiderat. Duplicem illi viam sanandi aut explicandi hujus loci inierunt. Barthius mutata voce legendum censet: *Quam domito procul hoste*, ita ut discordia dicatur pacem diffudisse simulatam, quæ domito quidem hoste fit, sed armis adhuc grassantibus; nec huic interpretationi adversatur Burmannus. Mihi vero dure et inepte dictum videtur *discordia pacem diffundit*. Quamvis enim simulata et falsa sit pax, in qua insit discordia, non tamen hæc ipsa, tanquam caussa, pacem efficit; et consentiens omnium exemplarium lectio τὸ *quæ* in *quam* mutari vetat, nec permittit constructionis verborum series, quæ hiulca est et legitima consecutione caret, nisi τὸ *quæ* bis positum per anaphoram censeatur. Vlitius, verbis non sollicitatis, commodam interpretationem quærit, et *publica discordia* accipit pro rebus publicis, quæ intestinis armis discordes sunt. At contra Burmannus recte monet, quamvis publicum sæpe dicatur pro republica, plurali tamen numero ita non usos esse Veteres. Et tales quidem interpretationes vel emendationes moliuntur docti viri, quod affirmare verentur, Calpurnium, elegantem alias poetam, barbaro et corrupto vocabulo *discordium* usum esse. Et tamen, rationibus omnibus expensis aliter existimare non possumus : etenim

verba *Publica diffudit discordia* pendent a relativo, non solum proximo, *quæ domito*, sed etiam remotiore illo, *quæ libera*. Quem nominativum necesse esset in quartum casum *quam liberam* mutare, si quidem nominativus, a quo ille pendet, esset *discordia*. Quod si per legem metri fieri nequit, ut legatur *quam liberam*, consequitur, ut *discordia* potius sit accusativus, atque adeo neutrum plurale. Pertinet hoc ad nævos cadentis latinitatis, quales apud Calpurnium occurrunt plures, ut vocabula alia forma, alioque genere, quam melior ætas solebat, efferat. Ipse Ecl. II, 44, *oleastra* dixit pro *oleastros*. Apuleius, Miles. XI, habet *castimonium*. *Oblivium* pro oblivione, *contagium* pro contagione vulgata sunt poetis. In sequioris ætatis et ad barbariem vergentis scriptoribus ea forma nominum frequentior. Venantium Fortunatum *alimonia* et *ceremonia* neutro plurali usurpare, notavit in indice ad eum scriptorem Browerus. Illud Calpurnium quodammodo defendat, quod Juris auctores *concordium* pro concordia vel pacto dicunt, ut *venale concordium* l. 27, ff. de pact. dotal. Plura vid. apud G. J. Vossium, lib. I, de Analog. c. 36, et Phil. Carolum, Animadv. ad Gell. IV, 1. *Discordium* quidem nusquam a se lectum fatetur Modius, Novant. Lect. epist. 105, p. 463; idem tamen refert a Victore Giselino eamdem vocem apud Prudentium in sex manu exaratis codicibus inventam esse, pro qua vulgo *discrimina* legeretur. A Calpurnio autem *discordia* neutro plurali usurpatum esse, ex ipsa orationis ejus serie et sententia declaratum ivimus. Intelligit per discordia non solum tumultus et seditiones, quæ in cædes publicas abeunt, sed etiam occulta et intestina odia, quibus dissidentes cives clam se invicem petunt insidiis, et tacito ferro. Addit *armis grassantibus*, iisque occulta latronum et sicariorum facinora intelligit: nam grassari est cum dolo et clam ingredi, et invadere alios et spoliare. Unde *grassatores* et *grassaturæ*; Sueton. Aug. c. 32, et Tiber. c. 37. Quæ Calpurnius hic turbarum et inimicitiarum genera, Virgilius *cæcos tumultus*, *fraudem et operta bella* nominat, Georg. I, 465, et, qui hunc pariter expressit cum Nostro, Manilius, I, 893,

subitos tumultus, et clandestinis surgentia fraudibus arma: et alio loco *pacis bella*, V, 124. Optime autem hunc locum illustrat Suetonius, Tib. 37, qui intestina bella partim grassaturas et latrocinia dicit, quæ dolo et insidiis fiunt, partim seditiones, quæ discordiæ civium adscribit. *Inprimis*, inquit, *tuendæ pacis a grassaturis et latrociniis, seditionumque licentia, curam habuit;* et paullo post seditionis exemplum daturus pergit: *Cæde in theatro per discordiam admissa*, etc. His disputatis nihil attinet memorare hic variantem lectionem quam princeps editio Romana, cum Vossiano et Gothano MSS habent, *Publica diffugit tacito discordia ferro.* Ubi quidem verbum *diffugit* efficit, ut *discordia* pro casu primo numeri singularis possit accipi; ipsum tamen pro sententia poetæ aliter hic locum habere nequit, nisi pro *diffudit se, sparsa, divulgata est* positum existimetur. Quo sensu plane dubito; an *diffugere* ullo veteris auctoris loco possit reperiri. Præterea totus horum versuum contextus docet, non hic *publicam discordiam* describi a poeta, sed *pacem* non sinceram, et *solum vultu candidam.* Quæ quidem secum habere discordiam aliquam civium, non ipsa dici *publica discordia*, potest.

EXCURSUS III

AD CALPURNIUM, ECL. I, v. 84-88.

Scilicet ipse Deus Romanæ pondera molis, etc.

Perdifficilis hic locus, sed idem maxime illustris, Calpurnii est, quo poeta, Pollionem Virgilii imitatus, pro natura oraculi, quod hic Faunus fundit, perplexam paullo et ambiguam orationem de industria fingit, ipsumque carmen,

quod hactenus satis expedite et clare processerat, gravi aliqua, sed subobscura, sententia finit, ut hoc magis opinionem magnæ rei commoveat, et tanquam aculeum in legentium animis relinquat. Per *ipsum Deum* more Bucolicorum intelligi summum dominum imperii Romani, Carum Imper. ad v. 46 notavimus; hoc ipsum vero significanter et arguta ambiguitate factum, tanquam in oraculo, ut credatur, principem aliquem Deorum oriturum ad tuendam imperii Romani majestatem. *Romanæ pondera molis* gravissimum imperii gubernandi onus, quod postea v. 86 figura *orbis* vel globi describitur, significant, et expressa sunt e verbis Ovidii, Met. XV, 1 : *Quis tantæ pondera molis Sustineat, tantoque queat succedere regi* (1). Sequentium versuum et totius oraculi sententia hæc est : Tanta virtute et fortitudine ipse Deus onus imperii suscipiet, et tumescentes forte seditiones ipso ingressu suo comprimet, ut mutatio imperii salva pace et tranquillitate publica fiat, et neque e translato imperio tumultus aliquis et turbatio existat, neque ipsa Roma defunctum Imperatorem Diis accessisse prius censeat, quam exortum novum Imperatorem viderit. Nunc singulas oraculi partes illustrabimus. In verbis : *fortibus excipiet lacertis* sunt, qui putent allusum ad fabulam Herculis pro Atlante cælum fulcientis. Et frequenter hac comparatione utuntur oratores et poetæ, e. g. Plinius Paneg. X, 6; Claudianus de Laud. Stil. I, 142. Sed hi fere Herculem faciunt cervice et humeris succedere cælo : vid. Ovid. Met. IX, 199; Stat. Theb. I, 98; Noster vero : *excipiet lacertis.* Itaque potius respicere ad eum morem videtur, quem a Persis ad Græcos et Romanos transiisse ostendit Lindenbrogius ad Amm. Marcell. XXI, 14, p. 311, quo statuæ regum fingi solebant globum, imperii symbolum, manu sustinentes. Et in num-

(1) Similiter Curtius, X, 5, 37 : « Huic regi ducique successor quærebatur; sed major moles erat, quam ut unus subire eam posset ». Pariter Symmachus, Epist. III, 47 : « Ita volvenda dies attulit, ut Domini nostri Gratiani fortissima simul ac felicissima manu nutantia reipublicæ pondera fulciantur ». Ed.

mis Romanorum haud raro cernuntur Imperatores imperium communicantes dextris porrectis globum interpositum sustinere. Plane hunc globum versu seq. exprimit *translatus orbis*. Hujus translati sonitu nullus *intonat fragor*, h. e. nullus e translatione imperii tumultus, nullæ turbæ existunt. Plane in eamdem sententiam Velleius, lib. II, c. 124, de Tiberio succedente Augusto loquitur : *Cujus orbis ruinam timueramus, eum ne commotum quidem sensimus*. Fragor, stridor, sonitus de magnis regnorum conversionibus haud raro usurpatur. Vid. Cicero ad Att. II, 21; Horat. Carm. I, 34, 14, et II, 1, 31. Aurel. Victor, cap. 39, de Diocletiano : *Imminentium scrutator, ubi fato intestinas clades, et quasi fragorem quemdam impendere comperit status Romani, curam rei publicæ abjecit*. Sequitur pars oraculi maxime intricata :

> Nec prius ex meritis defunctos Roma Penates
> Censeat, occasus nisi quum respexerit ortus.

Horum verborum tam difficile et perplexum carmen est, ut fere, quot interpretes ad hunc locum accesserunt, tot sententiæ et explicandi modi reperiantnr. Nolo referre Diom. Guidalotti, Hugol. Martelli, Rob. Titii, Gerardi Kempheri ad hunc locum annotationes, Isaaci etiam Vossii in Observ. ad Catull. p. 276, qui omnes diversam interpretandi viam ineunt. Solus mihi Caspar. Barthius recte sensum assequutus videtur, qui de Imperatoris decessu et successoris ejus exortu demum cognoscendo intelligit, neque tamen ipse sententiæ suæ satis fidit, et mox in aliam transit. Gronovius, Observ. III, 13, et Burmannus ad h. l. Barthii quidem interpretationem amplectuntur, sed verba ipsa poetæ, quo minus obscura videantur, ita mutant ac refingunt, ut fere nullum vulgatæ lectionis, quam omnia exemplaria retinent, immotum et illibatum maneat. Igitur exponendo et probando singulorum verborum sensu interpretationem, quam supra dedimus, confirmabimus. *Ex meritis* pendere arbitror a *censeat*, et notare, propter vel secundum merita: *Penates* prædicari de defunctis, ut verborum ordo et sensus hic sit :

Nec prius Roma defunctos (sc. Imperatores) propter eximia eorum merita censeat Penates esse, vel inter Penates referat. Ad quem modum Florus, IV, 12, 28, de Druso Germanico scripsit: *Non per adulationem, sed* ex meritis, defuncto *ibi fortissimo juvene, ipsi, quod nunquam alias, senatus cognomen ex provincia dedit. Merita* eminenter dicuntur facta illustria, quibus res publicæ constituuntur vel servantur. Talibus meritis illustres cælum merebant. Sic enim Semidei in legibus XII Tab. describuntur apud Cic. de leg. II, 8: *Divos colunto et ollos, quos endo cælo merita vocaverint, Herculem, Liberum, Quirinum*, etc. Hos sua quæque gens vocabat Penates, et Romani igitur, quando Cæsares suos ob merita vel commentitia, vel vera, post mortem consecrabant, referebant eos inter Penates vel Lares suos. Cæsari Augusto hunc honorem vivo contigisse, significat Horatius, Carm. IV, 5, 34; et M. Antonini memoriam tam sanctam Romanis esse refert Capitolinus in Marco, c. 18, *ut in multis domibus ejus statuæ consistant inter Deos Penates* (1). Itaque *non prius censeat defunctos Penates* idem est, ac *non prius credat ex meritis suis defunctos accessisse Diis. Censere* solenne vocabulum est de Senatus consultis, quo sæpissime utitur Tacitus, e. g. Annal. II, 83; III, 57; et Calpurnius hoc utebatur, quod consecratio Cæsarum Senatus consulto fiebat. *Occasus nisi quum respexerit ortus* de occasu vel decessu Imperatoris, et de ortu successoris intelligendum est, ita ut ortus casu primo, occasus autem quarto accipiatur. *Respici* haud raro dicuntur, quæ facta sunt et præterita, sicut prospici, quæ futura. Præclare hic usus verbi ex hoc versu Ovidii perspicitur, Fast. IV, 678:

> Sed jam præteritas quartus tibi Lucifer Idus
> Respicit,

h. e. quartus dies post Idus ortus est. Unde hic verborum

(1) De Penatibus et Diis patriis, qui erant vel *publici*, totius populi, consensu traditi a majoribus, ut publice colerentur; vel *privati* singularum gentium et domorum, accurate agit Gronovius, Diatrib. in Statii Silv. cap. 44, p. 290. Ed.

Calpurnii planissimus sensus emergit : nisi quum ortus novi Imperatoris significet et demonstret occasum vel obitum prioris, ita ut nullum intervallum, nulla mutatio imperii sentiatur. *Ortus, oriri, Oriens* de successionibus Imperatorum et auspicio imperii frequentissime dicitur. Unum ex multis advocamus Eumenium, Paneg. Constantii, cap. 2, 2 : *Det mihi, Cæsar invicte, hodiernæ gratulationis exordium divinus ille vestræ majestatis ortus.* Ab auctore Epithalamii Maximiano et Constantino dicti, cap. 1, 1, Constantinus modo aggressus imperium, et nomen Augusti adeptus, dicitur *oriens Imperator.* Atque hinc, qui in multis Cæsarum nummis exprimitur, ORIENS AVGVSTI, non bellum in Oriente gestum significat, ut plerisque nummorum interpretibus placere video, sed auspicia susceptionemque imperii celebrat. Et alias frequens est Imperatoris Romani cum Sole comparatio, cujus caussas hic copiosius exponere non vacat.

ECLOGA II.

CROCALE.

ARGUMENTUM.

Idas pastor, et Astacus horti cultor, ambo Crocalen amantes, nunc torrente solis æstu fessi, sub eamdem ulmum ad fontem gelidum conveniunt, et certare invicem cantu et pignoribus decernunt. Thyrsis, judex certaminis, pignoribus certare prohibet, victoremque solo laudis præmio contentum esse jubet, et ipsum certaminis modum præscribit. Ambo igitur alternatim canentes, amores suos celebrant, ita quidem, ut quisque artes, opes, muneraque sua, quibus Crocalæ placere velit, singula quaternis versibus, laudet, iisque alterum vincere conetur. Vespera appetente, certamen dirimitur, et ambo pares a Thyrsi pronuntiantur. Est hæc Ecloga ex eo genere carminis, quod amœbæum dicitur, quale Virgilii III, VII et VIII, Theocriti Idyllium IV, V, VI est. Virgilii maxime septimam in hac imitatus poeta videtur; insolens tamen, et Theocrito Virgilioque minus usitatum est, quod olitorem Astacum cum pastore inducit; sed idem haud infeliciter cessisse poetæ videtur, materiamque egregiæ comparationis suppeditasse, qua officia et munera hortensia cum pastoritiis ita contulit, ut festivum inde ingenium poetæ, nec spernendum artificium carminis appareat. Quamquam idem nimis operosum aliis, et facilitati carminis pastoralis adversum videri possit, qui subitas atque a diversis rebus arcessitas quæstiones in contentionem adduci, exemplo Virgilii, Ecl. III, malint. Reliqua elaboratio, ut multa habet a Virgilio mutuata, nec infeliciter expressa, ita ad ejusdem castitatem non accedit. Reprehendit Scaliger, Poet. lib. VI, cap. 5, quod pastoralium cantionum admiratores faciat Satyros et Faunos, judicem constituat Thyrsim, non illorum quemquam. Et certe non satis decebat in caussa adeo levi, quam alius pastor disceptet, omnem

fere naturam rerum, pecudes alitesque, pastores omnes e vicinia, flumina et ventos, et numina adeo agrestia, Faunos, Satyros, Nymphas, ad audiendum attrahere, et magni certaminis exspectatione suspensos facere. Multo moderatior Virgilius, Ecl. VIII, 3, qui nec Faunos auscultantes facit, nisi Sileno de maximis rebus canente, Ecl. VI, 27. At enim hoc commune poetis sequioris ætatis vitium est, quod temperare non possunt ingenio, atque, ubi in locum aliquem a superioribus monstratum devenerunt, imitandi studio ruunt immoderate, et, quum omnia congerere et aptare sibi cupiunt, quæ in eo genere pulchre dicta invenerint, nimia ubertate faciunt, ut jejuni et inepti videantur. Cæterum non desunt huic carmini suæ veneres, quæ poetam ævi sui ingeniis superiorem demonstrent. CROCALE inscribitur in Florentina Juntæ et pluribus aliis ex versibus 52, 56. In Salomonis Gesneri Idyllio, quod *Lycas et Milon* inscribitur, ad exemplar septimæ Virgilii expresso, insunt nonnulla, in quibus et hanc Calpurnii comparasse poeta elegantissimus videtur.

ASTACUS, IDAS, THYRSIS*.

INTACTAM Crocalen puer Astacus, et puer Idas,
Idas lanigeri dominus gregis, Astacus horti,
Dilexere diu: formosus uterque, nec impar
Voce sonans; terras hi quum gravis ureret æstas,
Ad gelidos fontes et easdem forte sub ulmos
Conveniunt, dulcique simul contendere cantu
Pignoribusque parant: placet, hic ut vellera septem,

* ASTHACUS et IDAS, Ug. A. 2. et cæt. *Astachus* habet D. *Astacus* addito *Thyrsis* F. 1, V. A. 1, et seq. *Poeta incipit* addit O. *Pastores duo, Astacus et Idas æmuli: Poeta inquit.* Rom. et Voss. nisi quod *æmuli* desit.

1. *Intacta*, non solum integra et casta, sed et durior adversus amantium illecebras. Virg. I, 349: *Quam pater intactam dederat.* Sabinas *intactas*, i. e. severas, dixit Propert. II, 6. — Vid. quoque Juvenal. Satir. VI, 162: *Intactior omni Crinibus effusis bellum dirimente Sabina.* ED. — *Crocalen* hic et v. 52 habent Ug. A. 2, cum seq. Dorv. c. etiam Palat. cod. et probabat Scaliger: *Crotalen* F. 1. V. A. 1. O. P. Dorv. a. Goth. Nos *Crocalen* prætulimus cum Burmanno, si quidem hoc nomen non ignotum antiquitati. *Crocale* inter Dianæ comites et nymphas ab Ovidio memoratur Met. III, 169. *Crocalus* inter procos Hippodamiæ numeratur a Scholiaste Pindari, Olymp. I, 126. Κροκύλος nomen Pastoris apud Theocr. Idyll. V, 11.—*Puer* primævus adolescens; nam pueros vocant qui ætate jam etiam puberes. Virgil. Æn. V, 296: *Nisus amore pio pueri.* Sic *puellæ* dicuntur jam nuptæ. Hor. C. III, 14, 11.

2. *Idas lanigeri*, elegans παλιλογία, et ἐπάνοδος, Bucolicis frequens. Virgil. Ecl. VII, 2, 3.

3. *Sed impar* omnes scripti et editi. At *neque impar* vult Martell. *Nec impar* Modius, Vlit. Burm. quia non aliter magnum certamen esse poterat inter impares. In fine hujus Eclogæ, *Este pares*, etc. et Ecl. IX, 16: *Ambo ævo cantuque pares, nec dispare forma.*

5. *Sub umbras* Dorv. a.

7. *Placet*, solenne verbum est de eo, quod convenit inter paciscentes; Terent. Andr. I, 1, 75: *Placuit, despondi.* — *Vellera septem* pro septem ovibus, ut Naso Met. VII, 244: *cultrosque in sanguine velleris atri Conjicit;* et Virgil. Æn. I, 193, *septem corpora* pro cervis. Solent enim pastores animalia de grege suo pro pignore proponere, caprum, juvencam, et, ut infra Ecl. V, equam, cervam.

Ille sui victus ne messem vindicet horti;
Et magnum certamen erat sub judice Thyrsi.
Adfuit omne genus pecudum, genus omne ferarum,
Et quæcumque vagis altum ferit aera pennis.
Convenit umbrosa quicumque sub ilice lentas
Pascit oves, Faunusque pater, Satyrique bicornes.
Adfuerunt sicco Dryades pede, Naiades udo,
Et tenuere suos properantia flumina cursus:
Desistunt tremulis incurrere frondibus Euri,
Altaque per totos fecere silentia montes.
Omnia cessabant, neglectaque pascua tauri

8. *Messis*, de quovis fructu colligendo, ut de mellatione Virgil. Georg. IV, 231, et de vindemia, Georg. II, 410. — *Ne vindicet*, h. e. ut alteri concedat, nec jure domini in eam utatur.

9. Virg. Ecl. VIII, 16: *Et certamen erat... magnum.*

11. *Vagis alitum* Ug. A. 2. Bo. F. 2. P. *avium* B. *altum*, R. Dorv. a. b. *Vagis ales*, Dorv. c. *Et quodcumque vagis altum*, conj. Vlit. *alitum* tamen, quod pleræque editiones præferant, non ausim tollere. Poetæ sequioris ævi, et Noster etiam, sæpius id vitii admittunt. — Putant nonnulli Avienum *ales* prima brevi usurpasse, Descript. Orb. Terr. v. 998: *curvis sedet undique ripis Creber ales:* sed dubia est hæc lectio et alii ex vet. cod. reponere volunt *Creber olos*. Legunt autem Brouckus. et Higtius *Crebra ales*, quod mihi arridet. Ed.

12. *Lentas oves*, h. e. lente et tarde errantes inter pascendum Ovid. Met. III, 15: *Incustoditam lente videt ire juvencam.*

14. *Adfuerant*, D. V. *Nayades* Goth. — *Sicco pede, Dryades* quia per silvas errant; *Naiades udo*, quia per udas fluminum ripas. Vid. Nostrum, IX, 20. Nonnus in Dionys. ὑγροβαφεῖς et ὑγροπόρους, per humida gradientes, appellat.

15. Expressum e Virgil. Ecl. VIII, 4: *Et mutata suos requierunt flumina cursus.*

16. *Incurrere* quasi incursione hostili, qua tremere faciunt frondes arborum. Horat. Sat. II, 1, 37: *Romano incurreret hostis*; et Claud. Stil. I, 216: *Unius incursu tremuit.*

17. *Fecere silentia*, quasi reverentia, favore, exspectatione suspensi. Sæpe sic poetæ feras, ventos, flamina facere audientiam jubent. Vid. Virgil. Ecl. VIII, 3; Tibull. IV, 1, 125. Conf. Spanhem. ad Callim. in Apoll. v. 17. — *Montes* sæpe pro regione et habitaculis pastorum; Virgil. Ecl. V, 8: *Montibus in nostris solus tibi certet Amyntas*, et Noster, IV, 62, 88 et 153.

18. *Neglectaque pascua tauri Calcabant... etiam*, hæc desunt in R. As. D. O. Bo. Pal. Voss. Dorv. c. Goth. Sed et hæc e Virgilio petita, Ecl. VIII: *Immemor herbarum, quos est mirata juvenca.* Guidalottus hos

Calcabant: illis etiam certantibus ausa est
Dædala nectareos apis intermittere flores.
Jamque sub umbrosa medius consederat ulmo
Thyrsis, et, « O pueri, me judice, pignora, dixit,
Irrita sint moneo: satis hoc mercedis habeto,
Si laudem victor, si fert opprobria victus;
Et nunc alternos magis ut distinguere cantus
Possitis, ter quisque manus jactate micantes. »
Nec mora discernunt digitis; prior incipit Idas.

IDAS.

Me Silvanus amat, dociles mihi donat avenas,

duo versus *Omnia cessabant*, etc. subdititios et expungendos censet.

19. *Ausa est intermittere*, h. e. sustinuit, a se impetravit ut contra morem et ingenium suum intermitteret involare flores, quamvis *dædala*, h. e. artifex et operosa, ne bombo suo ac susurro obstreperet cantanti domino suo, Astaco hortulano; nam alias apes *Invitant croceis halantes floribus horti*. Virgil. Georg. IV, 109.

21. *Umbrosa... ulmo* principes edit. omnes, R. Ug. F. 1. A. 1. V. A. 2. et seq. cum Voss. *sub umbrosa medius consederat umbra* D. Pal. et unus Dorv. qui in marg. *sub arborea*. *Sub herbosa* Dorv. c. *annosa* habet Goth. et sic ediderunt Pith. Vlit. Burm. non gravi, ut apparet, ratione. Virgil. Ecl. XI: *Frondosa vitis in ulmo est*.

22 et 23. Permutantur inter se in As. *Satis hic* Dorv. a. *Habento* Dorv. b. *Habere* D. *Habete* malim cum Burm. ut pueris conveniat.

25. Præcipit genus cantandi reciprocum vel amœbæum, quo oportebat alterum alteri certo versuum numero similia respondere. *Versus in ordine referre* dicit Virgil. Ecl. VII, 20. Noster *vicibus reducere carmen*, Ecl. IV, 80, *invicem dicere*, Ecl. XI, 30. *Ut distinguere possitis alternos cantus* idem est, ac ut meminisse uterque possitis, quot versus sint pronuntiati, quando alteri desinendum, alteri incipiendum sit Virgil. Ecl. VII, 19: *alternos Musæ meminisse volebant*.

26. *Jactare* D. et Goth. — Manu ter jactata, et digitis expansis, quod micare est, versuum modos et tempora signate inter canendum, ut ordinem observetis alternandi. Micatio erat sortilegii genus, subinde et lusus; hic tantum numerandi et signandi caussa adhiberi puto, ut tempora notentur respondendi.

27. *Discrevit digitus* Ug. Bo. A. 2. cum seq. F. 2. Dorv. c. et Mod. *Discernunt digitis* F. 1. A. 1. V. O. Voss. et Goth. Pith. Vlit. *Decernunt* D. Heins. et Neap. et ita Gronov. Observ. III, 13. — *Discernunt digitis* restituendum censui, quia plures libri in hac lectione consentiunt, et versu 25 præcessit *distinguere*.

28. Expressit illud Theocriti, V, 80: Ταὶ Μῶσαί με φιλεῦντι, et Virg.

Et mea frondenti circumdat tempora tæda.
Ille etiam parvo hoc dixit mihi non leve carmen;
Jam levis obliqua crescit tibi fistula canna.

ASTACUS.

At mihi Flora comas parienti gramine spargit,
Et matura mihi Pomona sub arbore ludit:
Accipe, dixerunt Nymphæ, puer, accipe fontem,
Nam potes irriguis nutrire canalibus hortos.

III, 62: *Et me Phœbus amat.* Sylvano se gratum dicit pastor, ut *arvorum pecorisque Deo.* Virg. Æn. VIII, 600.

29. *Tæda*, i. e. ramo pini caput meum ornat, eoque sibi me asserit et proprium dicat, quod pinus Sylvano sacra est. Notavit hujus loci caussa Calpurnium Scaliger in Hypercrit. sed satis eum Gronovius, Observ. III, 13, defendit ex Plinio, lib. XVI, 10.

30. *Parvo mihi*, h. e. puero adhuc singulari oraculo promissum dedit *non leve*, h. e. magni momenti, quamvis de levi fistula, quæ sequitur. — *Hoc* abest in Dorv. a. idem delebat Heins. et seq. versu legebat *crescat*, quod et Dorv. a. præfert.

31. Vid. Excurs. primus ad hanc Eclogam.

32. *Et mihi* R. Ug. A. 2. Bo. F. 2. Voss. *Et mihi flore* Dorv. b. Palat. Goth. *Gramine jungit* Dorv. a. quod valde placet. *Fundit* optabat Titius. — *Flora mihi*, mea caussa, *comas*, flores comantes, *parienti*, fecundo in *gramine*, in caulibus et foliis, *spargit*, diffundit et largiter procreat. Perperam *comas* de capite Astaci accipiunt: *comantes auro ramos*, h. e. florentes, dicit Sil. Ital. VI, 183; *flore comantem purpureo* Virgil. Æn. XII, 413; *gramen floreum* Martial. IX, 91, 1. *Pariens gramen*, ut *parturit arbos*, Virgil. Ecl. III, 56. — Antonius de Rooy in Spicilegio crit. cap. 17, vult *pallenti gramine*, sicut infra Ecl. V, 6, *gramina cana* dixit. Ed.

33. *Matura Pomona sub arbore ludit*, h. e. poma matura excussa sub arbore catervatim discurrunt in solo, et exsultant. Sub arboribus etiam Fauni et Dryades ludere et lascivire dicuntur, Martial. IX, 62, 11 sqq. et Pomonam inter Hamadryadas refert Naso, Met. XIV, 625. — *Mihi peramœna* R. D. N. Dorv. b. Goth. Voss. *Et Matuta mihi peramœna* As. *Et mihi matura Pomona* O. optime, idque jam Burmannus vidit. Et sic defenditur hic locus a censura Scaligeri in Hypercritico.

34. *Accipe, dixerunt Nymphæ*, h. e. Nymphæ mihi uberem fontem aquæ, horto meo irrigando, concesserunt. — *Fontes* Dorv. omnes, Voss. Pal. et ita Guidal.

35. *Mutare canalibus*, R. As. Ug. — *Irriguis* h. loco active capiendum pro irrigantibus. Sic Virgil. Ecl. IV, 34: *Irriguumque bibant violaria fontem;* et Noster, hac Ecl. v. 49. — Addenda vox *irrigui* iis quæ observat Agellius, duplicis potentiæ, lib. IX, c. 12.

IDAS.

Me docet ipsa Pales cultum gregis, ut niger albæ
Terga maritus ovis nascenti mutet in agna,
Quæ neque diversi speciem servare parentis
Possit, et ambiguo testetur utrumque colore.

ASTACUS.

Non minus arte mea mutabilis induit arbos
Ignotas frondes, et non gentilia poma.
Ars mea nunc malo pira temperat, et modo cogit
Insita præcoquibus subrepere persica prunis.

IDAS.

Me teneras salices juvat, aut oleastra putare,

36. Gloriatur, se pastorem ab ipsa Pale edoctum esse artificium e nigro ariete et alba ove versicolores procreandi agnos. *Cultus gregis* constat pastione et fetura. Virg. Georg. I, 3: *quis cultus habendo Sit pecori*. Conf. Calp. V, 38. — *Ut niger albæ*, etc. dictum sane breviter et luculente, ut Maro ipse non melius. De ipsa re variati per genituram coloris consulendi Colum. VII, 2; Plin. VIII, 47, et XXXII, 2; Varro, II, 2; Virgil. Georg. III, 384.

39. *Ambiguo testetur utrumque colore*, maculis variegato ex utroque parente. Locum fere similem tangit Lucretius, lib. II, v. 730: *Ne forte hæc albis ex alba rearis Principiis esse, ante oculos quæ candida cernis, Aut ea quæ nigrant, nigro de semine nata*. Ambiguus, proprie inter utrumque dubius; vox enim ab ἀμφὶ *circum, circa*, unde plures apud Latinos compositæ. — *Testari parentes*, phrasis Ciceroni usitata et Juridicorum propria. Ed.

40. Argute hortulanus insitionem opponit arti pastoris, variandi coloris in pecore. Modum et leges insitionis persequuntur Colum. V, 11, et Plin. XVII, 14 seq. — *Mutabilis arbor*, quæ insitionem recipit, quam non omnes ferre dicuntur.

41. *Ignotas frondes* peregrinas et adoptivas dicit Pallad. XIV, 20 et 39, *novas frondes et non sua poma* Virg. Georg. II, 82. — *Genitalia poma* R. As. V. A. 1. O. P. et Vlit. *Gentilia*, alii omnes. Vid. Nemes. Cyneg. v. 260.

42. *Malo pira temperat*, h. e. piro arbori inserit mala. Sic Propert. IV, 2, 17: *Insitor hic solvit pomosa vota corona, Quum pirus invito stipite mala tulit*. Ed.

43. *Præcocibus* O. *Surrepere* F. 1. — *Præcoqua*, h. e. quæ æstate maturescunt, pruna appellat, quia et autumnalia sunt, quæ Propertius nominat, IV, 2, 15. Similiter de persicorum insitione Martial. XIII, 46: *Vilia maternis fueramus præcoqua ramis, Nune in adoptivis persica rara sumus*. — *Subrepere* est quasi furtim se applicare, et alterius locum occupare. Tibull. IV, 3, 31: *quæcumque meo subrepit amori*.

44. *Teneræ salices* ovibus et ca-

Et gregibus portare, novas ut carpere frondes
Condiscant, primoque recidere gramina morsu,
Ne depulsa vagos quærat fetura parentes.

ASTACUS.

Et mihi, quum fulvis radicibus arida tellus
Panditur, irriguo perfunditur area fonte,
Et satiatur aqua, succos ne forte priores
Languida mutata quærant plantaria terra.

IDAS.

O si quis Crocalen Deus adferat! hunc ego terris,
Hunc ego sideribus solum regnare fatebor;
Decernamque nemus, dicamque, sub arbore numen

pris gratissimæ. Virgil. Ecl. I, 79: Noster, Ecl. VIII, 6.—*Oleastra* nove positum pro *oleastros*, quos pecori gratos affirmat Lucret. VI, 970.

45. *Novis, ut* ita Vlitius, et Dorv. a. *Novas ut carpere* omn. edit. — *Novas frondes*, teneras et virides, pabulum pecori. Vid. Noster, Ecl. V, 99 et 106.

47. *Depulsa fetura*, agni lacte depulsi. *Fetura est proventus ovium*, inquit Servius ad Virgil. Ecl. VII, 36. — *Quærat parentes*, ut Horat. Carm. I, 23: *quærenti pavidam montibus aviis Matrem.* —*Vagas* malebat Scaliger.

48. *Altera tellus* R. As. O. Goth. atque ita vult Vlit. quia postea dicit *mutata terra;* sic etiam Dorv. Pal. Voss. reliqui omnes *arida*. *Panditur tellus*, effossa recipiendis intra scrobes plantariis.

49. *Pangitur* F. 1. V. A. 1. cit. Tit. et Scaliger sic legit. *Panditur* sensus requirit; nam sermo est de transplantatione, qua herba quidem *pangi* dicitur, non terra. *Quum vulsis radicibus altera tellus Panditur*, sic Burm. — *Area* est quadratum terræ bene subactæ spatium in hortis. Colum. X, 152: *cumulatis area glebis Emineat.*

51. *Languida mutata*. Sic Virgil. Georg. II, 268: *Mutatam ignorent subito ne semina matrem.* Ed. — *Plantaria* sunt, *quæ ex seminibus nata cum suis radicibus et propria terra transferuntur.* Ita Servius ad Virg. Georg. II, 27.

52. *Hunc ego terris*. Hunc ego fatebor maximum pastorum numen esse. Pastoritia hæc Dei descriptio, quia pastores et agricolæ terræ et sideribus omnia tribuunt, a quibus et fruges et bonas tempestates exspectant. Similiter Virgil. Georg. I, 27, Cæsarem Deum pronuntians, agricolarum more, *auctorem frugum tempestatumque potentem* facit.

54. *Dicam namque nemus* R. Ug. As. F. 1. A. 1 et 2 cum seq. Bo. F. 2. Goth. *Decernamque* primus dedit Pith. quem seq. Vlit. et Burm. *Secernam* vult Gronov. Obs. III, 13. — *Dicam namque nemus*, quod edit. vetustiores omnes præferunt, vix ferri potest propter inamœnam repetitionem, neque tamen *decernam*

Hoc erit, ite procul, sacer est locus, ite profani.

ASTACUS.

Urimur in Crocalen: si quis mea vota Deorum
Audiat, huic soli, virides qua gemmeus undas
Fons agit, et tremulo percurrit lilia rivo,
Inter pampineas ponetur faginus ulmos.

IDAS.

Ne contemne casas, et pastoralia tecta:
Rusticus est, fateor, sed non est barbarus Idas.
Sæpe vaporato mihi cespite palpitat agnus,

satis se auctoritate tuetur. *Secernam* Gronovii aptum quidem huic loco, sed ex illo demum recentius inducto *decernam* inventum. Igitur ἐπέχω. Fortasse poeta de industria hic rusticius et inscitius loqui voluit. *Nemus* Deorum agrestium sacrarium est, quale supra Ecl. I, 15; et *Sacellum* apud Virgil. Ecl. III, 9. Id Deo se dedicaturum promittit solenni et rituali formula. — Retractanda mihi videtur correctio hoc loco facta, et omnino rectam arbitror nec mutari debuisse vulgatam veterem scripturam *Dicam namque nemus, dicamque;* nam ex hoc loco maxime apparet affectata a Calpurnio plebeia ταυτολογία, et rustica simplicitas variandæ orationis nescia. *Et dicam, dixi, dixerunt* pro *statuerunt, cogitarunt*, adeo solenne Calpurnio est, ut videatur illud verbum proprium pastoralis sermonis habuisse. Vid. Ecl. IV, v. 100 et 106. Ed.

55. *Sub arbore numen Hac erit* Vlitius vult. *Hac* δεικτικῶς. Ita *sacra fagus* Ecl. I, sub qua sacrarium Fauni. Imitatur Persium Sat. I, 113: *Pueri, sacer est locus extra Meïite.*

56. *In Crotale:* ita Heinsius atque Modius. *Quisquis mea* legit Kemph.

57. *Huic soli Deo*, dedicato loco horti mei, inter ulmos vitiferas sacra faciam, cratere posito ex more agricolarum. Vid. Excursus secundus ad calcem hujus secundæ Eclogæ. — *Viridis* O. Goth.

58. *Præcurrit* Goth.

60. *Ne contemne casas, et pastoralia tecta.* Locus expressus ex Marone, Ecl. II, 28, ubi Corydon. *O tantum libeat mecum tibi sordida rura, Atque humiles habitare casas;* neque aliter ipse Polyphemus apud Ovid. Met. XIII, fab. 8, rus commendat, quod ex Theocriti Cyclope mutuatus est, qui Εἰδυλλ. ια, Galatheam invitans: Ἅδιον ἐν τὤντρῳ παρ' ἐμὶν τὰν νύκτα διαξεῖς. Ed.

61. *Rusticus*, qui rus colat, et boves pascat. Vid. Ecl. IX, 70, et Virgil. Ecl. II, *Rusticus es, Corydon*, etc.—*Non barbarus*, non expers humanitatis, religionis, amoris. In quam sententiam Ovid. Am. III, 10, 17, de Cerere: *Nec tamen est, quamvis agros amet illa feraces, Rustica, nec viduum pectus amoris habet.* Et Heroid. IV, 102: *Si Venerem tollas, rustica silva tua est.* — *Sed non et* Nic. Heins. Dorv. a. b.

62. *Vaporato cespite*, facto suf-

Sæpe cadit festis devota Palilibus agna.

ASTACUS.

Nos quoque pomiferi Laribus consuevimus horti
Mittere primitias et fingere liba Priapo;
Rorantesque favos damus, et liquentia mella;
Nec fore grata minus, quam si caper imbuat aras.

situ in ara cespititia, quæ solet esse agrestium: *palpitat mihi*, mactatur pro me; i. e. sæpe adorare deos soleo, atque iis sacra facere. Vid. Ecl. V, 25; Horat. Carm. III, 8, 3.

63. *Parilibus* P. Vlit. idque defendit Kemph. rel. o. *Palilibus*. Totus hic v. abest in Davent. N. et Q. ejusque loco hic legitur: *Perfundens aras divorum sanguine largo. Agna*, quum præcesserit *agnus*, insuave est. — *Devota Palilibus*, h. e. vota et promissa in Palilibus, ut per annum, variis diebus, immoletur. Hinc ait, *sæpe cadit*. De Palilibus, Pali Deæ pastorum actis XI Cal. Mai. vid. Ovid. Fast IV, 721, seq. Tibul. II, 5, 87, seq. Propert. IV, 1, 10. Cæterum prædicanda religione sua pastor, carum se Diis vult ostendere; et dignum adeo, qui a Crocale ametur. In quam sententiam Horat. Carmin. I, 17, 13: *Di me tuentur*, etc.

64. *Laribus horti*, propriis horti mei custodibus, ut *Lares suos pauperis agri custodes* vocat Tibullus, I, 1, 20. His primitiæ mittebantur hortorum, ut domesticis cœnarum, nempe poma, baccæ, olera, flores. Vid. Tibullus, II, 1, 59. Priapus communis hortorum custos.

65. *Farrea liba* D. N. *Fundere liba* R. As. V. A. 1. O. Misc. Tit. *Figere* Ug. A. 2. cum seq. Bo. F. 2. *Fingere* habet Tig. et Pith. idque præferunt Mod. et Casaub. ad Suet. Aug. 4. *Fundere vina Priapo* Dorv. *Fundere libra* Palat.

66. *Rorantes fagos* Ug. F. 1. A. 1 et 2, cum seq. V. *Portantesque favos* D. N. *Atque liquentia* D. N. — *Rorantesque favos*. Tibullus, I, 10, 23: *Atque aliquis voti compos liba ipse ferebat, Postque comes purum filia parva favum*. Apposite dicit *Rorantes* quemadmodum Græcis est μελισταγὴς καὶ εὔδροσος κηρός; rorans enim est rore distillans — *Liquentia mella*, id est pura, ut Servius exponit ad Virgil. Æn. I, 436, *et quum liquentia mella Stipant*. Ed.

67. *Nec fere* R. Voss. Goth. Dorv. b. *Nec fore* N. Ug. F. 1, cum seq. A. 2, cum seq. et defendit Barth. *Nec sunt* Dorv. a. *Nec fero* P. Mod. *Nec fors* conj. Heins. *Nec fert*, scil. Priapus conj. Burm. — Sinceram, nec inelegantem puto esse, quam et plures editiones præferunt, lectionem: *Nec fore grata minus*. Qui in *fere*, *fero*, *fors*, *fert* mutare voluerunt, hos, puto, fugit vel offendit frequens alias, nec ingrata, verborum *spero*, *credo*, *puto*, omissio, in continuatione sententiarum, ante infinitivos, præsertim *fore*. Tale est illud Virg. Æn. I, 444: *sic nam fore bello Egregiam, et facilem victu per secula gentem*. Idem, IX, 232: *Rem magnum, pretiumque moræ fore;* et Horat. Carm. III, od. 16, vers. 7: *fore enim tutum iter et patens, Converso in pretium Deo*.

IDAS.

Mille sub uberibus balantes pascimus agnas;
Totque Tarentinæ præstant mihi vellera matres:
Per totum niveus premitur mihi caseus annum;
Si venias, Crocale, totus tibi serviet hornus.

ASTACUS.

Qui numerare velit, quam multa sub arbore nostra
Poma legam, citius tenues numerabit aristas.
Semper olus metimus; nec bruma, nec impedit æstas,
Si venias, Crocale, totus tibi serviet hortus.

IDAS.

Quamvis siccus ager languentes excoquat herbas,
Sume tamen calathos nutanti lacte coactos.

68. *Palanteis* Rom. F. 1. As. V. A. 1. P. Goth. *Pallentes* D. *Ballantes* Ug. *Balantes* A. 2, seq. F. 2. Barth. et Heins. ex Virgil. Æn. IX, *tuti sub matribus agni Balatum exercent.* — Ut v. 62, pietatem suam erga Deos, ita nunc divitias extollit. *Mille* pro numero magno, ut Virgil. Ecl. II, 21; Calp. IX, 35. De præstantia ovium Tarentinarum Colum. VII, 2, et Plin. VIII, 47.

69. *Vellera* R. Ug. A. 2. F. 2. Dorv. b.

71. *Venies* hic et infra R. Ug. Dorv. b. c. *Mihi serviet* Ug. A. 2, aliæque; quasi ut, se felicem futurum adventu ejus, dicat. Sed hanc lectionem infirmat v. 75. *Tibi* D. A. 1. *Serviet annus* Ug. Bo. *Ornus* Voss. Goth. *Hornus* F. 1. V. A. 1. P. — *Hornus*, scilicet *caseus*, quod præcessit, sive omnis proventus lactis et pecoris, ut *hornæ fruges*, *horna vina* Horatio, *horni agni* Propertio dicuntur. — *Tibi serviet*, tuo usui et honori impendetur. Apud Ovid. Met. XIII, 821, Polyphemus: *omnis tibi serviet arbor.* Qui totus locus comparandus cum Nostro.

73. *Numerabit arenas* R. F. 1. V. A. 1. *Aristas* Ug. cum reliquis.

74. *Semper olus metimus.* Olus sive holus, quasi ab ὅλος, est omnis herba sativa cujus vel caule vel foliis vescimur. Vid. Valla, Elegant. III, 9. De variis olerum generibus vid. Moretum, vers. 72, seqq. — *Nec bruma nec impedit æstas*, ut respondeat antagonistæ qui dixerat *per totum annum.*

75. Petron. Fragm. 1: *Ac totus tibi servit honor.*

77. *Sume* R. As. Goth. Bo. Dorv. a. b. c. O. *Sumo* Ug. F. 1. A. 2, seq. — *Sume* necessario legendum, non *sumo*, quod habent plerique. Sume, inquit, accipe calathos, quos tibi offero, *nutanti lacte coactos*, h. e. refertos et gravatos, quamvis æstu sitiens ager exsiccare herbas, et pabulo fraudare pecus videatur. — *Nutanti*, i. e. ita pingui et concreto ut semper labsabundum videatur. Igitur copias suas et liberalitatem jactat. Quale est illud Nostri, VI,

Vellera tunc dabimus, quum primum tempus apricum
Surget, et a tepidis fiet tonsura Kalendis.

ASTACUS.

Et nos, quos etiam prætorrida munerat æstas,
Mille renidenti dabimus tibi cortice Chias,
Castaneasque nuces totidem, quum sole Novembri
Maturis nucibus virides rumpentur echini.

IDAS.

Num, precor, informis videor tibi? num gravis annis?
Decipiorque miser, quoties mollissima tango

34: *Quamvis hunc Petale mea diligat, accipe victor.*

78. *Vellera*, lanam. Majora etiam promittit. — *Tempus apricum*, quod sole multo sudum, modico tamen æstu est. Tale tondendis ovibus aptum, auctore Varrone, II, 11, 6, est inter æquinoctium vernum et solstitium.

79. *Surget tonsura* R. Goth. Voss. — *Tepidæ Kalendæ* dicuntur, quæ tempus medium inter æstum et frigus afferunt, Apriles aut Maiæ, vel potius, quia gravi æstate hæc loquuntur pastores, v. 4, Septembres aut Octobres.

80. *Etiam* respondet Idæ sua æstiva dona jactanti. — *Munerat*, i. e. ditat, locupletat. *Munero* et *muneror* pariter agnoscit Priscian. lib. VIII.

81. *Renidenti* F. 1. V. A. 1. P. Martell. Vlit. *Renitenti* Goth. R. Asc. Ug. et rel. o. — *Chias*; ficorum genus præstantissimum ex insula Chio in Italiam translatum, laudat Varro de Re Rust. I, 14; Plin. XV, 18. Illæ sunt optimæ, si *renidentem*, lævem et splendentem corticem (corium appellat Plinius) habent ex maturitate.

82. *Castaneæ nuces* in deliciis pastorum. Virgil. Ecl. II, 52; Ovid. Metam. XIII, 819. Has promittit *sole*, mense, *Novembri*, ubi maxime maturescunt. — *Sole Decembri* Dorv. a.

83. *Echini*, cortices earum hirsuti (unde *castaneæ hirsutæ*, Virg. Ecl. VII, 53), ab aculateo animali et pisce marino dicti, quemadmodum *spinosior histrice barba* Ecl. VI, 13. — *Rumpentur*, laxabunt se jam aridi et sicci, v. Ecl. I, 23, et nuclei copiam facient. Vid. Plin. XV, 23, 1. — Similiter Ovidius in Nuce, v. 67: *At quum maturas fisso nova cortice rimas Nux agit.* Ed.

84. *Num, precor, informis videor tibi?* frequens hæc amantium querela: Ita Theocr. Cyclops, Εἰδυλλ. ια, v. 20: Αὐτὸς ἐγὼ δοκέω λασιώτερος ἦμες; nec non Corydon Virgil. Ecl. II, 25: *Nec sum adeo informis*, etc. Huc conf. lepidissimam Anacreontis odam, XI, de se ipso: Λέγουσιν αἱ γυναῖκες, Ἀνάκρεον, γέρων εἶ, etc. — Nec paucam ἐνεργίαν addit sermoni verbum *precor*; ita interrogat Idas ut negari velit. Ed.

85. *Decipior miser, o quot.* F. 1. V. Barth. *Decrepitusque miser* R. As. O. Goth. Voss.

Ora manu, primique sequor vestigia floris
Nescius, et gracili digitos lanugine fallo?

ASTACUS.

Fontibus in liquidis quoties me conspicor, ipse
Admiror toties; etenim sic flore juventæ
Induimus vultus, ut in arbore sæpe notavi
Cerea sub tenui lucere Cydonia lana.

IDAS.

Carmina poscit amor, nec fistula cedit amori;
Sed fugit ecce dies, revocatque crepuscula Vesper.
Hinc tu, Daphni, greges, illinc agat Alphesibœus.

86. *Sequor vestigia*, tangendo investigo erumpentem primum *florem*, h. e. primam barbam, quæ signum est ineuntis juventutis. Vid. Virgil. Æn. VIII, 160.—*Gracili digitos lanugine fallo*, h. e. gracilis adeo lanugo est, ut digitis eam tangens vix sentiam. Jactantiam formæ et juventutis h. l. expressit e Theocr. XX, 19; Cyclope Ovidii, Met. XIII; Corydone Virgil. Ecl. II. Conf. Nostri Ecl. IX, 74.

87. *Fragili* R. As. O. Gronov. Obs. IV, 22.

88. *Conspicor esse* R. A. 2, cum seq. F. 2 et Goth. Dorv. b. c. *Ipse* D. F. 1. V. A. 1. P. et Martell. ex MS.

90. *Induimur* volebat Nic. Heinsius. Sic Noster Ecl. IX, 77: *Quod vidi nulla tegimur lanugine malas*.

91. Pulchrius olitor *florem juventæ* suæ, primam barbam, comparat cum malis *Cydoniis*, ut Martial. X, 42, quæ *cerea* colore, ut *cerea pruna* apud Virgil. Ecl. II, 53, sub *tenui lana*, vel lanugine, *lucent*, læves, speciosæ sunt, ut *lucentes malæ* dicuntur a Nostro Ecl. XI, 45. Contra in epigr. Alcimi, Anthol. Burmann. tom. I, epigr. 211. Sunt *velleribus hirsuta Cydonia canis*. — *Sidonia* Pal.

92. *Sistit amori* R. Goth. Voss. *Carmina spernit amor nec fistula flectit amorem* O. — *Nec fistula cedit*, minus sufficit longo carmini, quo amores meos decantem; sed tempus non sufficit.

93. *Fugit ecce dies*, et ingruit vesper. Solennis pastorum παραοχιών, ut decentem cantui finem imponant. — *Revocat crepuscula Vesper*, quia idem Vesper et Lucifer, qui crepusculum matutinum induxit.—Dicitur enim *crepusculum* quasi *lux crepera*, id est, *dubia*, veteri vocabulo. Accius inter Vett. fragm. in Telepho, *in re crepera quid capias consilii vide*. Ed. — Conf. Horat. Carm. II, 9, 10.—*Revocat crepuscula* D. Ug. Dorv.

94. *Illinc vocat* R. As. *Vocet* Dorv. c. — Mercenariis suis mandat ut gregem compellant. Notio rustica, vespertinum tempus significans. Per figuram ζεῦγμα dixit *agat*, quæ constructio cum Alphesibœo tantum cohæret. Alphesibœus itidem nomen pastoris apud Maronem, Ecl. V, 73, et VIII. Ed.

ASTACUS.

Jam resonant frondes, jam cantibus obstrepit arbos,
I procul, o Dorida, primumque reclude canalem,
Et sine jam dudum sitientes irriget hortos.
Vix ea finierant, senior quum talia Thyrsis:
Este pares, et ob hoc concordes vivite; nam vos
Et decor et cantus, et amor sociavit, et ætas.

95. *Jam cratibus* R. Goth. Voss.— Ex alia re descriptionem vesperæ ingruentis petit, ut superiori respondeat, ex ventorum strepitu, quem Veteres cum solis ortu et occasu augeri credebant. Vid. Plin. II, 47.—*Cantibus obstrepit arbos*, ut Ecl. VIII, 30: *vento garrula pinus Obstrepit.*

96. Pro *Dorida*, *Doryla* a *Dorylas* scribendum putat Burm. quo nomine Centaurus occurrit apud Ovid. Metam. XII, 380, et alius v. 129; et apud Stat. Theb. III, 13; et *Dorila* exhibent Dorv. a. b. c. *Canale* Dorv. a. — *Reclude*, aperi, primum illum et maximum canalem, ex quo cæteri in hortum immittuntur rivuli, quoniam tempus irrigandi horti est. Horas rigandi esse matutinam et vesperam, docet Plin. XIX, 12, 60. Aliter Maro Ecl. III, v. ult. *Claudite jam rivos, pueri.*

98. *Finierat* R. Voss. Goth. — Formula usitata. Judicem inducit præmia, βραβεῖα distributurum. Ed.

99. TH. Præponunt V. et A. 1. *Ab hoc*, i. e. ab hinc R. et Voss. idque probat Vlitius, et recepit Burmannus; sed *ob hoc* alii omnes. — Neutrum victorem pronuntiat, sed utrumque collaudat et mutuo hortatur. Ita Theocrit. Εἰδυλλ. ϛ. v. 46, Νίκη μὰν οὐδ' ἄλλος, ἀνάσσατοι δ' ἐγένοντο. Vid. quoque Virg. Ecl. III, 108. Ed.

100. *Decor*, sc. forma; respicit id quod dixit v. 3, *formosus uterque*. Ed.

EXCURSUS I

AD CALPURNIUM, ECL. II, v. 31.

Jam levis obliqua crescit tibi fistula canna.

Obliqua et crescit plerique explicant de ordine cannarum in fistula compacta, ab infimis crescente ad summam, ut adeo Silvanus dixerit: Fistula obliqua, i. e. imparibus compacta cicutis tibi servatur apud me. Verum non hanc sententiam poetæ esse reor; hoc potius vult: Jam arundo levis et tenera crescit meo jussu, canna e radice vel stipite oblique fruticante, quæ tibi destinata tecum adolescet, et matura olim cantanti tibi fistulam suppeditabit. His significat, in fatis esse, ut Idas aliquando inter pastores cantando excellat, et magis hæc digna sunt oraculo Silvani, qui Deus silvarum et palustrium adeo arundinum potens est, quam si is modo fistulam cannis imparibus conjunctam Idæ promisisset. *Obliqua* cur dicatur canna, nemo interpretum animadvertit, sed docet Plinius, lib. XVI, c. 36, *Est et obliqua arundo, non in excelsitatem nascens, sed juxta terram fruticis modo se spargens.* Forsitan etiam exprimere voluit cannam *obliquæ fistulæ* aptam, quam a Mida inventam idem Plinius memorat, lib. VII, c. 56. Compares, licet, hoc cum loco, quod Suetonius in Galba, cap. 1, de ramo lauri refert, fataliter depacto in villa Cæsarum, unde adulto laureto Cæsares triumphaturi laurum petebant. Forte et respicitur ad morem veterem, quo pueris nascentibus depangere termitem arboris in solo natali solebant, ut ex hoc bene succrescente augurium caperent de futuris pueri fatis; cujus moris exemplum refert Donatus in Vita Virgilii. Vid. Bartholinus de Puerperio, p. 134.

EXCURSUS II

AD CALPURNIUM, ECL. II, v. 57-59.

...Huic soli, virides qua gemmeus undas
Fons agit, et tremulo percurrit lilia rivo,
Inter pampineas ponetur faginus ulmos.

Quod quædam exemplaria hic legunt, *huic similis*, id nonnulli defendunt interpretes, et relatum ad *faginus*, versu 59, indicare putant simulacrum Dei ex fago dolatum. Sed *soli*, quod meliores editiones habent, præferendum, ut versui 53 respondeat, et Idæ dicenti: *hunc solum regnare fatebor*. Et frustra se torquent eruditi annotatores in vocabulo *faginus* explicando. Non enim hic fagus Deo sacrata, quæ in horto vix locum habet, nec Deus, aut ejus simulacrum e fago intelligendum, sed e celebratissimo pastorum et agricolarum ritu faginus crater vel scyphus, quo oblato vel posito sacrum fieri Diis agrestibus solebat. Apud Theocritum, V, 53, Lacon Nymphis cratera magnum lactis et olei ponit:

Στασῶ δὲ κρητῆρα μέγαν λευκοῖο γάλακτος
Ταῖς νύμφαις· στασῶ δὲ καὶ ἁδέος ἄλλον ἐλαίω.

Similiter apud Virgil. V, 67, Menalcas Daphnidi consecrato:

Pocula bina novo spumantia lacte quotannis,
Craterasque duo statuam tibi pinguis olivi.

Hunc locum sine dubio respexit et imitatus est Calpurnius. Fagina vero pocula ita celebrantur inter pastores, ut facile hic Calpurnius faginum dicere potuerit sine adjecto nomine. Virgilius, Ecl. III, 36:

......................Pocula ponam
Fagina, cælatum divini opus Alcimedontis.

Erantque illa in antiquissimo, quem pastores retinent, cultu, *Faginus adstabat quum scyphus ante dapes.* Tibull. I, 10, 8. Ad quem locum plura testimonia congessit Broukhusius (1). Igitur faginum cratera Deo suo vult ponere Astacus olitor, hoc est, sacrum facere more pastorum et agricolarum. Sacro eo destinat regionem horti sui, qua fons gemmeus, i. e. pellucidus, tremulo rivo lilia, i. e. areas horti, liliis aliisque floribus consitas, percurrit, et quidem inter pampineas ulmos, h. e. inter ulmos vitibus maritatas, quæ sunt hortorum. Nam loca fere ea sacrari Diis solebant, quæ fonti vicina et umbrosa arboribus essent, quomodo sacrarium Fauni descripsit Noster Ecl. I, 9, seq. Egregie votum hoc Astaci olitoris illustrat tabella antiqua, quam Vinc. Chartarius in Imaginibus Deorum vulgavit, ex eoque repetiit Matth. Broverius *de Niedeck*, libello de populorum vet. et recent. adorationibus, p. 57. Quæ delubrum Deæ Pomonæ arboribus undique cinctum exhibet, in cujus limine homo agrestis genu nixus adorat, femina autem sacerdos Pomonæ, nisi potius uxor est agricolæ, frondibus caput cincta, dextra manu cratera, altera ejus operculum, vel aliud poculum gestans, accedit. En! sacrificium hortulani, quale et hic promittit Astacus. Juvat etiam huc referre gemmam a Gorlæo, Part. II, n. 8, prolatam, qua rusticus frugum pomorumque primitias in cornu Deo hortorum custodi offert; juxta magnus crater est in cippo positus.

(1) Et addatur locus Ovidii, Fast. V, 522: « Terra rubens crater, « pocula fagus erat ». Sen. Hercul. OEt. v. 652: « Pectora pauper secura « gerit: Tenet e patula pocula fago, Sed non trepida tenet illa manu ». En.

ECLOGA III.

EXORATIO.

ARGUMENTUM.

Iolas pastor, quum de juvenca, quam a grege suo deerrantem diu quæsiverat, Lycidam interrogat, invenit eum gravi dolore ob offensam a se Phyllida oppressum. Ille miratus tam inopinatum dissidium, Tityrum ad quærendam eo loco, quem Lycidas designat, juvencam dimittit, ut Lycidam jurgii sui caussas narraturum audiat. Quibus expositis suadet ei, ut carmine aliquo iratæ Phyllidis animum placare conetur. Se conciliatoris et internuntii partes acturum, et preces ejus perlaturum ad Phyllida. Reliqua igitur Ecloga Lycidas querelas suas et preces, quibus iratam Phyllida exoret, miserabili carmine effundit, unde et quibusdam in exemplaribus EXORATIO inscribitur. Actionis principium et occasio e Virgilii Melibœo, v. 6 sqq. expressa est; alia quædam e Pharmaceutria. Sed Theocritum a se lectum hac præcipue Ecloga ostendit Calpurnius : nam argumentum ipsum Eclogæ fere totum ex Idyllio III Theocriti petitum est, et quæ de jurgio et fuga Phyllidis narrat pastor, manifeste expressa sunt e Theocriti Idyllio XIV, ubi Cyniscam, perfidia ejus deprehensa, male mulctatam fugisse a se, et apud alium manere narrat Æschines. Quæ præterea Lycidas de laqueo sibi nectendo ab ilice, sub qua primum læsos amores suos senserat, deque caussa mortis eidem inscribenda, minatur, non tam similia Virgilianis, VIII, 59, quam Theocriteis sunt, Idyll. XXIII, ubi desperabundus in limine amasii sui se suspendit, sibique ante epitaphium scribit. *Merum rus, idque inficetum*, hanc Eclogam vocat Scaliger; sed paullo asperius judicat. Si qua enim agrestius ac durius hoc carmine dicuntur aut fiunt, sunt sane simplicitati pastoritiæ sic satis accommodata, et, nisi a Virgilii, certe a Theocriti imitatione profecta. Phyllida suam pastor cum

alio consuescentem verberibus mulctat, impotenti ira abreptus, v. 28: fur deprehensus in ovili suspenditur, v. 73. Ab ingratis hujusmodi rebus Virgilius quidem abstinuit, et si fures arguit, astutiores tantum fingit, qui minus deprehendi convincique possint, Ecl. III, 16 seq. At Theocriti exemplo facile se Calpurnius tuetur, apud quem pastores se non solum probris et criminationibus fœdis, sed verberibus etiam incessunt; vid. Idyll. V, 2, 4, 116, 119; XIV, 34. Cæterum in querimonia Lycidæ non exigua dulcedo est, in qua, si quid velis, hoc possis reprehendere, quod meditata nimis et elaborata videatur.

IOLAS*, LYCIDAS.

IOLAS.

Numquid in hac, Lycida, vidisti forte juvencam
Valle meam? solet illa tuis occurrere tauris,
Et jam pæne duas, dum quæritur, eximit horas;
Nec tamen apparet; duris ego perdita ruscis
Jamdudum et nullis dubitavi crura rubetis
Scindere, nec quidquam post tantum sanguinis egi.

LYCIDAS.

Non satis attendi: neque enim vacat: uror, Iola,
Uror, et immodice; Lycidan ingrata reliquit
Phyllis, amatque novum post tot mea munera Mopsum.

IOLAS.

Mobilior ventis o femina! sic tua Phyllis?

* IOLLAS R. D. As. Voss. Goth. Dorv. semper.

2. *Solet occurrere tauris.* Quærens marem, ut Virg. Ecl. VIII, 85.

3. *Eximit horas*, aufert, consumit. Livius, I, 50: *quia ea res exemisset illum diem.*

4. *Duris eho* (i. e. heu!) *perdita ruscis Jamdudum nullis*, etc. Virg. Ecl. VIII, 87: *viridi procumbit* (bucula) *in ulva Perdita.* Vlit. — Ego crura mea, quamvis jamdudum perdita ruscis, non dubitavi spinosis etiam rubetis, quæ perrumpenda erant quærenti, scindere.

5. *Et nullis* merito reposui e præstantissimis exemplaribus. — *Ruscus* vel *ruscum* virgultum breve, acutis foliis et pungentibus. Sic Serv. ad Virg. Ecl. VII, 42: oxymyrsine Græcis. Plin. XXIII, 9. Pari sententia Tibul. IV, 3: *latebras intrare ferarum, Candidaque hamatis crura notare rubis.* Imitatus est Theocr. Idyll. IV, 50. — *Nullis dubitavi crura rubetis.* Petron. cap. 136: *Non dubitavit crus meum ferrato vexare morsu.* Ed. — *Jamdudum nullis* R. P. Voss. Burm. Heinsius malebat *nullus.*

7. *Uror*, amore juxta ac zelotypia, idque supra modum; *uri* de stimulis invidiæ frequens.

8. *Immodice Lycidan ingrata:* ita Barth.

9. *Tot mea vulnera.* R. As. Op. Voss. Goth. Dorv.

10. Solennis inconstantiæ comparatio. Vid. Horat. Carm. I, 5, 6; Propert. II, 9, 31 seqq. Sic etiam

Quæ sibi, nam memini, si quando solus abesses,
Mella etiam sine te jurabat amara videri.

LYCIDAS.

Altius ista querar, si quando vacabis, Iola.
Has pete nunc salices, et lævas flecte sub ulmos.
Nam quum prata calent, illic requiescere noster
Taurus amat, gelidaque jacet spatiatus in umbra,
Et matutinas revocat palearibus herbas.

IOLAS.

Non equidem, Lycida, quamvis contemptus, abibo.
Tityre, quas dixit salices pete lævus, et illinc,
Si tamen invenies, deprensam verbere multo
Huc age; sed fractum referas hastile memento.

Prudent. Hamartig. v. 739: *At levis uxor Mobilitate animi torsit muliebre retrorsus Ingenium.* Ed.

12. Sine te nihil sibi dulce esse, jurabat. Conf. v. 51, seq. et IX, 44.

13. *Vocabis* V. et P. Barth. *Si quando vacabis* Ug. F. 1. V. A. 2, seq. As. Vlit. *Si forte vacabis* O. Dorv. a. b. c. Burm. *vacabit* R. Voss. Goth. — Caussas doloris mei altius repetam a principio, si vacabis; nunc te non morabor. Pete igitur has salices, etc. Viam demonstrat, et locum designat, ubi forte juvencam suam reperire possit.

14. *Levis*, i. e. læves, R. Voss. *Lævos* Dorv.

16. *Spatiosus* Dorv. a. et cod. Heins. et sic volebat Burm. *Satiatus* conjiciebat Heinsius.

17. *Matutinas herbas*, mane comesas, *revocat palearibus*, h. e. ruminat, quod facere boves saturi, ut plurimum jacentes, solent, auctore Plinio X, 74; conf. Virg. Ecl. VI, 53.—*Palearia*, propria boum, sunt pellis vel cartilago a collo bovis crurum tenus dependens. Vid. Virg. Georg. III, 53, exterius quidem ad eum locum pectoris, ubi rumen, seu pars ea colli est, qua fit ruminatio. Itaque non erat, cur tantopere reprehenderet hoc verbum Scaliger, si quidem Calpurnius eadem ratione palearia dicere pro collo vel rumine potuit, qua præcordia pro ipso corde dicimus. Plenius ruminationem descripsit Ovid. Am. III, 5, 17.

18. *Quamvis contemptus*, h. e. repudiatus et dimissus, quo sensu et *spernere* usurpavit Hor. A. P. 46: *Hoc amet, hoc spernat promissi carminis auctor.* Respicit hoc ad vers. 14, quo Lycidas eum abire jusserat. — *Contentus* D. Dorv. a. c. Pal. et sic conj. Vlit.

19. *Dixi* R. Goth. Dorv. c. *pete solus* Ug. A. 2, seq. Bo. F. 2. Vlit. Dorv. b. c. *pete lætus* F. 1, seq. O. Dorv. a. Goth. P. cod. Heins. *lævus* volunt Barth. et Burm. *solus pete solus* Vlit. nescio unde: nam *salices* omnes.

20. *Deprehensam*. Goth. F. 1. V. P.

21. *Fractum hastile*, baculum vel

Nunc age, dic, Lycida, quæ vos tam magna tulere
Jurgia? quis vestro Deus intervenit amori?

LYCIDAS.

Phyllide contentus, solus tu testis Iola es,
Callirhoen sprevi, quamvis cum dote rogaret.
En sibi cum Mopso calamos intexere cera
Incipit, et puero comitata sub ilice cantat.
Hoc ego quum vidi, fateor, sic intimus arsi,
Ut nihil ulterius tulerim; nam protinus ambas
Diduxi tunicas, et pectora nuda cecidi.
Alcippen irata petit, dixitque, relicto,

fustem, quem festinans alicunde defregerat, ut eo juvencam redigendam verberaret. A Græcis καλαυρόπα vocatum, monet Scheff. de Re Veh. lib. I, cap. 14. In monito, *fractum referas hastile* sedulam simplicitatem et leviusculæ rei curam observes, quam amant Bucolici suis pastoribus tribuere. Tale est Theocriti, IV, 50, de spina in calcaneo hærente, et Idyl. VIII, de saucio Daphnidis digito; et Virgilii, Ecl. IX, 24: *Occursare capro, cornu ferit ille, caveto.* Conf. Vavass. de lud. dict. c. 7, p. 112.

22. *Tulere*, abstulere et in diversa traxere.

23. *Jurgia* proprie sunt amantium; Terent. Eunuch. IV, 1; Ovid. Amor. II, 9: *modo blanditias dicat, modo jurgia nectat.* Ed.—*Quis vestrum Deus intervertit amorem* MS Tit. *Quis deus*, iratus vobis, *intervenit*, diremit amorem vestrum. Vid. Catull. Carm. XLI, 3; et Stat. Theb. XII, 402: *extremas sed quis Deus egit in iras.*

24. *Tu solus* R. As. Ug. et Heinsius malebat: *Phyllide contentus sola, tu testis Iola.*

25. *Calyricen* Ug. A. 2, seq. Bo. F. 2. *Calliroen* R. Voss. Goth. D. Notum hoc nomen. Vid. Ovid. Remed. Am. 456, et in Ibi 350. Burm. — Dotem obtulisse Virgines nupturas apud Antiquos notum. Virg. huc alludens Georg. I, 31: *Teque sibi generum Tethys emat omnibus undis.* Ed.

26. *En* indicat, rem inexspectatam et indignam accidisse. — *Cera* F. 1. V. A. 1; *ceræ* Ug. A. 2 sq. — *Cera intexere*, h. e. cera tamquam glutine jungere et connectere. Ed.

27. *Puero*, invidiose de rivali: hæc enim vox quandoque pro rudi vel etiam stulto accipitur. *Oppido puer et peregrinus es* Apulei. Metam. II; Catull. Carm. XVI: *Insulsissimus est homo, nec sapit, pueri instar*, etc. Ed.

28. *Protinus* Dorv. in margine.

29. *Alterius* D. — *Ut nihil ulterius*, ut extremam hanc injuriam reputans non amplius talia videre et pati potuerim. Horat. Carm. III, 14: *non ego hoc ferrem calidus juventa.*

30. *Deduxi* Ug. R. F. 1. *Deduxit* Pal. et Dorv. *Diduxi* D. P. *recidi* Voss. Goth. R. As. — *Deduxi*, quod principes editiones habent, malo, quam *Diduxi*, quod etiam huic loco

Improbe, te, Lycida, Mopsum tua Phyllis amabit.
Nunc penes Alcippen manet, ac ne forte vagetur,
Ah! vereor; nec tam nobis ego Phyllida reddi
Exopto, quam, quod Mopso jurgetur anhelo.

IOLAS.

A te cœperunt tua jurgia: tu prior illi
Victas tende manus; decet indulgere puellæ,
Vel quum prima nocet: si quid mandare juvabit,
Sedulus iratæ contingam nuntius aures.

LYCIDAS.

Jamdudum meditor, quo Phyllida carmine placem:
Forsitan audito poterit mitescere cantu:
Et solet illa meas ad sidera ferre Camenas.

IOLAS.

Dic age, nam cerasi tua cortice verba notabo,

vindicavit Burm. ad Ovid. Am. I, 7, 48, ubi et differentiam ejus a *diducere* ostendit. Similiter Ovid. Met. III, 480: *Dumque dolet, summa vestem deduxit ab ora, Nudaque marmoreis percussit pectora palmis.* — Idem Metam. VI, 404: *humeroque suas ad pectora postquam Deduxit vestes.* Ed. — *Ambas tunicas*, interiorem et exteriorem. Cæterum hoc expressum esse e Theocr. Id. XIV, 34, jam monui in argum.

33. *Movet* R. *negetur* Cod. Heins. — *Ne forte vagetur*, ne in alios atque alios amores transeat, vulgarium puellarum modo. Hinc *vagæ puellæ* Propertio, I, 5, 7: *vagus villicus*, Colum. XII, 1, adulter et libidinosus; γυνὴ περιδρόμος Theognidi versu 581.

34. Videatur Excursus ad calcem hujus Eclogæ.

35. *Jurgetur* R. Ug. A. 2, seq. F. 1. Bo. F. 2. P. Vlit. *jungetur* Goth. Dorv. V. A. 1. T. *jungetur, anhelo*, i. e. suspiro, quod Mopso jungetur. Barth. Heinsius volebat, *quam ne Mopso jungatur anhelo.*

37. *Vinctas* Ug. F. 1, seq. A. 2, seq. Bo. T. F. 2. *Junctas* Mod. *puellis* Barth. ex G. — *Tende manus*, more supplicantium, qui se victos fatentur. Vid. v. 71. Tibull. III, 4: *tu modo cum multa brachia tende prece.* — *Indulgere* est cedere, parcere, obsequentem se præbere. Martial. I, 105, 3: *Tigres indulgent patientiam flagello.* Confer. Nemesian. Cyneg. v. 192.

38. *Nocent* R. Ug. A. 2. Gr. Bo. G. T. Voss. Dorv. Pal.

39. *Iratas* malebat Heinsius. — *Contingam*, est accedere, appropinquare ad aliquid. Ovid. Trist. IV, x, 87: *Fama, parentales, si vos mea contigit, umbræ.* — *Sedulus*, fidelis, quasi *sine dolo*: fidus verborum minister. Ed.

43. *Ceras* R. Goth. Voss. — *Notato* Dorv. a. *mea cortice* cod. Heins.

Et decisa feram rutilanti carmina libro.

LYCIDAS.

Has tibi, Phylli, preces jam pallidus, hos tibi cantus
Dat Lycidas, quos nocte miser modulatur acerba,
Dum flet, et excusso dispergit lumina somno.
Non sic destricta macrescit turdus oliva,
Non lepus, extremas legulus quum sustulit uvas,
Ut Lycidas, domina sine Phyllide, tabidus erro.

— *Cerasi*, in cortice hujus arboris scripsisse Veteres, præter alia testimonia, liquet ex Nostri Ecl. VIII, 28. Ed.

44. *Decisa carmina*, h. e. corticem arbore decisum, qui carmina inscripta habet. — *Rutilanti* libro, quia liber, interior corticis pars, vel membrana, deciso cortice rubra apparet, in qua scribebatur. Male Kempherus in *libro* intelligit tabellas sive paginas e cerasi ligno factas. Elegantior ille tabellarum usus, Romanis quidem in re amatoria frequens, apud rudes incultosque pastores non quærendus.

45. *Jam pallidus*, mœrore et curis confectus. Vid. Ecl. IX, 41. — Cæterum pallor fere semper color amantium: signate Hor. Carm. III, 10, *et tinctus viola amantium*. Ed.

46. *Dat Lycidas* ita intelligo, ut epistolæ dicuntur dari. Mittit tibi hos cantus Lycidas, per Iolam reddendos. — *Modulatur amara* MS Tit.

47. *Excluso disperdit lumina somno*, cod. Heins. — *Dispergit lumina*, evigilans huc illuc conjicit oculos inquietus, et amicam suam quærit. Bene huc adduxit Burmannus locum Senecæ in Troad. vers. 475: *Mihi gelidus horror ac tremor somnum excussit*. Adumbrata sunt hæc e Virg. Ecl. VIII, 17, seq.

48. *Destructa* R. Ug. A. 2. Gr. Bo. F. 2. Dorv. b. c. Goth. Voss. *districta* F. 1. V. A. 1. P. T. et MS Tit. *marcescit* Dorv. a. b. — *Stringere*, *destringere* et *strictores* propria verba sunt de olivis, glandibus et aliis id genus baccis manu carpendis. Vid. Virg. Georg. I, 305; Cato, c. 64 et 144; Colum. XI, 2. — *Turdus* maxime olivis pascitur. Vid. quæ diximus ad carmina de aucupio. — *Macrescere* quoque Varro dixit, de R. R. III, 5, aves inclusas, adspectu ac desiderio aliarum.

49. *Leguli* dicuntur, qui uvas *extremas*, h. e. ultimas et post vindemiam relictas in racemis decerpunt et sublegunt. Vid. Ecl. V, 97. Horum opera designatur extremum vindemiæ, totiusque anni, tempus, quo omnis agrorum proventus collectus et sublatus est, et lepori adeo alimenta omnia deficiunt.

50. *Turbidus erro* Ug. A. 2, seq. Bo. F. 2. P. *talibus* Goth. — *Dominæ* appellatio vix apta videtur pastoribus et bucolico carmini, et Virgilius, nisi fallor, abstinuit. — Δεσποίνας καλοῦσι τὰς ἑταίρας οἱ ἐρῶντες. Achill. Tat. in Leucipp. — Quæ sequuntur, *Te sine*, etc. non solum ipse repetiit auctor Ecl. IX, 44; sed imitatus etiam videtur Ausonius, Epist. XXIV, 99: *Te sine sed nullus grata vice provenit annus*, etc.

Te sine, væ misero! mihi lilia nigra videntur;
Nec sapiunt fontes, et acescunt vina bibenti.
At si tu venias, et candida lilia fient,
Et sapient fontes, et dulcia vina bibentur.
Ille ego sum Lycidas, quo te cantante solebas
Dicere felicem, cui dulcia sæpe dedisti
Oscula, nec medios dubitasti rumpere cantus,
Atque inter calamos errantia labra petisti.
Ah dolor! et post hoc placuit tibi torrida Mopsi
Vox, et carmen inops, et acerbæ stridor avenæ?
Quem sequeris? quem, Phylli, fugis? formosior illo
Dicor, et hoc ipsum mihi tu narrare solebas.
Sum quoque divitior; certaverit ille tot hædos
Pascere, quot nostri numerantur vespere tauri?
Quid tibi, quæ nosti, referam? scis, optima Phylli,
Quam numerosa meis siccetur bucula mulctris,

51. *Vel misero* As. O. Dorv. c.

52. *Sapient* V. A. 1. *dulcia vina bibenti* hic et v. 54 habent R. Goth. Voss. Dorv. — Eadem fere et latius prosequitur Ecl. IX, 44: ubi hic ad verbum repetitur versus. Ed.

53. *Jam candida* Ug. A. 2, seq. Bo. F. 2. *fiant* Ug. — Respexit Virgilium, Ecl. VII, 59, seq. cum eoque Theocr. Idyll. VIII, 41.

55. *Tu cantante* R. As. Ug. A. 2, cum seq. Goth. Dorvil. et Heins.

58. *Errantia labra*, currente huc illuc spiritu per calamos, quibus compacta est fistula pastoralis, varios excitantia sonos. Hos etiam v. repetiit Ecl. IX, 37-38. Amplificavit hoc Claud. in Epithal. Pall. v. 36.

59. *Post hæc* D. et Kemph.—*Torrida vox*, sicca, rauca, stridula: amplius eam describit Ecl. VI, 23: contraria huic est *liquida*. Horat. Carm. I, 24, 3, et Noster IV, 150. Malim, h. l. cum Kemphero *post hæc*, ut Ecl. IX, 69, exstat; nempe post tanta, quæ commemoravi, amoris mutui documenta.

60. *Carmen inops*. Pauperis venæ *cantilena*, nullius artis ac veneris. Hor. A. P. 323: *versus inopes rerum, nugæque canoræ*. Ed. — *Et crebræ stridor* Dorv. a.

61. Vide etiam, quantum discrimen, quoad formam et divitias, sit inter me, quem fugis, et Mopsum, quem sequeris.

63. *Certaverat* R. As. Goth. Voss. O. — *Certaverit*, h. e. an contenderit ille et comparaverit se mecum, vel numero, vel magnitudine pecoris? Nos plures pascimus tauros, quam ille hædos habet.

64. *Numerantur vespere*, respicit ad morem pastorum, quo rediens vespere ad stabula pecus numeratur. Vid. Virg. Ecl. III, 34, et VI, 85.

Et quam multa suos suspendat ad ubera natos.
Sed mihi nec gracilis sine te fiscella salicto
Texitur, et nullo tremuere coagula lacte.
Quod si dura times etiam nunc verbera, Phylli,
Tradimus ecce manus; licet illæ et vimine torto,
Scilicet et lenta post tergum vite domentur,
Ut mala nocturni religavit brachia Mopsi
Tityrus, et medio furem suspendit ovili.
Accipe, ne dubita, meruit manus utraque pœnas.
His tamen, his isdem manibus tibi sæpe palumbes,
Sæpe etiam leporem, decepta matre, paventem

67. *Suspendit* R. As. Pal, Voss. Goth. *ab ubere* f. Vlit. *suas natas* Dorv.

68. *Gracili* Ug. A. 2. Gr. Bo. F. 2. — *Sine te*, h. e. quod sine te sum, languidus desiderio tui, ad necessaria etiam opera nauseo, et neque fiscellam aliquam recipiendo lacti, nec adeo caseum e coagulo conficere sustineo. — *Fiscella*, vas vimineum, per quod defluit serum, alias calathus. Quod pastores crebro dicuntur contexere propter necessarium ejus usum, Theocr. I, 52; Virg. Ecl. X, 71; Georg. I, 266; Tibull. II, 3, 19; et Noster, VIII, 1; IX, 33.

69. *Nulla tremuere coagula lactis* R. As. Ug. F. 1, seq. A. 2, seq. G. T. Bo. F. 2. Voss. Goth. Dorv. *nullo tremuere coagula lacte* primus Pith. quem sequuti sunt Vlit. et Burm. — *Nullo tremuere coagula lacte*, per hypallagen, pro *nullo coagulo tremuit lac*. — Videtur servanda lectio, omnibus antiquis exemplaribus firmata : *nulla tremuere coagula lacte*. Ultima in *nulla* longa est, propter cæsuram et sequentes duos consonantes. Ed.

71. *Tradimus manus*, solennis est formula cedentium, et alterius arbitrio se permittentium. Vid. Ovid. Am. I, 7, 1; Prop. IV, 2, 18; Hor. Epod. 17, 2. — *Illæ verbere* MS Tit.

72. *Quin licet*, Heins. *Si libet*, Burm.

73. *Vi mala* Ug. et V. — *Mala brachia*, nocentia, furacia, ut *mala manus*, Tib. III, 5, 20; *mala falx*, Virg. Ecl. III, 11, ipsique *fures mali* Horat. Sat. I, 1, 77. — *Nocturni*, qui noctu furtum fecit, ut *nocturni advocati* apud Petron. c. 15, et *se matutinus agebat*, Virg, Æn. VIII, 465. — Similiter Cicero ad Atticum XII, epist. 1 : *Noctuabundus ad me venit cum epistola tua tabellarius*. Ed.

75. *Aspice ne dubita* O.

76. *His inquam* Ug. D. F. 1. V. A. 2, seq. *iisdem* R. Heins. Voss. *his idem* Pal. *palumbos* R. Bo. O. As. Voss. Goth. — Quum pœnam se meruisse fassus est hactenus, nunc ad eam avertendam vel minuendam beneficia sua allegat; et sane mollis et blandus est ad ea transitus.

77. Palumbes et lepores inter

Misimus in gremium; per me tibi lilia prima
Contigerant, primæque rosæ; vixdum bene florem
Degustabat apis, tu cingebare coronis.
Aurea sed forsan mendax tibi munera jactat,
Qui metere occidua ferales nocte lupinos
Dicitur, et cocto pensare legumine panem:
Qui sibi tunc felix, tunc fortunatus habetur,
Vilia quum subigit manualibus hordea saxis.
Quod si turpis amor precibus, quod abominor, istis

delicias et munuscula amantium. Sigillatim de lepore testatur Mart. V, epigr. 29; et leporem a Phanio puella nutritum et fotum, et sepulcro honoratum narrat Meleager, ep. 120. Ed.—*Paventem*, non solum natura sua; sed etiam quod matrem amisit. Sequutus hic est Theocr. XI, 40, seq. Virg. Ecl. II, 40; Ovid. Met. XIII, 832.

78. *Misimus, in gremio per me* V. A. 1. G. probat Martell. et Vlit. *Misimus in gremio* R. Ug. F. 1. A. 2. Bo. F. 2. Goth. Voss. Pal. Dorv. et Heins. — *Prima*, quia rara et pretiosa. Hinc Mart. IV, 28, 4: *Rara juvant, primis sic major gratia pomis, Hibernæ pretium sic meruere rosæ.*

80. *Degustarat* malebat Heins. probat Burm.

81. *Aurea*, hic usurpatur de vana specie et ostentatione, ut ab Hor. Carm. I, 5, ad Pyrrham: *Qui nunc te fruitur credulus aurea.* Ed.

82. Furem esse Mopsum, et extremæ paupertatis hominem, insimulat, qui necesse habeat, legumina ex alieno agro furari, iisque pro pane vesci. — *Occidua*, h. e. summa nocte et ad finem vergente, ubi maximum silentium, et summa omnium quies.—*Ferales* vocat lupinos, quos Maro Georg. I, 75, *tristes*, quod in feralibus cœnis apponebantur mortuis, quas sæpe pauperrimi homines rapiebant. Vid. Catull. epigr. 60; Tibul. I, 5, 53. Alio pertinet, quod Columella scribit, II, 10, 12: *Silente luna fabam vellito, ante lucem.*

83. *Pinsare legumine panem* Ug. A. 2. Bo. F. 2. *pinsere* F. 1. V. A. 1. *pensare legumina pane* R. As. O. Voss. Goth. — *Pensare legumine panem*, h. e. legumine vesci pro pane; ut Ecl. IV, 141, *pensare palatia cælo;* est, habitare cælum pro palatio.

85. *Hordea sulcis*, h. l. vult Scaliger ad Manilium p. 375. — Duplex est in hoc versu exprobatio egestatis, quod ex hordeo sibi panem conficiat, et quod hoc ipse manuali saxo molat. Hordeum vilius frumentum Antiquis, pabulum jumentorum et egentissimorum hominum. Vid. Plin. XVIII, 7, 14. — *Manualia saxa* sunt molæ, quas Cato, c. 10, manuarias, Plinius XXXVI, 18, versatiles vocat, quod manu versabantur ab uno homine servo plerumque, et infimæ sortis. Utitur Simulus rusticus in Moreto. — *Subigere saxo* est subditum saxo conterere. Manil. V, 281, dicit *subdere fracturo silici frumenta.*

86. *Turpis amor*, scil. *lucri*, qui

Obstiterit, laqueum miseri nectemus ab illa
Ilice, quæ primum nostros violavit amores.
Hi tamen ante mala figentur in arbore versus:
« Credere, pastores, levibus nolite puellis :
« Phyllida Mopsus amat, Lycidas habet ultima rerum ».
Nunc age, si quidquam miseris succurris, Iola,
Perfer, et exora modulato Phyllida cantu.
Ipse procul stabo, vel acuta carice tectus,
Vel propius latitans vicina, ut sæpe, sub ara.

merito *turpis*. *Quod abominor*, aversantis formula. Ovid. de Pont. III, eleg. 1 : *Sic mea sors redimenda tua, quod abominor, esset*. Ed.

87. *Miseri innectemus* R. As. O. Voss. Goth. Dorv. c. *miser innectemus* Dorv. b. — Respicere videtur Theocritum, III, 9, ἀπάγξασθαί με ποιήσεις. Quod Virgilius quidem, Ecl. II, 7, reddidit *mori me denique coges*, sed Noster expressius *laqueo vitam finiam*. Quare valere hic locus potest ad controversam significationem verbi ἀπάγχεσθαι Matth. 27, 5, definiendam.

89. *Hic* Gr. et cod. Heins. *fingentur* Pal. *signentur in arbore* volebat Heins. — In carmine, quo caussam mortis suæ perscriptam vult Lycidas, morem sequitur aliorum infelicium ex antiquitate, ut Theocritei amantis, XXIII, 46; Ovid. Phyllidis, Her. II, 145; Didonis, Her. VII, ult. — In *mala arbore*, in illa infelici ilice, quæ amores suos violaverat, v. 27.

91. *Mopsus habet* conj. Tit. cum Vlit. et *Lycidan habet ultima rerum* sc. mors, Scriverius et Burm. et sic Dorv. a. *Lycidas obit ultima* placebat Heinsio. *Mopsum Phyllis amat* Mod. — Nihil hic muto, quamvis argutius quædam eloqui voluerint conjecturæ doctorum virorum. — *Habet ultima rerum*, h. e. extrema necessitate coactus occubuit. Fortasse allusum ad formulam, qua gladiatori, ubi letale vulnus acceperat, adversarius acclamabat : *hoc habet*. Vid. Turneb. Advers. XVII, c. 10.

93. *Præfer* R. et Goth. *Profer* O. *et ore tuo modulabor Phyllida* Ug. Bo. et Martell. ex vet. cod. — *Perfer* hoc carmen meum ad Phyllida, idque canendo modulare; fortasse audito eo Phyllis, ut olim solebat, delectata exorabitur.

94. *Carex acuta*, sicut et Virgil. Georg. III, 231, junci genus acuti et durissimi, simile sparto. Virg. Ecl. III, 20, *tu post carecta latebas*. — *Carectum* enim est locus carice abundans. Sed ad rem magis facit Salmacis apud Nasonem quæ amore capta puerum speculabatur, Met. IV, 339 : « Fruticumque recondita silva Delituit ». Priap. c. 88 : *Villulamque palustrem Tectam vimine junceo, caricisque maniplis*. Ed. — Non asparago, ut perperam in Lexicis sub Calepini nomine habetur. Græcis ὀξὺς est, juxta Plinium.

95. *Vicina sæpe sub* R. As. Ug. F. 1. Goth. *sub ora* D. *vicinæ sepibus aræ* legit Vlit. — *Ara* quoque

IOLAS.

Ibimus, et veniet, nisi me præsagia fallunt;
Nam bonus a dextro fecit mihi Tityrus omen,
Qui redit inventa non irritus, ecce, juvenca.

hoc loco est quilibet cespitis suggestus, vel agger, qui termini, mensæ, aut cujusvis monumenti loco esse poterat agrestibus, de qua notione vid. Scaliger ad Auson. Epist. II, 13, et Salmas. ad Tert. de Pall. p. 427. Sub hac ara *sæpe* latuerat Lycidas, fortasse Phyllidis observandæ caussa. Non igitur huc *sepes horti* arcessenda, ut corrigebat etiam Oudendorpius, referente Burm. ad Anthol. tom. I, p. 716.

96. IOL. deest in Ug. A. 2. O. *venies* R. Goth. Pal. Voss. Dorv. b. c. — *Præsagia. Præsagire*, inquit Pompeius, *est prædivinare, præsipere*. Notissima cæterum formula. Ovid. in peroratione Metam. « Si quid habent veri vatum præsagia ». Ed.

97. *A dextra* R. V. A. 1. O. P. Goth. *en dextrum* conjectat. Vlit. — *Bonus*, fidelis, sedulus, vel quod faustum Tityrus referret omen. E juvenca inventa omen capit rediturae ad se amicæ. An, quod juvenca et juvencus de bubus et hominibus dicitur? vide Horatium, Carm. II, 8, 21, et Damalis nomen amicæ est apud Horatium, Carm. I, 36? Certe in somnio Ovidii, Am. III, 5, 37, vacca significat puellam.

98. *Qui venit* R. As. Goth. Dorv. a. b. c. et cod. Heins.

EXCURSUS

AD CALPURNIUM, ECL. III, v. 34-35.

........nec tam nobis ego Phyllida reddi
Exopto, quam quod Mopso jurgetur anhelo.

Hunc locum, quia vulgata exemplarium scriptura facilem explicationem e consueta loquendi ratione non admittit, varie interpretari, immo corrigere et refingere conati sunt docti viri. Præcipua difficultas interpretandi oritur ab insolito usu τοῦ *quod*, cujus caussa Modius et Barthius *anhelo* pro verbo accipere, Heinsius id mutare in *ne jungatur*, Burmannus in *quo jurgetur*, maluerunt, alii aliam viam ingressi. Mihi non vacat, rationes omnes, quibus quisque interpretum suam sententiam firmet, aliamque convellat, recensere; sufficit, quid ipsi mihi optimum videatur, exponere. Itaque quum τὸ *quod* codices scripti et excusi ad unum omnes exhibeant, id nulla ratione convellendum arbitror. Quod si retinendum est, etiam *jurgetur* præferendum τῷ *jungetur*, quod quidam libri, forsan ex emendatione, dederunt: nam videtur omnino Lycidæ invidiæ et zelotypiæ consentaneum esse, ut quæ sibi cum Phyllide jurgia inciderint, v. 22, eadem rivali suo eveniant. Si *jungetur* non admittendum est, nec *anhelo* accipi pro verbo potest, quod metum, anxietatem aut dolorem notet, sed est tertius casus adjectivi nominis, quo Mopso, inviso sibi homini et rivali, convicium facit, non insolitum inter pastores, et conveniens aliis de eodem Mopso dictis, veluti infra v. 59: *torrida Mopsi Vox, et carmen inops, et acerbæ stridor avenæ*, et Ecl. VIII, 16: *Risisti calamos et dissona flamina Mopsi*. Etenim anhelus is est, cui nec spiritus sufficit inflandi fistulam, nec vox liquida ad canendum. Nihil

autem inepto cantore inter pastores magis ridiculum. Hæc igitur quum vera lectio Calpurnii esse appareat, reliquum est, ut τὸ *quod* inter nævos et sordes, quas poeta ab ævo suo traxit, et quales alibi jam notavimus in Nostro, numeremus, idque pro *ut* existimemus positum hac sententia: non tam illud exopto, ut ad me redeat Phyllis, quam, ut ne cum Mopso sit, et quam primum cum illo jurgetur. Vidit id dudum Vlitius, et Kempherus amplexus est: nam cum cadente latinitate frequens usus τοῦ *quod* invaluit, idque non solum, ubi infinitivus cum accusativo, sed adeo, ubi *ut* requirebatur, poni cœptum est. Hoc quidem maxime in scriptoribus sequioris ævi, iisque Christianis, observare est, sed etiam in antiquioribus, licet rarius, idem occurrit. Vexatus locus Ovidii, Trist. V, 1, 16, suspicione vitii non caruit:

> Præmoneo, nunquam scripta quod ista legat.

Quamquam eum a barbarie defendit Perizonius ad Sanctii Min. lib. III, c. 14, n. 19; certe insolens tamen et dura constructio inest, quæ, si in poeta elegantissimo toleratur, Nostro saltem excusationem pariat. Nam in hoc talia multo minus miranda sunt, cujus ætas a perpetua illa et recta dicendi forma cœpit deflectere. Jam Commodo imperante usum τοῦ *quod*, loco τοῦ *ut* posito, invaluisse, e quibusdam inscriptionibus Fabretti probat Cannegieterus, in Rescriptis Boxhornio pro Catone, cap. 21, p. 95: sed in scriptoribus deficientis latinitatis et barbariæ proximis hic usus multo magis increbuit. Dabimus ejus exemplum luculentissimum e Corippo Africano, qui lib. I, de Laud. Just. v. 240 seq. loquens de corpore Justiniani defuncti:

> Ipse videbatur cunctis plangentibus unus
> Effigie gaudere pia, diademate comptus,
> Purpureaque in veste jacens; requiescere somno
> Credere *quod* posses, non duro funere, corpus.

Conf. lib. II, v. 263. Contra sæpe *ut* positum est, ubi *quod* erat necessarium. Exempla in Avieni fabulis plura observavit Cannegieterus, isque adeo in Calpurnio nostro,

Ecl. VI, 6, *ut* pro *quod* esse dictum existimavit, ad Avien. fab. III, 12. Nec alia nunc exempla e fæcibus inferioris ætatis conquiremus, quæ largius congessit Funccius de decrep. sen. Ling. Lat. cap. XII, § 29. *Jurgetur Mopso* cum tertio casu positum est per græcismum, quem in eodem verbo admisit Ammianus Marcellinus, lib. XXVIII, 5, p. 586: *Burgundii salinarum finiumque caussa Alamannis sæpe jurgabant.*

ECLOGA IV.

CÆSAR.

ARGUMENTUM.

Non inepte hæc Ecloga a grammaticis CÆSAR inscripta est, quod in ea laudes Cæsaris, quem aliquoties nominat, a Corydone et Amynta decantantur, hortante et judicante Melibœo. Res agitur ad ripam fluminis, sub platano, v. 2, hora fere meridiana, v. extr. ubi Corydonem sedentem, altiusque cogitatione defixum, accedens Melibœus invenit. Huic de caussa tam altæ meditationis quærenti Corydon, gravius parare se carmen dicit, quo Deus, populos et urbem togatam gubernans, et felicitas horum temporum celebretur, idemque meditari Amyntam, fratrem suum, non procul inde sub pinu sedentem. Deinde magnis Melibœi erga se beneficiis commemoratis, quibus se ad carmina pangenda magis excitatum profitetur, rogat hunc ut carmen, quod meditatus sit de laudibus Cæsaris, benigne audiat. Promittit favorem suum Melibœus, et, Amynta etiam accedente, ut utrique alternis canant, hortatur. Ambo canentes videntur duorum Cæsarum laudes inter se partiri, quamquam tenuia et obscura indicia, quibus uterque cognoscatur, in ipso carmine sunt. Juvenem uterque appellat suum Cæsarem, v. 85 et 137, sed v. 87 laudari in altero eloquentiæ vel poetices studium videtur. Hæc satis conveniunt in Cæsares juvenes, Carinum et Numerianum, oratoria facultate insignes, quos Melibœus *magnæ numina Romæ* v. 10 vocat. Sed quem extremo carmine solus Corydon, Amynta nihil respondente, alloquitur, tamquam Jovem in his terris, v. 142, ipsum Carum Imperatorem esse arbitror, et propterea scriptam puto hanc Eclogam altero anno imperii Cariani, quo Carus absens et in Persis agebat, uterque vero filiorum jam Augusti honore fulgebat. Cæterum de hac Ecloga rectissime judicavit Scaliger, qui *immodicam* dixit, et ad pauciores versus reducendam putavit. Pulchrum esse et magni-

ficum carmen faterer, nisi a pastoribus recitaretur. Tantum scilicet a brevitate simplicitateque carminis bucolici recedit, tantumque a Tityro Virgilii, quem hic imitari poeta voluit, abest, ut nisi argumentum laudis plerumque a rusticatione et vita pastoritia sumeretur, putares, non pastores rure loquentes, sed rhetorem in schola declamantem audire. Immodica verbositate totum carmen laborat, et quæ excellenter dicta fuissent, si brevius, verborum affluentia diluta fiunt et exilia. Per multas ambages et inanes excusationes dubitationesque tum Corydonis, tum Melibœi, circumducta vix tandem se explicat oratio, et ad laudes Cæsaris decantandas defertur, in quibus ipsis et multum redundat. Lege sic a v. 50 ad 82. Felix et illustre ingenium etiam hoc carmine ostendit Calpurnius, sed declamatoria vanitate et aliis ævi sui vitiis corruptum.

MELIBŒUS, CORYDON, AMYNTAS*.

MELIBŒUS.

Quid tacitus, Corydon, vultuque subinde minaci,
Quidve sub hac platano, quam garrulus adstrepit humor,
Infesta statione sedes? juvat humida forsan
Ripa? levatque diem vicini spiritus amnis?

CORYDON.

Carmina jam dudum, non quæ nemorale resultent,
Volvimus, o Melibœe; sed hæc, quibus aurea possint
Sæcula cantari, quibus et Deus ipse canatur,
Qui populos Urbemque regit, pacemque togatam.

* In Voss. et R. *Interlocutores sunt Corydon et Melibœus, amici pastores.*

1. *Vultu subinde minaci*, vultu meditabundi, qui subinde cogitata aliqua et reperta promittere videtur. Horat. Sat. II, III, 9: *Atqui vultus erat multa et præclara minantis.*

2. *Qua* F. 2; *cui* O. *Obstrepit* A. 1. V. T.

3. *Insueta* conj. Heins. *Intecta* Vlit. — *Infesta statione*, h. e. pronus et imminens undæ præterfluenti sedes, qualis fere est habitus cogitantium: sicut infestus dicitur alteri, qui in eum conversus imminet et instat; arma, signa infesta. Eo habitu sedentem *juvat*, delectat, *humida ripa*, dum humidas rivi exhalationes excipit, et *levat diem*, æstum diei vel solis mitigat *spiritus*, aura gelidior, quæ sentiri ad *vicinum amnem* solet. — Sic Rutilius Itin. I, 105: *Frigidus æstivas hinc temperat halitus auras.* Ed.

5. *Nam dudum* R. Pal. Voss. Goth. — *Resultet* Goth. Supra Ecl. I, 29: *nihil armentale resultat.*

6. *Volumus* D. Goth. *Possunt* Goth. Dorv. Pal. Voss.

7. *Deus ipse*, Imperator Cæsar. Vid. Ecl. I, 46.

8. *Urbesque* R. F. 1. V. A. 1. O. P. Goth. Voss. *Urbemque* Ug. cum rel. *Urbemque regit, plebemque togatam* conj. Vlit. — *Togatam*, Romanam; pacis enim æquivoca est toga, proprium Romanorum vestimentum, quo domi tantum utebantur. *Togatus Romulus* apud Ausonium, et *gens togata* Virg. Æneid. I, 282. *Carmen togatum*, quo res Romanæ canuntur, Stat. Silv. II, 7, 53.

MELIBOEUS.

Dulce quidem resonas, nec te diversus Apollo
Despicit, o juvenis; sed magnæ numina Romæ
Non ita cantari debent, ut ovile Menalcæ.

CORYDON.

Quidquid id est, silvestre licet videatur acutis
Auribus, et nostro tantum memorabile pago;
Dum mea rusticitas, si non valet arte polita
Carminis, at certe valeat pietate probari.
Rupe sub hac eadem, quam proxima pinus obumbrat,
Hæc eadem nobis frater meditatur Amyntas,
Quem vicina meis natalibus admovet ætas.

9. *Diversus Apollo*, aversus et iratus, ut aversas Musas dicunt. Vid. Markl. ad Stat. Silv. V, 3, 12, ubi *verso Apolline* legendum.

10. *Respicit* R. D. P. Mod. *Despicit* Ug. F. 1, seq. Bo. et Barth. recte atque hoc prætulimus. *Munera* R. Ug. et G. *mœnia* Tit. *numina* P. Barth. Vlit. — *Despicit*, ut v. 72: *quam te non aspernetur Apollo*. Auctor Perv. Ven. in fine: *nec me Phœbus despicit*.

12. *Quidquid inest* Ug. et alii; *id est* D. R. P. et Mod. — *Silvestre*, ut v. 5 nemorale, et aliis locis armentale, pastorale, rusticum. — *Acutis auribus*, delicatis, teneris, ut *acutæ nares* Horat. Serm. I, 3, 29. Persio *uncæ nares*, Sat. I, 54; et sic *acutas manus* dat Cupidini Apul. lib. V Metam. Contrariæ *aures obesæ* v. 148. — Proprio sensu Noster Ecl. X, 32: *digitis aures adstringit acutas*. Ed.

15. *Valet a pietate* Barth. in Adv.

16. Melibœum hic præscribit R.

17. *Eadem nobis*, i. e. nobiscum; Græcismus. Sic *eadem sorori* Claud. Laud. Stil. II, 30. Ovid. Met. XIII, 50: *Et nunc ille eadem nobis juratus in arma*. — *Eadem* est ablativus, sed vox duarum syllabarum. Ed. Virgilius, Ecl. II, versu 35: *Hæc eadem ut sciret, quid non faciebat Amyntas*. — *Meditatur* F. 1. V. P. *Meditatus* reliqui.

18. *Vicina meis nat. adm. ætas*, omnes, quos vidi. *Æstas* G. *Quem vicena meis natalibus amovet æstas*; ut nondum vicesima venerit æstas; Barthius in Adv. Heinsius legebat *quem bis dena... æstas*. Burmannus mavult *vicena æstas*. Gronovius in omiss. ad diatr. Stat. p. 415 legit, *Quem vicina meis natalibus admonet æstas*. — *Quem vicina*. Vult eum fere æqualem sibi esse, et exprimit versum Virgilii, Æneid. IX, 275: *Te vero, mea quem spatiis propioribus ætas Insequitur*. Constans omnium codicum, eaque plana lectio, quam dedi, sine omni necessitate convellitur a viris doctis. Nam quod versu 21 dicitur, *fronte paterna*, id non Corydonis provectiorem ætatem, ut fratri patris loco esse possit, sed austeritatem patriam significat, ut Horatius, Carm. III, 12, 3, *patruam linguam* dixit.

MELIBŒUS.

Jam puerum calamos et odoræ vincula ceræ
Jungere nunc cohibes, levibus quem sæpe cicutis
Ludere conantem vetuisti fronte paterna.
Dicentem, Corydon, te non semel ista notavi:
Frange, puer, calamos, et inanes desere Musas,
Et potius glandes rubicundaque collige corna:
Duc ad mulctra greges, et lac venale per urbem
Non tacitus porta; quid enim tibi fistula reddet,
Quo tutere famem? certe mea carmina nemo,
Præter ab his scopulis ventosa remurmurat echo.

CORYDON.

Hæc ego, confiteor, dixi, Melibœe; sed olim:
Non eadem nobis sunt tempora, non Deus idem.
Spes magis arridet: certe ne fraga rubosque

19. *Calamos odoratæ* Voss.—*Odoræ*, i. e. mellis odorem servantis. Ed.

20. *Nunc cohibes* omnes, i. e. permittis. Glossæ: *cohibet*, κατέχει, ῥαθυμεῖ, pro connivet. *Nunc cogis* MS Tit. fortean: *non cohibes*. Vlit. Hunc sequitur Burm. idem præfert Dorv. a. — *Nunc cohibes*, h. e. non permittis, consentis. Vid. Excursus primus ad calcem istius Ecl.

22. *Non te semel* R. Dorv.

23. *Collige Musas* D.—Formulam hanc ab antiquioribus mutuatus est, Mart. IX, 74; Juven. VII, 27.

24. *I potius* Dorv. a. venuste. — *Corna* etiam rubicunda in Horatio Epist. I, 16, 8. *Victum infelicem, baccas, lapidosaque corna* dicit Virg. Æn. III, 649.

25. *Lac venale* fortasse idem quod *caseus venalis*, infra Ecl. V, 37, et Virgil. Ecl. I, 35.

26. *Non tacitus*, vociferans et proclamans vendibile: cujus moris exemplum refert Plin. XV, 19.

27. *Tueare* Vlit. *solere* Nic. Heins. *Quo tacere* Dorv. b. *tutare* Dorv. c. —*Tutere*, defendas, arceas, ut VI, 70, *sonitum tutabimur*. — Ita Claud. *Extremam defende famem*. Ed.

28. *Præter ab his* ita omnes. *Præterquam his* As. P. et Mod. — *Remurmurat*. Papin. Statius, Silv. V, 1, 153: *Silvarum gloria pinus Deficit, et nulli spoliata remurmurat auræ*. Ed. — Vid. Excursus secundus.

30. *Non eadem enim nunc* Barth. in Adv. Hor. Epist. I, 1, 4: *Non eadem est ætas, non mens*. — *Non Deus idem*. Sc. alius Imperator, studiis faventior.

31. *Rubi* pro baccis ruborum, vel moris. Ovid. Met. I, 105, *Cornaque et in duris nascentia mora rubetis*. Fraga, mora, corna colligere, pastorum antiquorum opus et victus. Hieronymus ad hæc Amosi proph. verba, c. 7: *armentarius sum, vellicans sycomoros*: « Videtur nobis rubos dicere, qui adfe-

Colligerem, viridique famem solarer hibisco,
Tu facis, et tua nos alit indulgentia farre.
Tu nostras miseratus opes, docilemque juventam,
Hiberna prohibes jejunia solvere fago.
Ecce nihil querulum per te, Meliboee, sonamus;
Per te secura saturi recubamus in umbra,
Et fruimur silvis Amaryllidos; ultima nuper
Litora terrarum, nisi tu, Meliboee, fuisses,
Ultima visuri, trucibusque obnoxia Mauris
Pascua Geryonis, liquidis ubi cursibus ingens
Dicitur occiduas impellere Bætis arenas.
Scilicet extremo nunc vilis in orbe jacerem,

runt mora, et pastorum famem et penuriam consolantur ».

32. *Hibiscus* ex herbis agrestibus esse dicitur. Apud Nostrum pabuli genus est, apud Virgil. virga et vimen, Ecl. II, 30; X, 71.

33. *Alit*, ad satietatem, et lautius: antea vix famem solabar.—*Farre*, ex quo panis optimus fit, non hordeo, ut supra III, 85. Vid. procem. nostrum de Calpurn. — Iis verbis significat annonam sibi præbitam esse Romæ. Ed.

34. *Tu nostri* G. *Tu nostri miseratus ope es* Barth. — *Nostras opes*, exiguas scilicet, et inopiam potius. —*Docilem juventam*, deditam bonis artibus, atque hoc magis dignam præsidio: infra v. 165 *meritam juventam* dicit. — *Fago*, ut supra rubos, dicit pro glandibus e fago concussa. Virg. Georg. I, 159: *Concussaque famem in silvis solabere quercu*.

35. *Jejunia pellere* R. D. As. O. Goth. Dorv. Voss. et MS Tit. *solvere* reliqui.

37. Respicit Virg. Ecl. I, 1 et 31.

38. *Amaryllidis* Ug. A. 2. F. 2. Gr. — Per Amaryllida Romam intelligit, cum veteribus Grammaticis, qui Virgilianam sic acceperunt. Silvas tamen ab ipsa urbe distinguit infra v. 161, et VIII, 83.

40. *Ultima* repetitum, affectum indicat. Intelligit Hispaniam Bæticam, cujus idem et orbis Romani extremus finis Gades habebatur et Erythia, insula feracissima, e qua Geryonis armenta ab Hercule abducta, poetæ fabulantur.—*Visurus* D. O. *Trucibus* R. O. Dorv. a. G. Voss. *trucibus quæ* Barth. in Adv. — *Obnoxia Mauris* ob vicinam Hispaniæ Mauritaniam.

41. *Pascua germani* R. As. D. Goth. Voss. Dorv. b. *Geryonis* Ug. A. 2, seq. P. *Gerionis* F. 1, seq. Heinsius malebat *Geryonæ*, quem vid. ad Ovid. Epist. VIII, 9. Hunc sequutus est Burm.

42. *Dicitur*, aptum pastori, qui remota et longinqua per se ignorat. — *Occiduas arenas*, maris Hesperii vel Atlantici. — *Bætis*, Hispaniæ fluvius. — *Impellere Bactrus* R. As. D. Goth. Dorv. c. Pal. Voss. *Bethys* V. A. 1. T. *Betys* A. 2, seq. P.

43. *Vilis jacerem*, contemptus et miser viverem. Ovid. Pont. I, 3,

Ah dolor! et pecudes inter conductus Iberas,
Irrita septena modularer sibila canna:
Nec quisquam nostras inter dumeta Camenas
Respiceret: non ipse daret mihi forsitan aurem
Ipse Deus vacuam, longeque sonantia vota
Scilicet extremo non exaudiret in orbe.
Sed, nisi forte tuas melior sonus avocat aures,
Et nostris aliena magis tibi carmina rident,
Vis hodierna tua subigatur pagina lima?
Nam tibi non solum venturos noscere nimbos
Agricolis, qualemque ferat sol aureus ortum,
Attribuere Dei; sed dulcia carmina sæpe

49: *Orbis in extremi jaceo desertus arenis.*

45. *Sibila* de rudi et ingrato carmine. Vid. Ecl. X, 10.

48. *Ipse Deus,* Cæsar. Vid. supra Ecl. I, 46.

49. *Non exaudiret* omnes. *Nunc exaudiret,* quod Burm. nescio unde, recepit, εἰρωνικῶς accipiendum.

50. *Melior sonus,* pulchrius et gravius carmen. — *Advocet* Ug. F. 1, seq. A. 2, seq. Dorv. b. *advocat* As. O. Goth. Dorv. a. *avocat* R. Voss. *avocet* P. Frut. Mod. et Barthius. — *Advocat* plures libri habent; *avocat* aptius est: ambo ea sæpius permutari a librariis, notant Drakenb. ad Silium, X, 86; Brunemann. ad Lactantium, lib. II, c. 3 §. 11, et Burmann. ad Anthol. Lat. tomo I, p. 491. Sic Suetonius in Nerone, c. 33: *Ac ne quid circa hæc occupatum avocaret, detineretve.* Ed.—Hor. Epist. I, 2, 5: *nisi quid te detinet, audi.*

51. *Rident,* pro arrident, ut Virg. Ecl. IV, 62, *cui non risere parentes;* et Lucr. I, 8: *tibi rident æquora ponti.*

52. *Vis aliena* Ug. Bo. *hodierna* F. 1.V. P. — *Hodierna pagina*, quæ hodie abs me recitabitur, ut *nocturnus* Mopsus dicebatur Ecl. III, 73. — *Limam* dicit ipsius aurem, namque Veteres recitationem convocatis amicis pro recensione habebant, ut ex Seneca Patre Suasor. et Plinii Epist. omnibus notum. Ed. — *Subigatur,* emendetur, ut terra *subigendo*, fodiendo, arando mollior et melior redditur. Tale est Petronii c. 4, *verba stylo atroci effodere.*

53. Sententia est: nam tu non solum naturæ scientia, sed et carminum variorum facultate polles.

54. *Agricolis* omnes. *Agricolæ* quod unus Dorv. habet, recepit Burm. — *Agricolis* omnes libri præferunt, idque manifeste referunt ad *venturos:* Tibi, inquit, Dei attribuerunt *noscere* et prædicere *nimbos venturos*, observandos, agricolis. — *Ortum* intelligo tempestatum: neque enim solum ortum solis, sed et occasum observabant agricolæ. Vid. Virgil. Georg. I, 438 seq.

Concinis, et modo te Baccheis Musa corymbis
Munerat, et lauro modo pulcher obumbrat Apollo.
Quod si tu faveas trepido mihi, forsitan illos
Experiar calamos, here quos mihi doctus Iolas
Donavit, dixitque: Truces hæc fistula tauros
Conciliat, nostroque sonat dulcissima Fauno.
Tityrus hanc habuit, cecinit qui primus in istis
Montibus Hyblæa modulabile carmen avena.

MELIBŒUS.

Magna petis, Corydon, si Tityrus esse laboras;
Ille fuit vates sacer, et qui posset avena
Præsonuisse chelyn, blande cui sæpe canenti

56. *Concinis et medio plus pulcher obumbrat*, R. Goth. Voss. Pal. — *Corymbus* est fructus vel uva hederæ. Hæc Baccho sacra, et laurus Apollini, poetarum, sed diversorum, insignia. Unde hic variorum carminum facultas indicatur: tragica præsertim poesis *Baccheis corymbis*. Quod optime convenit in Junium Tiberianum, quem Melibœi nomine significari probavimus in proœm. nam hic fabulam *Prometheum* scripsit, teste Fulgentio.

58. *Quod tu si* Rom. O. Voss. Goth.

59. *Et heri quos* Dorv. b. c. *heri quos doctus* R. Voss. Pal. *heri quos mihi* G. O. *here quos electus Iolas* Pal. — Donata ab Iola sibi fistula significat, se viri cujusdam hortatu excitatum esse ad carmina scribenda, et Virgilium in Bucolicis imitandum; per Iolam fortasse doctum grammaticum aut poetam intelligit. Ipso autem hoc commento imitatur Virgilium, Ecl. II, 36, et VI, 67 seq.

60. *Truces hæc*. Est commendatio muneris, vim et dulcedinem carminis bucolici exprimens, alluditque ad fabulam Orphei. Cæterum erat inter artes pastorum veterum armenta sono fistulæ mulcere et regere. Vid. Virgil. Ecl. II, 23; Longus Pastoral. lib. I, p. 24.

62. *Tityrus*, h. e. Virgilius, quem Ecl. I, in persona Tityri cecinisse, ipsi Veteres crediderunt, Martial. VIII, 58; Sidon. Apoll. præf. ad paneg. Majorian.

63. *Hyblæa avena* est Sicula, quam *pastoris Siculi* dicit Virg. Ecl. X, 51. Intelligit carmen bucolicum a Theocrito acceptum.

65. *Vates sacer*, Diis inprimis carus. Ovid. Am. III, 9, 41: *At sacri vates et Divum cura vocamur.*

66. *Personuisse chelyn* omnes. *Chelym* Vlitius. *Præsonuisse* Dorv. a. Barth. ex G. et Nic. Heins. qui et conj. *blandæ cui*, quod est in D. Utrumque probavit Burm.; ego vero relinquo *blande*. Ed. — *Præsonuisse chelyn* est vincere sono. Mart. VIII, 3, 2: *Dum tua multorum vincat avena tubas.* Habent quidem omnes *Personuisse;* sed hoc nullius sensus, et e compendio scripturæ librariis usitato ortum est.

Allusere feræ, cui substitit advena quercus,
Quem modo cantantem rutilo spargebat acantho
Nais, et implicitos comebat pectine crines.

CORYDON.

Est, fateor, Melibœe, Deus; sed nec mihi Phœbus
Forsitan abnuerit, tu tantum commodus audi;
Scimus enim, quam te non aspernetur Apollo.

MELIBŒUS.

Incipe, nam faveo; sed prospice, ne tibi forte
Tinnula tam fragili respiret fistula buxo,
Quam resonare solet, si quando laudat Alexin.
Hos potius calamos, magis hos sectare canales,
Per me qui dignas cecinerunt consule silvas.

68. Nymphæ, Tytiri cantu delectatæ, caput cantantis et floribus spargunt, et pectine comunt, quod est genus honoris habendi rusticum simul et puellare, cum lascivia conjunctum, quæ Nymphis tribui solet. Vid. Virg. Ecl. VI, 21, et conf. Ecl. II, 14.

69. *Implicitas comebat pectine comas* R. Goth. Voss. Pal. mendose.

70. *Et fateor* R. Voss. Goth. *Sed nunc... annuerit* R. Goth. Voss. Dorv. et cit. Mod. *sed non* O. *sed si mihi* A. 2. Gr. F. 2. *sed nec* D. F. 1 et rel. — *Est* ille, quem vatem sacrum appellasti, plane divinus et excellens. Cicer. de Orat. I, 23: *Te in dicendo semper putavi Deum.*

72. *Dicimus en quia te* R. Goth. Voss. *Scimus enim quia te* R. Ug. F. 1. A. 2, seq. Bo. F. 2, et Mod. Dorv. b. c. *Non spernatur* F. 1. A. 1. O. *quam te non aspernetur* V. P. et Barth. ex G. et T.

73. *Respice* Dorv. *perspice* in not. Guidal. — *Sed prospice.* Si Maronem vis imitari, cave, ne hoc tempore humile vel amatorium carmen, quale est ejus Alexis, usurpes, sed grandius, quo Cæsar possit laudari.

74. *Tinnula fistula*, cujus exilis sonus est. — *Respiret*, strideat, quasi gemitum ciens angusto pectore. — *Fragili buxo*, quia tenui, ut fractam vocem dicimus.

75. *Quæ resonare* Ug. A. 2, seq. Bo. F. 2. Dorv. *Qua* R. Voss. As. Goth. *Quo* Pal. *Alexis* R. Ug. A. 2, seq. Goth.

76. *Hoc potius calamos, magis hoc* Ug. A. 2, seq.

77. *Per me* Ug. A. 2, seq. O. P. Vlit. *Pro me* R. F. 1, et Barth. ex G. Pal. Dorv. Voss. Goth. et ed. Tit. *Pro re qui dignas* conj. Burm. vid. infra Ecl. V, 11. *Et preme qui dignas* Dorv. a. Virgil. Ecl. IV: *silvæ sint consule dignæ.* — Alludit ad Virgil. Ecl. IV, 3, adeoque argumentum carminis illi simile poscit. — *Per me* et *Pro me* fere parem auctoritatem a codicibus habent. Ego præferam *Per me*, h. e. meo hortatu et patrocinio, ut respiciat ad Eclogam I Calpurnii, laudibus Cæsarum dicatam, quæ a Melibæo tra-

Incipe, ne dubita: venit en et frater Amyntas;
Cantibus iste tuis alterno succinet ore.
Dicite, ne mora sit, vicibusque reducite carmen;
Tuque prior, Corydon, tu proximus ibis, Amynta.

CORYDON.

Ab Jove principium, si quis canit æthera, sumat,
Si quis Atlantiaci molitur pondus Olympi:
At mihi, qui nostras præsenti numine terras
Perpetuamque regit juvenili robore pacem,
Lætus, et Augusto felix arrideat ore.

AMYNTAS.

Me quoque facundo comitatus Apolline Cæsar
Respiciat, montes neu dedignetur adire,

dita et commendata Cæsari est, et sub ipso ejus Consulatu scripta. — *Pro me* esset meo loco, ut infra Ecl. V, 11: *Jam pro me gnavam potes exercere juventam;* qui sensus huic loco vix convenit. Ed.

78. *Nec dubita* Ug. A. 2, seq. Bo. F. 2. *En quoque frater* O.

79. *Succinat* R. O. Voss. Goth. *succinit* Ug. A. 2, seq. *serviat* D.

80. *Ducite* Barth. *nec mora sit*, Ug. A. 2, seq. Dorv. — *Reducite carmen*, alternis incipite, ut partes canendi semper ad alterum redeant. *Ducite* et *reducite* vult Barthius; sed hoc argutius est. Ovid. Met. V, 335: *Ne dubita, vestrumque mihi refer ordine carmen.*

81. *Amyntas* omnes. Burm. dedit *Amynta*. — Virg. Ecl. III: *Incipe, Dameta, tu deinde sequere, Menalca.*

82. *Ab Jove.* Sumpsit a Virg. Ecl. III, 60, et hic a Theocrito Idyll. XVII, 1, et Arato, qui in principio Phænom. Ἐκ Διὸς ἀρχώμεσθα.

83. *Atlantiacum* Barth. *Pondus molitur* Dorv. a. b. c. — *Atlantiacum cælum* vocat cæli sidera descripta, quod Atlantis fuit celebris astrorum scientia, e qua orta est fabula portati ab eo cæli.

84. *At qui nunc* Ug. A. 2, seq. *At nunc qui* R. Dorv. Goth. Pal. Voss. O. As. — *Præsenti numine*, ut Horat. Carm. III, 5, 2.

85. *Regit pacem*, ut supra v. 8. — *Juvenili robore* indicat, Carinum hic respici, non Carum. — *Vivendi robore* R. Voss. Goth. *Robore partem* Pal.

86. *Lætus in Augusto* F. 1. V. A. 1.

87. *Te quoque* R. Ug. A. 2, seq. Pal. Goth. Dorv. *Me* F. 1, seq. P. et Mod. — *Comitatus Apolline.* Sumpsit a Pap. Statio, Silv. V, 1, 14: *Modo dexter Apollo, Quique venit juncto mihi semper Apolline, Cæsar Annuat.* Ut hic Domitiani studium poetices respexit, sic Noster Numeriani.

88. *Montes*, silvas et rura pastorum, humilesque casas, *neu dedignetur adire*, ad humilitatem eorum se submittere, eosque benigne audire. Vid. Virgil. Ecl. V, 8, et quæ nos ad Ecl. II, 17.

Quos et Phœbus amat, quos Juppiter ipse tuetur:
In quibus Augustos visuraque sæpe triumphos
Laurus fructificat, vicinaque nascitur arbos.

CORYDON.

Ipse polos etiam qui temperat igne geluque,
Juppiter ipse parens, cui tu jam proximus ipse,
Cæsar, abes, posito paullisper fulmine sæpe
Cressia rura petit, viridique reclinis in antro
Carmina Dictæis audit Curetica silvis.

AMYNTAS.

Adspicis, ut virides, audito Cæsare, silvæ
Conticeant? memini, quamvis urgente procella,
Sic nemus immotis subito requiescere ramis,

90. *Visurus sæpe* R. As. Pal. Goth. O. *visuris* Ug. O. A. 2, seq. Bo. Dorv. c. *visuri* F. 2; *visuræ* B. *visuràque* F. 1, et rel.

91. *Fructiferat* R. Goth. Pal. Dorv. b. *Vicinaque* omnes. *Divinaque* vel *et civica* pro quercu conj. Barth. *Unitaque* vel *vicinaque* de palma conjuge; idem in Advers. *vitisequa* pro hedera E. Swarth. *Erycinaque*, i. e. myrtus conj. Vlit. — *Vicina arbor*, quercus Jovi sacra, ut laurus Apollini. Vid. Excursus tertius.

92. *Quo temperat.* Ug. A. 2. Gr. Bo. F. 2.

93. *Quoi tu* R. Voss. Goth. *quo* Ug. A. 2. F. 2; *cui* Mod. F. 1, seq. O. P.

94. *Habes* R. Goth. *abis* al. omnes; *abes* posuit Vlit. *Cui tu jam proximus ipsi Cæsar agis* conj. Heins. *Cæsar ades* Burm. *Proximus esse Cæsar aves* conj. Dorv. *Flumine* A. 2, seq. et Goth. mendose. — *Posito fulmine.* Sepositis gravioribus curis Jupiter subinde Cretam petit, ubi natus est, ibique carminibus Curetum audiendis se oblectat.

95. *Reclusus* R. Goth. Pal. Voss. *reclivus* Ug. A. 2, seq. F. 2. *reclivis* F. 1, seq. O. P. *reclinis* Barth. et Burm.

96. *Currentia* R. Pal. Voss. Goth. *Curetica* D. F. 1, seq. O. P. — *Curetica carmina. Curetes* videntur antiquissimi Cretæ et Dictæi montis agrestes fuisse, quorum mos erat saltare et æra concrepare in numerum. Hic ritus deinde in sacris Jovis servatus est, quod Curetes olim nati Jovis vagitum strepitu occultasse ferebantur. Vid. Lucret. II, 633, seq. Lactant. Inst. I, 21, 40. Quando Jupiter dicitur Cretam petiisse, sacra ejus annua notantur: nam sacris suis adesse Dii credebantur. Pari fere sententia, ac Calpurnius, de sacris Jovis Catullus, Epithal. Pel. et Thet. ad fin. *Sæpe pater Divum*, etc.

98. *Conticeant*, vento subito quiescente, ut Plinius ait Epist. II, 17: *ibi omnes silent venti.* Solent poetæ in adventu et præsentia Deorum religiosum totius naturæ silentium, ut reverentiæ signum, pingere. Mul-

Et dixi: Deus hinc, certe Deus expulit Euros,
Nec mora, Pharsaliæ solverunt sibila cannæ.

CORYDON.

Adspicis, ut teneros subitus vigor excitet agnos?
Utque superfuso magis ubera lacte graventur?
Et nuper tonsis exundent vellera fetis?
Hoc ego jam, memini, semel hac in valle notavi,
Et, venisse Palem, pecoris dixisse magistros.

AMYNTAS.

Scilicet omnis eum tellus, gens omnis adorat,
Diligiturque Deis: quem sic taciturna verentur
Arbuta, cujus iners audito nomine tellus

tus est in hac re Spanhem. ad Callim. Apoll. 13, Pallad. 102, et de Præst. num. diss. V. — Confer. similis locus Tibulli, IV, 1, 124 seqq. Ed.

100. Simul atque subito silere silvas animadverti, auguratus sum, certe adesse Deum aliquem. Nam tempestas paullatim remittens, naturæ, subito autem compressa, Dei opus videtur.—*Dixi*, *dicam*, de eo, quod mente conceptum, cogitatum est, solenne Nostro nec inelegans est. Conf. v. 106, et Ecl. II, 54.

101. *Nec mora*, etc. Vid. Excursus quartus. — *Pharsaliæ*, h. e. Pharsales, R. Goth. Voss. ita et Nic. Heins. et recte, quod secunda in *Pharsaliæ* semper producitur a Lucano. *Pharsaliæ* omnes rel. *Sonuerunt* Ug. A. 2, seq. F. 2; *solverunt* rel. ita et Mod. et Tit. ex MS.

103. *Superfuso*, redundante, exuberante, ut sponte effluat. — Lactant. Inst. div. IV, 17, 19: *Animantes quædam lactis copia exuberant.* Ed.

104. *Exsudent* R. Ug. A. 2, seq. F. 2. Goth. Pal. Voss. *exundent* D. F. 1, seq. O. P. *exundent ubera* R. As. O. Pal. Goth.— *Exsudent* nonnulli, non inepte: siquidem oves, quum sudare inceperunt, tondendas præcipit Varro, lib. II, 2. At hic non de tonsura sermo, sed *nuper tonsis exundant vellera*, h. e. lana nova copiose succrescit. — Pro *fetis*, ed. Rob. Tit. *setis* inepte. — *Fetis*, h. e. matribus. Similiter de ortu Bacchi Avienus in Descript. orb. terr. v. 1123: *Villosum subitis tumuit pecus incrementis.*

106. *Palen* R. Goth. *Pateras dixisse* D. *Magistris* D. As. — Præsentiam Deorum Veteres ex abundantia suarum rerum subito orta divinabant. Jove et Mercurio hospitio exceptis Philemon et Baucis *sponte sua per seque vident succrescere vina.* Ovid. Met. VIII, 682. Plutarchus in fine libri, cur Pythia, etc. memorat, Bœotos aliquando adventum Dei ex incredibili abundantia lactis intellexisse.

108. *Diligiturque Deis.* Claud. III Cons. Hor. *O dilecte Deo.*—*Taciturna*, ventis non agitata, ut paullo ante *audito Cæsare silvæ Conticeant.* Ed.

Incaluit, floremque dedit; cui silva vocato
Densat odore comas, stupefacta regerminat arbos.

CORYDON.

Illius ut primum senserunt numina terræ,
Cœpit et uberior, sulcis fallentibus olim,
Luxuriare seges, tandemque legumina plenis
Vix resonant siliquis: nec præfocata malignum
Messis habet lolium, nec inertibus albet avenis.

AMYNTAS.

Jam neque damnatos metuit jactare ligones
Fossor, et invento, si fors dedit, utitur auro.
Nec timet, ut nuper, dum jugera versat arator,
Ne sonet offenso contraria vomere massa;

110. *Quoi* R. Voss. Goth. *cui* Ug. A. 2, seq. *qui silva* F. 1, seq. *quo* P. Vlit. *Novato* D. As. O.—*Incaluit*, calorem concepit ad generandum; *tellus*, quæ natura sua *iners*, frigida erat.

111. *Densat honore* D. *odora* conjicit Vlit. — Heinsius vel *odora* vel *honora* volebat. In *odore* et *honore* sæpe variant scripturæ codicum. Sic in loco Persii Sat. VI, 35, *urnæ ossa inodora dabit*, scholiastes legit *inhonora*. Ed.—*Densat odore comas*, h. e. densis ubique frondibus subito enascentibus majorem odorem spargit. *Odora* gratius esset, si codices haberent, et *frondis odoræ* occurrit Ecl. VIII, 64. Daventriensis scriptura: *novato densat honore comas*, a correctione esse videtur, etsi valde placet. — *Stupefacta arbos*, est jam arida et exsucca. — *Stupefactaque germinat* As. D. O. Dorv.

113. *Succis fallentibus* As. Ug. F. 1. A. 2, seq. Bo. F. 2. Dorv. Voss. *sulcis* V. P. Vlit. Goth. — *Sulcis fallentibus olim*, h. e. spei agricolæ non respondentibus. *Spes sulcis credit aratis Semina*, Tibul. II, 6, 21. *Spem mentita seges*, Hor. Epist. I, VII, 87.

115. *Vix resonant siliquis*, quia grandia et densa sunt. Genera leguminum *silvam sonantem* vocat Virgil. Georg. I, 76. — *Perforata* Dorv. *prævocata*. V.

116. Expressit Virgil. Georg. I, 152: *Infelix lolium et steriles dominantur avenæ.*

117. *Dentatos metuit* As. — *Damnatos ligones* accipio pro infelicibus, laboriosis, ut *invisam fossori terram* dicit Horat. Carm. III, XVIII, 15. Claudiano, Bell. Get. 43, *damnati fato populi*, et Idyll. de Nilo, 17, *loca solis damnata vapore*. Virgil. Georg. II, 355: *duros jactare bidentes*.—Apposite Plinius, lib. XVIII, 3: *At nunc eadem rura vincti pedes, damnatæ manus, inscripti cultus exercent.* Ed. — De cætero vid. Excursus quintus.

119. *Verset* Ug. A. 2, seq.

120. *Ne sonet.* Ne invento auro

Jamque palam presso magis ac magis instat aratro.

CORYDON.

Ille dat, ut primas Cereri dare cultor aristas
Possit, et intacto Bromium perfundere vino,
Ut nudus ruptas saliat calcator in uvas,
Ut quoque turba bono plaudat saginata magistro,
Qui facit egregios ad pervia compita ludos.

AMYNTAS.

Ille meis pacem dat montibus : ecce per illum
Seu cantare juvat, seu ter pede læta ferire

invidiam, calumnias, insidias aliorum experiatur. *Massam* de auri et argenti pondere quasi proprie dici, pulchre ostendit Burmannus. — *Contraria massa* est obvia et obstans vomeri.

121. *Prenso* Heins. in ora codicis. *Jam pallam presso* Pal. *Arator* V. F. 1.

122. COR. deest usque ad v. 133, in Ug. A. 2. Gr. Bo. F. 2. — Religiones etiam hoc Imperatore salvas esse, pastorali more ostendit, nominatis quibusdam agrestium sacris, primitiis Cereri et Baccho rite datis, vindemiæ et compitalitiis feriis.

123. *Intacto*, nondum delibato, cujus nihil defusum est. — *Intacta apotheca*, unde nihil promptum, Horat. Serm. II, 5, 7. — *Perfundere* de libatione capiendum. A Tibullo ob eamdem rationem *lacte madens Pan* dicitur lib. II, 5, 27. Ed.

124. *Psallat* R. As. *psalat* Dorv. a. *psallat calcator ad uvas* conj. Vlit. Heinsius tentabat *ruptas calcet vindemitor uvas*, quod nimis longe abit. Burm. — *Psallat*, quod priores codices habent, non alienum quidem ab hoc loco est, et defenditur a Gronovio, diatr. in Stat. p. 416; quod tamen plurium meliorumque exemplarium auctoritate destituitur, ab ingenio librarii potius, quam ipsius Calpurnii manu esse videtur, qui *saliat* haurire e Virgilii Georg. II, 384, potuit. Fortasse monacho librario inter scribendum occurrebat locus Jerem. 48, 33, aut alius similis sacrorum libr. *calcator uvæ solitum celeusma cantabit.* Igitur et hic putabat legendum *psallat calcator in uvas*.

125. *Saginata* R. As. Bo. A. 2, seq. F. 1, seq. Voss. Pal. Dorv. *saturata* aut *satiata* legit Demster. ad Rosin. I, cap. 11. Heinsius tentabat *Sicana* vel *pagana*, vel *sic grata*, alii *sagmata*. Dederunt *signata* posteriores edit. T. P. Vlit. *Utque bono plaudat paganida turba magistro* Dorv. a. quæ lectio ferri potest, si *paganica* legatur. Vid. Vlit. ad Nemes. Cyneg. 166. — Vid. Excursus sextus.

127. *Motibus* MS Tit. male. — *Montibus*, regionibus pastorum. Vid. huj. Ecl. vers. 63 et 88.

128. *Lenta* R. F. 1, seq. MS Tit. Goth. Pal. Voss. et Barth. ex G. et T. — *Ter pede læta ferire.* De saltatione hæc verba intelligenda, ex oppositione apparet. Difficile dictu est, *gramina* hic legendum sit, an

Carmina; non nullas licet hic cantare choreas,
Et cantus viridante licet mihi condere libro,
Turbida nec calamos exsurdant classica nostros.

CORYDON.

Numine Cæsareo securior ipse Lyceus
Pan recolit silvas, et amœna Faunus in umbra
Securus recubat, placidoque in fonte lavatur
Nais, et humanum non calcatura cruorem
Per juga siccato velox pede currit Oreas.

AMYNTAS.

Dii, precor, hunc juvenem, quem vos, nisi fallor, ab ipso
Æthere misistis, post longa reducite vitæ
Tempora, vel potius mortale resolvite pensum,

carmina. Si *gramina*, sola saltatio significatur et firmatur ab Horat. Carm. III, 18, 15: si *carmina*, saltatio cum cantu conjuncta, ubi cantum percussione pedum metimur, quale est sequens *cantare choreas;* licet de solo carmine dicat Hor. Sat. I, x, 43, *pede ter percusso*. Distinctius Virgil. Æn. VI, 643: *Pars pedibus plaudunt choreas, et carmina dicunt.*

129. *Gramina* As. A. 2. Gr. P. et Mod. *Carmina* D. F. 1. V. A. 1. O. *Non nullas*, i. e. *nullas non* leg. Bart. *Non ullas* F. 1. V. A. 1. *Licet et* R. As. A. 2, seq. B. F. 2. *et* deest in Ug. F. 1. V.

130. *Condere libro*, carmina scribere. Vid. Ecl. III, 44.

131. *Exsurgant* D. *exsurdant* Ug. N. A. 2, seq. *exundant* Dorv. *jam surdat* Dorv. a.

132. *Lycæo* Barth. ex G. *Lyæo* R. Ug. F. 1, seq. A. 2, seq. T. Voss. Goth. *Lycæas* Nic. Heins.—Pulchra sane quietis et securitatis descriptio, per Deorum agrestium, in sua cujusque re, delicias, carmini bucolico hoc magis apta, quod Dii rustici familiarius versari inter pastores et facilius conspici, quam alii, dicuntur.

134. *Levatur* D. non male, nam balneo membra defatigantur. Ed.

136. *Siccata* D. — *Siccato;* vid. ad Eclogam II, versu 14, *Adfuerunt sicco Dryades pede.*

137. *Hunc Juvenem*, accipio Carinum, qui tum Italiam Galliasque regebat, ut v. 142, ipsum Carum Imp. qui tum bello aberat adversus Persas. Respexisse videtur Virgilium, Georg. I, 500: *Hunc saltem everso juvenem succurrere sæclo Ne prohibete Dei.* — *Non fallor* As. *neque fallet* Dorv. a.

138. *Reducite* ex Horat. Carm. I, 2, 45: *Serus in cœlum redeas.* Similiter alii.

139. *Mortale resolvite pensum*, h. est, vitam immutate, ut e mortali fiat æternus. Sic contra de Chirone in mortalem mutando usus est Ovid. Met. II, 653: *Teque ex æterno patientem numina mortis Efficient, triplicesque Deæ tua fila resolvent.*

Et date perpetuo cælestia fila metallo:
Sit Deus, et nolit pensare palatia cælo.

CORYDON.

Tu quoque, mutata seu Juppiter ipse figura,
Cæsar, ades, seu quis superum sub imagine falsa
Mortalique lates: vivas atque hunc, precor, orbem,
Hos, precor, æternus populos rege; sit tibi cæli
Vilis amor, cœptamque, pater, ne desere terram.

MELIBOEUS.

Rustica credebam nemorales carmina vobis
Concessisse Deos, et obesis auribus apta;
Verum, quæ imparibus modo concinuistis avenis,
Tam liquidum, tam dulce canunt, ut non ego malim,

140. *Purpureo* Dorv. c. — *Metallo* de auro accipias, sed *perpetuum* est perpetuo filo ductum, nunquam interruptum. — Conf. Senec. in Ludo de morte Claudii: *Mutatur vilis pretioso lana metallo: Aurea formoso descendunt sæcula filo.* Ed.

141. Vid. Ecl. III, 83; Lucan. I, 46: *prælati regia cæli.*

142. Horat. I, Od. II, v. 41: *sive mutata juvenem figura,* etc. unde et reliqua petita. Vlit.

144. *Vivas et hunc* R. F. 1. A. 1. Voss. Goth. *et tunc* As. O. *lates: etenim hunc deprecor* Ug. A. 2. Gr. Bo. F. 2; *vivas atque et hunc* V. T. *Æternum hunc, te precor* D. et Mod. *vivas, atque hunc* P.

145. *Æternos* Ug. F. 1, seq. A. 2, seq. et Dorv. *æternus* R. D. O. P. Mod. et Mart. Stat. Theb. I, *quem Æternam sibi Roma capit.*

146. *Cœptam curam* conj. Vlit. Heinsius emendarat *spretamque.* Guidalottus testatur *captam* legi in al. cod. et hoc præfert D. et probat Burm. Gudius legebat *cœptamque pati.* Calpurn. Ecl. VIII, 81: *cœptum tibi jam ne desere carmen;* sed *desere pacem* Dorv. a. — *Terram,* quod male mutat Vlitius, requirit *cæli* præcedens oppositio. *Cœptam terram,* pro cœpto imperio terræ; asserit huic loco Heinsius ad Ovid. Art. I, 234. Horat. Carm. I, II, 50: *Hic ames dici pater atque Princeps.*

147. *Nobis* D. O. — *Nemorales Deos,* agrestes qui lucos habitant, cujus generis sunt Faunus, Pan, Sylvanus, Satyri, Pomona. Ed.

148. *Obesis,* pinguibus minus acutis. *Auris Batava* Martial. VI, 82, 6. Respondet autem ei, quod Corydon initio dixerat, v. 12: *Quidquid id est, silvestre licet,* etc.

149. *Quam paribus* R. *Quæ paribus* conj. Vlit. et sic O. Goth. Pal. Voss. *Quæ imparibus* Ug. F. 1, seq. A. 2, seq.

150. *Cadunt* conj. Burm. — *Canunt,* post *concinuistis,* hic merito offendit: *sonant* præter Modium duæ habent vetustæ edd. D. et Asc. idque requirere videtur responsio Corydonis, quæ huc respicit, v. 153; nolui tamen inferre in textum.

Quod Peligna solent examina, lambere nectar.

CORYDON.

O mihi quam tenero decurrunt carmina versu!
Tum, Melibœe, sonent, si quando in montibus istis
Dicar habere larem, si quando nostra videre
Pascua contigerit; vellit nam sæpius aurem
Invida paupertas, et dixit, ovilia cura.
At tu, si qua modo non aspernanda putabis,
Fer, Melibœe, Deo mea carmina; nam tibi fas est
Saçra Palatini penetralia visere Phœbi:

151. *Legunt examina* D. O. Mod. *Pelvina sonant* R. Dorv. b. *Fovent* volebat Heins. — Hic Theocritum tantum non transtulit, Idyll. VIII, 83: Κρέσσον μελπομένω τεῦ ἀκουέμεν, ἢ μέλι λείχειν. Sic etiam Plautus, Cas. II, 8, 21: *Mel mihi videor lingere.*

152. *Quæ tenero* O. et Dorv. *Olim quæ tereti decurrent* Dorv. a. *Quam, tenero quæ currunt* Barth. ex G. — Vid. Excurs. septimus, p. 479 et sq.

153. *Tunc* R. O. Goth. Dorv. a. *Sonent*, i. e. sonabunt, Mod. *sonant*, R. Goth. Dorv.

154. *Dicat* Rom. A. 1. Goth. — *Si quando* domum et propria pascua habere contigerit. Supra enim dixit Corydon, vers. 31 et 44, se hactenus ob paupertatem aliena vivere quadra coactum fuisse. Solent autem poetæ bucolici, Theocritus æque ac Virgilius, pastores alios, dominos gregis, inducere, alios servos, qui pascant, et servitute tenuiorem fortunam hominis, libertate lautiorem exprimunt. Conf. Virgilii Ecl. I, 33.

156. *Dicit* D. O. et B. ex G. *Vilia rura* Ug. A. 2, seq. F. 2. *vilia cura* D. F. 1. V. A. 1. O. P. *ovilia* Heinsius emendaverat, et Burmannus vidit. — *Ovilia* hic legendum esse, quum vers. 25 et 162 declarat, tum manifesta imitatio Virgilii, Ecl. VI, 3: *Cynthius aurem Vellit, et admonuit: Pastorem, Tityre, pingues Pascere oportet oves.*

157. *Et tu si qua tamen* R. As. Voss. Pal. Goth. *At tu si qua tamen* O. Dorv. b. *si qua mihi* Dorv. c. *si qua modo* Ug. F. 1, seq. A. 2, seq. T. F. 2. B. P. Huic versui R. et Voss. præscribunt personam Amyntæ, usque ad v. 164, ubi Melibœum iidem, et præterea D. et P. habent, continuantque ad finem.

158. Horat. II, 6, 52: *O bone, nam te Scire, Deos quoniam propius contingis, oportet.* — *Fer, Melibœe, Deo mea carmina.* Similiter Martialis Parthenium, cubicularium Domitiani rogat, ut carmina sua Cæsari tradat, Epigramm. V, 6, et XII, 11: *Parthenio dic, Musa, tuo nostroque salutem... Tradat ut ipse Duci carmina nostra, roga.* Ed.

159. De Cæsare, quasi de Apolline, loquitur, qui carmina poetæ in bibliothecam sibi dicatam recipiat. Horat. Epist. I, 3, 17: *Scripta Palatinus quæcumque recepit Apollo.* Domus Cæsarum in Palatio contigua templo Apollinis. Ad Magistri

Tu mihi talis eris, qualis qui dulce sonantem
Tityron e silvis dominam deduxit in urbem,
Ostenditque Deos, et spreto, dixit, ovili,
Tityre, rura prius, sed post cantabimus arma.

AMYNTAS.

Respiciat nostros utinam Fortuna labores
Pulchrior, et meritæ faveat Deus ipse juventæ!
Nos tamen interea tenerum mactabimus hædum,
Et pariter subitæ peragemus fercula cœnæ.

MELIBOEUS.

Nunc ad flumen oves deducite: jam fremit æstas,
Jam sol contractas pedibus magis admovet umbras.

Officiorum munus hic respici, monuimus in Proœmio.

160. *Tum mihi* Ug. A. 2. Gr. Bo. F. 2.

161. Hic Mæcenatem intelligit qui Virgilio ad Cæs. Aug. amicitiam aditum fecit. Ed. — *A silvis* Dorv. Calp. Ecl. VIII, *dominam perducat ad urbem*. — *Dominam urbem* Romam appellat, ut alii, Horat. Carm. IV, 14, 44; Mart. III, 1, 5, et Noster rursus Ecl. VIII, 83.

162. *Deis* Heinsius, non male. — *Ostenditque Deos*, h. e. favore et præsidio Cæsaris oblato ad majora canenda excitavit. Spectasse hic videtur, quæ Martialis de Marone dicit, VIII, 56, 9, sqq.

164. Hic adhuc Corydon loquitur in Ug. In aliis ut et in Vlit. Melibœi persona præfigitur. — Apud Virgil. Ecl. I, 28, *libertas respicit*, quæ hic fortuna est. Et proprie Fortuna Respiciens dicitur.

165. *Mente faveat* R. Goth. pro *faveat* habet *fuerat* August.

166. *In terra* D. sed quæ hanc in cæteris exprimit N. recte *interea*. — *Interea*, dum Melibœus mea carmina fert Deo, *hædum mactabimus;* subitam paraturi cœnam, quam nos et Melibœus una sumamus. Exitum Eclogæ I Virgilii, v. 80, ut plura ejusdem, hic imitatur.

168. *Æstus* conj. Vlit. *Jam premit æstas* Heins. — *Æstas*, quæ ardentior est meridie. — *Fremit* sumptum a feris, quæ ira et rabie excanduerunt; hinc de Leone, signo cælesti æstivo Claud. Stil. II, 460: *Non torvo fremat igne Leo*.

169. *Admonet* Ug. — Rustica meridiei denotatio, qualis apud Ovid. Met. III, 50 et 144.

EXCURSUS I

AD CALPURNIUM, ECL. IV, v. 19, 20.

Jam puerum calamos et odoræ vincula ceræ
Jungere nunc cohibes.

OMNES libri hoc loco præferunt *nunc cohibes.* Id vero verbum a scriptoribus sequioris latinitatis sensu connivendi et permittendi usurpari, ostenderunt Salmasius ad Lampridii Alex. Severum, c. 54, et Cangius in Glossar. med. et inf. Lat. voce *conhibere.* Igitur hoc minus dubitavi vulgatam codicum scripturam hoc in loco Calpurnii servare, quod in rarioribus vocabulis minor metus est vitii a librario commissi, et *jam nunc* etiam sæpe conjungi solet, ut a Nemesiano, v. 3, et 191, ab ipsoque Calpurnio, Ecl. VI, 12. Antiquiores quidem scriptores fere contrario significatu *cohibere* dicunt, veluti Horat. Carm. I, 1, *si neque tibias Euterpe cohibet*, i. e. retinet, vel denegat; sed tamen aliis verbis ab *habere* derivatis id jam antiquitus accidit, ut a quibusdam medio ambiguoque sensu adhiberentur. Unde sequiore ætate facile fieri potuit, ut τὸ *cohibere* subinde in sensum contrarium permittendi abiret. *Inhibere*, quod usitatius coercere vel retinere vocat, contrario sensu ponere solet Livius, ut *inhibere imperium*, *damnum*, *supplicium*, pro adhibere vel infligere, lib. III, 38; IV, 53. *Prohibere* Lactantius, Epit. Instit. c. 64, 6, ad duo commata refert duplici diversoque sensu : *Non solum corrumpere alienum matrimonium prohibemur,..... verum etiam prostitutis corporibus abstinere.* In *cohibere* sequiore ætate alienam significationem confirmabat ejus permixtio cum verbo *conniveo*, a corrupta ejusdem pronuntiatione profecta : nam quum *connivere* pronuntiarent, et scriberent *conhibere*, vel *cohibere*, hinc connivendi vel indulgendi significatio cum verbo *cohibere* com-

municata est. Usus igitur hujus verbi, eo quidem, quem retulimus, sensu, pertinet ad nævos deterioris latinitatis, qui Calpurnio ex ævo suo adhæserunt. Quippe eodem sensu id verbum apud Aurel. Victorem et Martianum Capellam occurrere, Cangius l. c. adductis eorum locis demonstravit (1). Equidem putabam aliquando, Calpurnium fortasse meliore verbo usum sic scripsisse : *Jam puerum calamos..... Jungere connives*, quod quum pro corrupta recentioris ævi pronuntiatione scriptum esset *conhibes*, alius librarius, qui versui deesse syllabam putaret, addebat *nunc*, quod redundat. Sed quia incerta hæc conjectura est, satius putavi inhærere scripturæ, quæ tot codicibus confirmatur. Cæterum, quod eodem versu sequitur, *levibus cicutis*, h. e. tibia simplici, *ludere*, ab eo, quod præcesserat, *calamos cera jungere*, ita distingui a poeta existimo, ut illo levia carmina et rudimenta poeseos, hoc graviora intelligantur : levia, inquit, carmina olim eum ludere vetuisti, nunc graviora adeo permittis exsequi. Mirum hoc sane.

(1) In Caroli Magni de impio imaginum cultu, lib. I, pag. 11 extr., *cohibentia sacerdotum* dicitur pro *conniventia*, quod recentior Heumanni editio isti pristino vocabulo, sed perperam, ut opinor, substituit. Hoc quidem juvat Rob. Stephani Thes. ling. Lat. ad vocem *cohibentia*, ubi Gloss. Lat. Gr. ῥαθυμία· sed ad vocabulum *conniventia* allegatur lex I de Fundibus et saltibus rei dominicæ, lib. II, C, quæ Heumanni opinionem confirmare videtur : « Quod si venalis procuratorum *conniventia*, ut id deinceps tentetur, admiserit, eos gravissimo jubemus supplicio subjacere ». Ed.

EXCURSUS II

AD CALPURNIUM, ECL. IV, v. 28.

................Certe mea carmina nemo,
Præter ab his scopulis ventosa remurmurat echo.

Paullo curatius hic locus exponendus est, quem in pulcherrimis et elegantissimis Calpurnii numero. *Præter* aperte positum, ut alibi sæpe fit, pro *nisi* vel *præterquam*. Hinc vitiosa quorumdam exemplarium lectio, *Præterquam his*, sine dubio a correctione librariorum orta est, qui illum usum τοῦ *præter* ignorarent. *Ventosa* dicitur echo, quod vento vel aura fertur, et aere sono vocis percusso et resultante efficitur. Hinc pulchre Ausonius Echo *aeris et linguæ filiam* dixit, Epigr. XI, 3. Simul hoc respicitur, quod echo res vana, inanis et evanescens est, sicut eam Ovidius in ipsa fabula Met. lib. III, describit. *Ab his scopulis* dicitur remurmurare, quia quibus scopulis vento illisa vox est, ab his resultat. Quomodo descripsit Virg. Georg. IV, 49:

......................ubi concava pulsu
Saxa sonant, vocisque offensa resultat imago.

Præcipue attendendum est ad *remurmurat*, hoc est, vicem vocis reddit. Eo verbo ita utitur Calpurnius, ac si velit *remunerat* dicere. *Nemo*, inquit, *carmina mea* remunerat, præterquam Echo, quæ nihil aliud quam *remurmurat*, h. e. verba verbis, sonum sono, reddit, præterea nihil. Neque enim carminibus meis quidquam, præter inanes sonos laudum, plausus et acclamationes publicas, reporto (1). Quas

(1) Quemadmodum de recitationibus Saleii Bassi, optimi poetæ, refert auctor Dialog. de Orat. cap. 9: « Non aut amicitiam inde refert, aut « clientelam, aut mansurum in animo cujusquam beneficium, sed cla- « morem vagum, et voces inanes, et gaudium volucre ». Ed.

quoniam sæpe echo refert, vid. Horat. Carm. I. 20, 6, hinc ipsius etiam imagine optime laudes et applausus exprimuntur, ad quam similia favoris publici vocabula expressa sunt, ut si *aura popularis*, et, quidquid est populare, *ventosum* dicitur. Cic. Phil. XI, 7; Hor. Epist. I, 19, 37. Pulchra igitur et acuta sententia hujus versus est, non minus tamen apta bucolico carmini. Non decebat pastorem, qui fere solus in silvis et inter scopulos canit, de favore populi loqui; at decebat, echo suorum carminum mercedem dicere. Quæ quidem canenti pastori delectabilis est, at in se ventosa, vana, sine re et corpore, atque hinc infrugifera, ut ipsi, a quibus redditur, scopuli.

EXCURSUS III

AD CALPURNIUM, ECL. IV, v. 90, 91.

> In quibus augustos visuraque sæpe triumphos
> Laurus fructificat, vicinaque nascitur arbor.

De *vicina* arbore tanta est sententiarum varietas et pugna, ut locus hic interpretum opera vexatus magis, quam illustratus videatur. Barthius præcipue, qui in commentario ad Calpurn. et in Advers. XII, 10, hunc locum tractat, ultra modum hic fluctuat, et, quamvis pluribus interpretationibus prolatis, in nulla pedem figere audet. Hærere tandem in ea sententia videtur, quæ *vicinam arborem* respicere ad quercum Palatinam, sive coronam quernam domus Palatinæ Cæsarum, putat; atque ante jam Rob. Titio, notis ad Calp., placuit, mihique, si quid judico, verissima videtur. Scilicet hic singularis Cæsarum honos erat, Augusto olim Senatus decreto delatus, teste Dione Cassio, lib. LIII, ut ante ædes Cæsareas in Palatio lauri positæ, et super eas co-

rona querna in fastigio domus, apposita inscriptione *ob Cives servatos*, suspensa esset. Crebram hujus coronæ mentionem injiciunt Romani scriptores, præsertim Ovidius, Valer. Maximus, Seneca, Martialis, Suetonius, ita quidem ut sæpe simpliciter quercum nominent, unaque conjunctas ei lauros ante fores domus. Plures eorum locos excussit, et de querna illa corona accurate egit Gisb. Cuperus, in Explic. gemmæ Aug. ad Apoth. Hom. p. 215. Unum tantum hic locum ponamus Ovidii, qui Metam. lib. I, 562, sic de lauro:

> Postibus augustis eadem fidissima custos
> Ante fores stabis, mediamque tuebere quercum.

Quum plures ejusmodi loci occurrant, præsertim apud Ovid. Fast. IV, 953, et Trist. III, 1, 39, ubi quercus lauro conjuncta in Palatio memoratur, ad eos Calpurnius, eruditus poeta, qui multam ubique lectionem Veterum ostendit, haud dubie respexit, et *vicinam* lauro arborem quercum dixit, quam Ovidius *mediam* inter lauros. Hac ratione interpretatus hic locus bene respondet præcedenti versui: *Quos et Phœbus amat, quos Juppiter ipse tuetur*. Decebat enim quercum, arborem Jovis, nominare post laurum, quum Apollini Jovem modo subjunxisset (1). Totus item hujus loci contextus eam interpretationem juvat. Scilicet pastor, quem inducit Calpurnius, Cæsarem Carinum, quem pro Jove colit, exorat, ut facundo Apolline, h. e. Numeriano fratre, facundissimo juvene, comitatus, de monte Palatino decedens suos montes et lucos adire dignetur, h. e. de fastigio suo se paullum demittens, pastorali humilique Musæ suæ faventem aurem accommodet. Hoc ut aliqua, et rustica quidem, ratione persuadeat, addit, suos montes et lucos æque gratos Phœbo et Jovi esse debere, ac montem Palatinum, propterea quod, quæ in hoc conspiciantur, lauri et vicina iis quercus, ibi pariter inveniantur frequentes, Jovis et Apollinis deliciæ. E quercu suorum montium, locum Jove dignum esse, perinde colligit, ut Ovidius, Trist. III, 1, 35,

(1) Ita quoque sentit Barthius, sed statim hanc conjecturam deserit, ut *divina* scribendum esse asserat. Ed.

e querna corona ante fores Cæsaris, hunc esse Jovem, colligebat:

> En, domus hæc, dixi, Jovis est, quod ut esse putarem,
> Augurium menti querna corona dabat.

Alludere vero poetam ad Palatium et montem Palatinum in carmine bucolico, hoc minus dubites, quod idem paullo post et Palatii et Phœbi Palatini mentionem injicit, ut v. 141,

> Sit Deus, et nolit pensare palatia cælo;

et iterum v. 159,

> Fer, Melibœe, Deo mea carmina; nam tibi fas est
> Sacra Palatini penetralia visere Phœbi.

Itaque pluribus hujus carminis momentis ad stabiliendam hanc sententiam veluti conspirantibus, ut quæ probabilior sit, vix reperiunda videatur, memorabimus tamen atque cum hac comparabimus alias doctorum virorum, ut, quam præferenda hæc sit cæteris, intelligatur. Et Barthii quidem leves aliquot conjecturas, quibus ipse non satis confisus est, vix attinet commemorare, ut quum *unitaque* legere vult, pro palma conjuge, quæ amet vicina sive unita esse suo pari, aut *vitisequa* pro hedera, Advers. lib. XII, 10. Majorem speciem habet alia Barthii sententia, Advers. XIV, 1, quam Vlitius defendit, et Burmannus adoptavit: qua myrtum a poeta vicinam dici putant, eo quod *proxima lauro* a Virgilio dicatur Ecl. II, 54, eaque coronentur ovantes, ut triumphantes lauro, sæpe etiam laurus et myrtus jungantur a poetis. At si pastor Virgilianus myrtum honore et odore proximam lauro dixit, quod ex ambabus nectere sertum volebat; num ex eodem intelligetur, myrtum arborem, e qua folia carpebat, vicinam lauro stetisse? Certe proxima et vicina non sunt eadem. Quod myrtus subinde jungitur lauro, et unus tantum locus succurrit Horatii, Carm. III, 4, 19 (1), parum hoc efficere potest, ut, quæ simpliciter

(1) Est tamen alius Calpurnii locus, Ecl. IX, v. 46 et 49, ubi myrtus et laurus propter similes suavesque odores junguntur. Ed.

vicina lauro arbor dicitur, myrtum intelligamus, siquidem et hæc tum apio, tum hederæ jungitur ab Horat. Carm. I, 25, 18, et II, 7, 24. At laurus tamen *visura triumphos* dicitur, et propterea bene ei jungitur myrtus, quæ ovantibus concedebatur. Ego vero rationem, cur *vicina arbor* dicatur, in verbis *visura triumphos* non quærendam esse arbitror. Nuda in iis descriptio lauri est, qua Cæsaribus accepta laurus significetur, non declaretur sequens *vicina*. At concedamus etiam, inesse hanc rationem, tum vero sub vicina arbore multo commodius quercus, quam myrtus, intelligetur, quia honos servati civis, quem quercus significat, cum triumpho, quem laurus, conjunctissimus est, et esse maxime putabatur in Cæsaribus. Ego præterea aliam multoque aptiorem rationem ejus conjunctionis dedi, quod nempe quercus in foribus Palatii Cæsarum conjuncta et vicina lauro esset. Unde apparet, nisi Calpurnius alluserit ad quercum Palatinam, vix aliam et magis propriam caussam, cur appellaverit *vicinam*, posse exquiri. Hanc tamen contra sententiam exoritur Thom. Reinesius, Var. lect. lib. III, cap. 17, p. 629, et quercum quidem a Calpurnio laudari fatetur, at Palatinam respici, contra Barthium, qui hoc in Advers. XII, 10, affirmaverat, negat, quod homo ruri affixus, et pompæ urbanæ ignarus, minime cogitare, quid in Urbe et ante fores ædium Palatinarum cum lauro et quercu fiat, potuerit. Itaque constituendam potius veram lectionem esse contendit, et *divina arbor* legendum esse, ut quercus divinatrix, divina, et oracula fundens, intelligatur, quod ipsum Barthius, contra quem disputat, statuit in comment. ad Calp. Sed nescio, qui epitheton *divina* tam proprium esse quercui possit, ut eam ab aliis arboribus, maxime a lauro, satis distinguat. Certe hujus appellationis nullum exemplum adduxit, et laurus, quod pluribus Diis sacra est habita, ejusque usus in auguriis, sacrificiis, oraculis frequens fuit, multo magis divina dici meretur. Præcipitis censuræ est, ideo verbum mutare contra omnes libros velle, propterea quod id mori et decoro, quod observandum a poeta fuisse fingimus, non convenire putemus. Certe Calpurnius res

urbanas a scientia pastoris non alienas putavit, qui ipsum Palatium et Phœbum Palatinum, ut annotavimus, in eodem carmine diserte nominavit. Ne Virgilius quidem abstinuit, qui Urbem non solum sed et Consulem Romanum celebrat. Et Calpurnii pastores quam curiosi adeo pompæ urbanæ sint, facile ejus Ecloga VII declarat, qua venationes in Amphitheatro editæ copiose a pastore narrantur. Quod denique addit Reinesius, non quercum in vestibulo regiæ lauro conjunctam, sed quernam coronam in lauro media suspensam fuisse, in eo adoptasse opinionem Paschalii, de Coronis lib. VII, cap. 9, videtur, qui coronam querceam, quæ ornabat postes domus Augustæ, lauro ait fuisse circumdatam, et propterea *mediam* ab Ovidio appellatam. Sed in eo falsum esse utrumque convincunt diserta Veterum testimonia, qui coronam in fastigio Palatinæ domus affixam, lauris ab utroque forium latere stantibus, memorant. Iidem vero si subinde eam synecdochice quercum vocant, potuit etiam Calpurnius, eo alludens *vicinam* arborem dicere, e qua corona vicina lauro esset (1).

(1) Ultimam Barthii conjecturam addere non e loco est. Suspicatur rescribendum fuisse: « Laurus fructificat et civica nascitur arbor »; et putat correctores *et* in *que* mutavisse, ac voci *civica* subjunxisse quod ultimum *cat* in cæsuram productam non intelligerent. « Civica autem arbor post triumphalem optime nominata foret, quæ quidem est quercus, ut enarravit Agellius, lib. V, cap. 6 ». Judicent otiosiores atque eruditiores. Ed.

EXCURSUS IV

AD CALPURNIUM, ECL. IV, v. 101.

Nec mora, Pharsaliæ solverunt sibila cannæ.

Paullo abstrusior hoc in versu poetæ mens sic mihi videtur explicanda : Vixdum Deum adesse sensi ex subito silvæ silentio, atque illico cannæ Pharsaliæ, e quibus fistulas conjungunt pastores, sua sponte sibilum vel sonum edere cœperunt, quasi, Deo aliquo inspirante, Dei adventum cantu excepturæ, quod fieri adventu Apollinis debere docet Callimachus, in Apoll. v. 8. In *Pharsaliæ* syllabam secundam communem esse contendit Vossius ad Catull. LXV, 38, ubi Catullus : *Pharsaliam coeunt, Pharsalia tecta frequentant.* Sed hoc loco Pharsaliam esse trisyllabum, nota synæreseos figura, contendit Mitscherlich., v. cl., Lect. in Catull. p. 29. *Cannæ* autem *Pharsaliæ* dicuntur, ut supra v. 63, *Hyblæa avena,* nempe a regione pascuis et pastoribus celebrata. Quamquam enim de appellatione Pharsaliæ incerti admodum ambigunt interpretes, mihi tamen rem omnem expedire Hesychius videtur, qui : Βουκολῶ, Φαρσαλίας πόλις, ἢ Θράκης. Urbs Bucolo Pharsaliæ, quæ pars Thessaliæ est, nomen suum manifeste a re pecuaria et pastorum frequentia accepit, qua tota Thessalia æque celebris olim, ac Arcadia, fuit. Vel unus hoc Claudiani versus ostenderit, in Ruf. lib. II, v. 43,

Thessalus ardet ager, reticet pastore fugato
Pelion,

qui alias pecorum vocibus et pastorum cantu personabat. Hinc facile liquet, quæ bucolicæ sint cannæ, h. e. pastorales, eas etiam Pharsalias dici potuisse.

EXCURSUS V

AD CALPURNIUM, ECL. IV, v. 117-121.

> Jam neque damnatos metuit jactare ligones
> Fossor, et invento, si fors dedit, utitur auro, etc.

Nolim hunc locum Calpurnii pro testimonio habere factæ a Caro et Carino Impp. novæ constitutionis de thesauris inventis, ut Jac. Gothofredus, comment. ad Cod.Theod. lib. X, tit. 18 de thesauris, l. 1, existimavit. Quæ si aliunde probari nequit, certe e poeta nostro frustra probatur. Etenim, ut priori Corydonis sermoni respondeat Amyntas, jam felicitatis, qua sub Cæsare utantur homines, hoc argumentum subjicit, quod unusquisque possessionum suarum, laboris item et industriæ suæ fructibus, sine ullo metu alienæ injuriæ vel calumniæ, fruatur. Hoc autem, ratione poetica ad morem rusticum accommodata, exprimit singulari exemplo thesauri ab agricola in agro inter arandum inventi, quo ille tutus utitur ut suo, atque hoc emolumento magis ad strenue laborandum incitatur. Tale exemplum ut usurparet Calpurnius, non demum lege aliqua Imperatoris recentius data admonendus erat, sed subjicere hoc animo eruditissimi poetæ Veterum lectio poterat, qui defossi in terra auri et ab aliis inventi crebro mentionem faciunt, ut avara hominum vota, et subito accrescendi cupiditatem pingant. Horatii locum Serm. II, 6, 10, Calpurnio lectum fuisse, ipsa ejus verba demonstrant:

> O si urnam argenti Fors qua mihi monstret! ut illi,
> Thesauro invento, qui mercenarius agrum
> Illum ipsum mercatus aravit, dives amico
> Hercule.

Idem alio loco Serm. I, 1, 41, testatur, frequentem anti-

quitus morem fuisse collecti ab avaris auri terra defossa deponendi:

> Quid juvat immensum te argenti pondus et auri
> Furtim defossa timidum deponere terra?

Et quod Calpurn. hoc versu 118 dicit, *invento, si fors dedit, utitur auro*, iis verbis plane retulisse videtur quod Attico, Herodis sophistæ patri, contigisse narrat Philostratus, Vit. Sophist. lib. II, cap. 1. Qui quum in ædibus suis ingentem thesaurum invenisset, idque nuntiasset Nervæ Cæsari, hic rescripsit: « *Utere eo quod invenisti* ». Plura thesauri reconditi et inventi exempla præstant Persius, Sat. II, 10; Plautinus Euclio in Aulularia, ejusque imitator Auctor Queroli; Luciani Timon; Avianus, fab. XII; Auson. Epigr. 23; Petronius, Satir. cap. 88.

EXCURSUS VI

AD CALPURNIUM, ECL. IV, v. 125.

> Ut quoque turba bono plaudat saginata magistro,
> Qui facit egregios ad pervia compita ludos.

MALUNT hic legere eruditi *plaudat saturata* aut *satiata*, bona quidem ratione ducti, quoniam agricolæ omnino saturi et genio indulgentes ludos celebrabant, idque notare etiam alii poetæ in pari materia solent. Sic inprimis Tibull. lib. II, El. 1, 23:

> Turbaque vernarum, saturi bona signa coloni,
> Ludet.

Confer. ejusdem loci vers. 53, et Martial. Epigr. II, 90: *Sit mihi verna satur.* At eamdem significationem præfert vetustarum editionum fere omnium lectio, *saginata*, neque in syllaba secunda, contra consuetudinem meliorum

correpta, satis caussæ erat, cur eam repudiarent eruditi. Connivere Nostrum subinde solere in quantitate, quam posterius sæculum multo magis neglexit, ex aliis ejus locis suspicari licet, e. g. supra v. 101, et VI, 50. Et fortasse, ut alia vocabula, omisso *i*, sæpe contrahunt boni poetæ, e. g. *tegmen* pro tegimen, *lamna* pro lamina, *perviglata* in Pervig. Ven., ita Noster *sagnata* pronuntiari voluit. Quod repertum in antiquis exemplaribus quum vitiosum putarent recentiores editores, Pithœus, Vlitius, mutarunt in *signata*. Hoc autem ut idonea auctoritate non nititur, ita neque sensum satis commodum habet. Justis igitur rationibus motus, restituendum *saginata* auctori puto. Conf. Vlit. ad Nemes. Cyneg. v. 166. Sæpe profecto miror interpretes Calpurnii, qui eum tractare tamquam optimæ latinitatis auctorem, nihil dare ejus sæculo, nec nævos agnoscere volunt, sed quæ dicere vel potuisset vel debuisset ex optimæ ætatis lege constituunt. Cæterum hic de ludis Compitalitiis agi non dubito, siquidem a magistro et ad compita fieri diserte dicuntur, non illis quidem urbanis, qui mense Maio et Decembri fieri solebant, vid. Casaub. ad Suet. Aug. c. 31, et quos longo temporum tractu per vicorum magistros curari solitos, deinde pæne abolitos renovavit L. Piso, ut scribit Asconius ad Cic. Orat. in Pisonem; sed de rusticis illis antiquis, qui urbanis quidem originem dederunt, sed, his pro Urbis ratione paullo aliter institutis, apud agrestes in pagis et compitis rustica hilaritate celebrandi permanserunt. Vid. Scaliger Poetic. lib. I, cap. 28. Compitalia in sacris agrestium præcipue nominat Cato, cap. 5, de villico agens: *Rem divinam, nisi Compitalibus in compito, aut in foco, ne faciat.* Unde eorum mentionem a Calpurnio, ut supra Palilium, factam ne mireris. Junius Philargyrius ad Georg. II, 382, Virgilium de Compitalibus intelligit, sed ibi de Dionysiis ruralibus aut Lenæis agi certum est. Describit autem Noster Compitalia agrestia iis verbis, quibus alias ludi urbani solent, quippe magistrum ait facere ludos ad compita, et turbam ei plaudere tamquam editori egregii spectaculi. Magistrum scilicet vici intelligit, non urbani, sed

rustici, qui convocatis unius pagi vicinis et choreas ducentibus præit, ut recte observavit Turnebus, Advers. lib. XXI, c. 3. Errare igitur Vlitium puto, ad Nemes. Cyneg. v. 166, qui, quod *turba saginata* dicitur, propterea Calpurnium existimat de ludis gladiatoriis ab Imperatore ad compita exhibitis loqui.

EXCURSUS VII

AD CALPURNIUM, ECL. IV, v. 152.

> O mihi quam tenero decurrunt carmina versu!
> Tum, Melibœe, sonent, etc.

Etiam hic locus ex iis est, qui vitio deterioris latinitatis laborant: nam neque verborum consecutio recte procedit, neque verbum *sonent* positum ex lege grammatica videtur. Etsi sensum aliquantum juvat Oporinianæ editionis lectio *quæ tenero*, et magis adhuc Barthianus codex, qui scriptum habuit: *O mihi quam, tenero quæ currunt carmina versu;* hæc tamen magis emendantis editoris conatum, quam sanæ lectionis auctoritatem ostendunt, et, his etiam admissis, τὸ *sonent* manet in mendo. Proinde parum abest, quin mihi persuadeam, consulto hæc vitia admissa ab auctore esse, et affectatam ab eo rusticitatem impoliti sermonis, præsertim eo loco, quo Corydon finitis Cæsaris laudibus rursus de se dicere incipit: nam illas meditatas a se ante dixerat v. 5, adeoque sermone politiore exponere debuit; nunc de se loquens, redit ad sermonem rustico aptiorem, quem ipse sibi tribuerat v. 12, seq. Ipsius versus propositi non alia mihi sententia videtur, quam si sic perscriptus esset: *O mihi quam tenero currentia carmina versu, Tum Melibœe, sonabunt, si quando*, etc. *Sonent* hoc loco positum esse pro *sonabunt*, dudum alii observarunt. Antique hoc dictum esse

putat Modius, Novantiq. Lect. epist. 17, ut Ecl. I, 67, *fervit;* sed rectius ad scabram rubiginem deficientis latinitatis refertur, cujus hoc maxime inter alia solenne vitium fuisse videtur, ut in futuris verborum formas conjugationum permutaret, et præsertim formas futurorum in *abo* et *ebo* desinentes raro adhiberet. Hæc primo rusticorum et plebeiorum hominum consuetudo fuisse videtur, mox latius fusa ipsam scriptorum orationem inquinavit. Apicius Cœlius, quem nemo negabit cum coquis loqui, in præscribendis opsoniorum formulis fere semper verborum futuris utitur. In his bene attendens observabit, raro ab eo futura verborum poni, quæ sunt primæ et secundæ conjugationis, sed pleraque efferri forma præsentis temporis, quædam adeo, ut *misces* et *commisces,* nunquam aliter, ita ut formæ præsentis et futuri temporis in eadem formulæ continuatione misceantur, quasi mera futura essent. E multis aliis, ubique obviis, unum tantum locum declarandi caussa apponam, lib. II, cap. 5, de farcimine : *Elixato tolles pinguedinem, concides..... in se omnia commisces. Teres piper..... hæc omnia in mortario permisces..... liquamen suffundes, intestinum imples, elixas et subassas, vel elixum tantum appones.* Ad eumdem modum Nemesianus, quamquam nobiliore in argumento, quum dixisset v. 63, *Mox vestros memorare triumphos Accingar..... Atque canam*, etc. subjicit, v. 69, *Nec taceam*, pro tacebo. Nec inique huc referri potest locus Calpurnii, IX, 50: *Nam dum Pallas* amet *turgentes sanguine baccas,..... Idas te diliget unam. Amet* pro *amabit*; quod in simili oratione posuit Virg. Ecl. v. 16: *Dum juga montis aper, fluvios dum piscis amabit.* Nec tamen plane insolitam melioribus etiam poetis hanc formam fuisse, fortasse colligas ex his Ovid. Met. II, 646.

> .... Animas tibi reddere ademptas
> Fas erit; idque semel Dis indignantibus ausus,
> Posse dare hoc iterum flamma prohiberis avita.

Pro *prohibeberis*. Quamquam Crofanus in antiquiore codice invenit *prohibebere avita*, Burmannus tamen *prohiberis*, quod omnes fere codices habent, defendit, propterea quod

vates futura, quam præsentia, sibi fingere et videre soleant. Posterioris ætatis scriptoribus familiaris hæc forma esse cœpit. Prudentius poeta haud raro e secundæ conjugationis verbis tertiæ verba facit, quod monere, ad veras hujus poetæ lectiones constituendas, non intermisit N. Heinsius ad Perist. V, 10 et 60, et Hamartig. v. 626. Augustinus, de doctr. Christ. lib. II, cap. 13, refert, suo tempore in ore cantantis vulgi Africæ fuisse *floriet* pro florebit. Venantius Fortunatus habet *miscam* pro miscebo, contra *servibunt* pro servient, ut notat Browerus in indice ad hunc scriptorem. In Theoduli Ecloga, v. 23, *non me vicisse fateris* legitur pro *fateberis*, et v. 320, *Trojanum lauderis scire secretum*, pro *laudaberis*. Atque hæc exempla satis, opinor, docebunt, non temere me fecisse, qui verbum *sonent* et reliquum versum inscite conceptum ad latinitatem rusticiorem retulerim.

ECLOGA V.

MYCON.

ARGUMENTUM.

Hac in Ecloga senex Mycon, patula sub arbore sedens, inducitur Cantho, alumno suo, varia præcepta exponens de universa re pecuaria, de ratione pascendi oves et capellas, item mulgendi, tondendi, curandi et intra ovile cibandi, de diligentia lanificio adhibenda, et de tempore cujusque rei observando. De ea meliori jure Scaliger dixerit, *merum rus* esse. Solus Mycon loquitur perpetua oratione : nulla actio; et tantum farrago et veluti libellus præceptorum rusticorum recitatur a sene opilione. Nulla hic suavitas vitæ pastoritiæ, aut aliqua imago tranquillæ libertatis adumbrata, qualis ex ævo antiquiore peti solet a carminis bucolici poetis; sed inducitur senex opilio, qui ordinem et tempora laborum in grege curando describit, et vitam pastoris, tamquam mercenarii, satis ærumnosam, qualis est hodie, pingit. Itaque carminis pastoralis legem hic non observavit Calpurnius, nec Virgilii aliquam Eclogam imitatus videtur, sed potius Georgica, quorum e libro III pleraque præcepta hausta esse, facile apparet. Plura etiam hac in Ecloga, quam in aliis, reperio loca incompositæ et incultæ dictionis. Quæ quoniam opilioni seni, tremulo, oblivioso, sic satis convenit, ita in sermone ejus, quasi suo loco, adhibita a poeta de industria videtur. Sub nomine Myconis, quo inscripta est Ecloga, ἀλληγορικῶς ipsum Imperatorem Carum, ὡς τὸν ποιμένα λαῶν, intelligi, infelici sane conjectura suspicatus est Kempherus ad Calpurn. Ecl. I, 63. Est quidem hoc nomen pastoris apud Virgilium Ecl. III, 10; VII, 30; Calpurnius autem apte inprimis eo usus videtur hoc loco, senem recalvum inducturus loquentem : nam antiquo proverbio calvi dicebantur Myconii, ideo quod insulæ *Myconi omnis calva juventus*, ut ait Lucilius apud Donatum in Terent. Hecyr. III, 4, 26. Vid. Plin. lib. XI, c. 37. Cæterum ad hanc Eclogam expressus est Hieron. Fracastorii Alcon, sive Carmen de cura canum ve-

nat. quod Johnsonius editis ab se Gratii et Nemesiani Cynegeticis adjunxit (1). Etiam Gesnerus v. cl. simile huic Idyllium composuit in *Tityro et Menalca*, quo præcepta filio impertit senex. Sed profecto meliora multo et dulciora hæc sunt, quam Myconis Calpurniani.

FORTE Mycon senior, Canthusque Myconis alumnus,
Torrentem patula vitabant arbore solem,
Quum juveni senior præcepta daturus alumno,
Talia verba refert tremulis titubantia labris:
« Quas errare vides inter dumeta capellas,
Canaque lascivo concidere gramina morsu,
Canthe puer; quos ecce greges a monte remotos
Cernis in aprico decerpere gramina campo,
Hos tibi do senior juveni pater: ipse tuendos
Accipe; jam certe potes insudare labori,
Jam pro me gnavam potes exercere juventam.
Adspicis, ut nobis jamdudum mille querelas

(1) Et nos hujus tomi primæ Parti ad calcem Venaticorum inserendum putavimus. ED.

In præsenti Ægloga dantur præcepta pastoralia filio a patre, et est didascalica; unus enim pater tantum loquitur. R. Mycon pater et Canthus filius, didascalica Ægloga. Ug. MYCON *et* CANTHUS D. F. 1, seq. Personas omittit P.

1. *Cantus* D. et Dorv. male. Inter Argonautas Canthus nominatur a Valer. Flacco, I, 166.

4. *Verba titubantia.* Senectutis incommodum, tremens et vacillans loquela. Juven. X, 198: *Una senum facies, cum voce trementia membra.* Petron. in fragm. *Anus recocta vino, trementibus labellis.*

6. *Cana gramina*, albicantia pruinis. Virg. Georg. III, 325: *Dum mane novum, dum gramina canent.* —*Lascivus morsus*, qui fit inter saliendum et lasciviendum, ut mos est capellarum. — *Cana gramina* hoc loco melius videntur exponi de pallentibus, i. e. viridibus, ut *hederam pallentem* Virgilius Ecl. III, 39, et *pallentes herbas* Ecl. VI, 54, dicit: neque enim *cana* ob pruinas matutinas hoc loco dici possunt propter versum 2. ED.

7. *Reductos* Barth. ex G. — Greges proprie ovium sunt, et hic distinguuntur a capellis. Vid. v. 29.

11. *Jam pro me*, vid. not. ad Eclogam præcedentem, v. 77.

12. *Aspicis et* D. *Aspice ut* V. G. T. et Barth. multis rationibus

Adferat, et baculum premat inclinata senectus.
Sed qua lege regas et amantes lustra capellas,
Et melius pratis errantes mollibus agnas,
Percipe. Vere novo, quum jam tinnire volucres
Incipient, nidosque reversa lutabit hirundo;
Protinus hiberno pecus omne movebis ovili.
Tunc etenim toto vernanti gramine silva
Pullat, et æstivas reparabilis inchoat umbras;

defendit. *Jam pridem* Ug. A. 2. Gr. F. 2. *Ut nobis ætas jam mille* Dorv. — *Mille querelas*, ob tot incommoda senectutis Horat. A. Poet. 169: *Multa senem circumveniunt incommoda.* Conf. Juven. X, 218; Columbanus, epistola ad Hunald. v. 21: *Multa senem fragilis vexant incommoda carnis, Sic baculo nitens artus sustentat inertes.*

13. *Inclinata senectus*, incumbens, innixa baculo. Apul. Met. VIII, p. 166: *Senex gravatus annis, totus in baculum pronus.* Maxim. Gallus, Eleg. I: *baculo incumbens ruitura senectus.* — Statius, Theb. IV, 582: *Nec jam firmanti baculo, nec virgine fida Nititur.* Ed.

17. *Incipiunt* et *habitabit* R. As. Goth. Dorv. b. c. D. *Incipiunt* et *lutabit* O. — *Lutabit*, h. e. ut Ovid. Fast. I, 157 exprimit, *luteum celsa sub trabe figet opus.* Proprie *lutare* est luto oblinere, ut explicat Cato R. R. c. 92, qui et *delutare habitationem* dicit cap. 128. Pers. Sat. III, 104: *crassisque lutatus amomis.*

18. *Movebit* Goth. Dorv. c. — *Movebis*, educes in pascua. Hor. Carm. I, 4: *Ac neque jam stabulis gaudet pecus.* Præceptum hoc sumptum e Virgilio, Georg. lib. III, versu 322.

19. *Tota* R. As. D. F. 1. V. A. 1. Goth. Voss. Dorv. B. ex G. *Tunc etenim melior vernanti* Dorv. a. *Tunc etenim nobis vernanti germine* conj. Burm. — Descriptio ineuntis veris, multum ab aliis, præsertim Lucretio, I, 10. seq. et auctore Pervigilii Ven. picta, quorum loca non compilamus. — *Toto vernanti gramine*, duplici epitheto, merito offendit, et varie emendatum est ab Heinsio et Burmanno. Nos relinquimus intentatum, et referimus inter ea loca, quæ Calpurnius more suo non satis expolita reliquit. — Haud aliter tamen Statius Silv. IV, 5, 9, e conjectura Marklandi: *Nunc cuncta vernans frondibus annuis Crinitur arbos;* et Nemes. in fragmento de aucupio: *Quum nemus omne suo viridi spoliatur honore.* Ed.

20. *Bullat* Dorv. c. *Pullulat æstivas reparabilisque* D. Sed *Pullat*, et N. *Inchoat undas* erat in Palat. forte *induit umbras.* — *Pullat*, quod alii *pullulat*, hoc est, *regerminat.* Videatur Eclogæ IV versus 111. Nam germina vel stolones, quos arbores emittunt, et *pullos* vocari ostendit Rutgersius, Venus. Lect. cap. XI, p. 293, ubi de verbo *pullat.* — *Reparabilis*, quæ frondes suas reparat et renovat unoquoque anno, ut apud Pers. I, 102. — *Æstivas inchoat umbras*, h. e. incipit frondes emittere, quæ æstate umbram præbeant.

Tunc florent silvæ, viridisque renascitur annus;
Tunc Venus, et calidi scintillat fervor amoris,
Lascivumque pecus salientes accipit hircos.
Sed non ante greges in pascua mittito clausos,
Quam fuerit placata Pales; tum cespite vivo
Pone focum, Geniumque loci, Faunumque, Laremque
Salso farre voca: tepidos tunc hostia cultros
Imbuat; atque etiam, dum vivit, ovilia lustra.
Nec mora; tunc campos ovibus, dumeta capellis
Orto sole dabis, simul hunc transcendere montem
Cœperit, et primæ spatium tepefecerit horæ.
At si forte vaces, dum matutina relaxat

21. *Tum* Ug. A. 2, seq. ita et versu seq. — *Florent silvæ;* modo adfuit *silva pullat.* Ingrata ista ταυτολογίᾳ sæpius peccat Calpurnius, ut supra, v. 6 et 8, in voce *gramina*, et infra v. 86. Fortasse indoctam verbositatem senis opilionis exprimere voluit.

22. *Scintillat fervor*, exardescit, et accedente fomite flammam rapit: σπινθῆρας ἐρώτων Nonnus in Dionys. aliquoties nominat.

23. *Salientes accipit*, pro isto Ovid. Art. am. II, 485, *læta salitur ovis*.

24. *Clausas* V. et B. ex Germ. *Mitte reclusos* malebat Heins. et sic Dorv. a. — Virg. Georg. III, 323: *In saltus utrumque gregem, atque in pascua mittes*.

25. *Tu' cespite* Ug. A. 2. Gr. Bo. F. 2. vid. Virg. Georg. III, 294. *Tunc* O. Voss. — Non ipsa Palilia, solennia pastorum mense Aprili acta, hic videntur intelligi, sed sacrum privatum et lustrale, quod quisque pastor faciebat pro grege Pali Deæ, et Diis agrestibus, vere novo. Compares cum hoc loco Tibull. I, 1, 21, seq. et Horat. Carm. I, 4, 9, ubi tamen Palilia intelligit Rutgersius.

26. *Geniumque foci* R. Goth. Pal. Voss. Dorv. b. c. *Laresque* Dorv. a.

27. *Salso farre*, l. mola salsa. — *Hostia* mactari solebat agna. Vid. Tibull. loc. cit.

28. *Ac etiam* R. As. D. O. Goth. Pal. Voss. *hac et dum vivat* Dorv. a. Inde *hac etiam, dum vivit* conjiciunt Dorv. et Burm. — *Ovilia lustra*. Vid. hæc Ecl. v. 90, et Ecl. VII, 12. Videtur lustratio facta quum fumo e succensis herbis, tum circumductione hostiæ vivæ: hinc addit, *dum vivit*, antequam mactetur.

30. *Orto sole*, intelligendum est de verno tempore, ex v. 16: nam, æstas ubi venerit, aliud præcipit, *ante diem pecus exeat*, v. 52. — *Accendere* Goth. *transcendere* F. 1. V. A. 1. P. — *Simul hunc*, etc. rustica temporis notatio.

31. *Ut primæ* Ug. V. A. 1. G. T. *ut primum* Dorv. *Spatium perfecerit horæ* malebat Heins.

32. *Ac si* F. 1. V. A. 1. Goth. Pal. *Vacet* Goth.

Frigora sol, tumidis spument tibi mulctra papillis,
Implebis, quod messe fluat; rursusque premetur
Mane, quod occiduæ mulsura redegerit horæ.
Parce tamen fetis: nec sint compendia tanti,
Destruat ut niveos venalis caseus agnos;
Nam tibi præcipuo fetura colatur amore.
Te quoque non pudeat, quum serus ovilia vises,
Si qua jacebit ovis partu resoluta recenti,
Hanc humeris portare tuis, natosque tepenti
Ferre sinu tremulos, et nondum stare paratos.
Nec tu longinquas procul a præsepibus herbas,
Nec nimis amotæ sectabere pabula silvæ,
Dum peragit vernum Jovis inconstantia tempus.

33. *Capellis* R. Voss. Goth. — Virgilius, Georg. III, 309 : *Quam magis exhausto spumaverit ubere mulctra*. Calpurnius *mulctra* plerumque neutro genere accipit, vid. Ecl. IV, 25, ut Horat. Epod. XVI, 49.

34. *Quod massa* G. *quo* As. *quod mane* Dorv. a. *quo massa fluat* Barth. *Inde premes, quod mane fluat*, conj. Vlit. — Vid. Excursus primus ad calcem hujus Eclogæ.

35. *Mulsura* novum vocabulum. — *Coegerit* edit. Barth. — *Redegerit* omnes libri, et pro *coegerit*, quod Barthius edidit, positum existimat Gronovius, Observ. IV, 3, sensu colligendi. In re pecuniaria idem usurpavit Horat. Epod. II, 69.

36. *Neu sint* Ug. A. 2, seq. *ne* Dorv. b. et Palat. — Idem vetat Virg. Georg. III, 176, et Varro de R. R. II, 2.

37. *Et niveos* D. *teneros* Dorv. non male.

38. *Fetura* est propagatio pecoris, novi fetus. Hic videatur Eclogæ II, v. 47. Severus Sanctus de Mort. boum v. 59 : *Si fetura daret posterior mihi, Quod præsens rapuit lues.*

39. *Ne pudeat* V. solus edidit.

41. *Natosque parenti* Gr. T. F. 1, seq. et Mod. *patenti* Dorv. c. *tepenti* R. P. Goth. et al. MS. — Sic Tibullus, I, 1, 31 : *Non agnamve sinu pigeat, fetumve capellæ Desertum, oblita matre, referre domum.*

42. *Nondum stare paratos. Sic* Stat. Theb. VII, 396, de pastore : *Ipse levat gravidas, et humum tactura parentum Ubera, succiduasque adportat matribus agnas*. Ed.

43. *Ne tu* V. T. — *Præsepia* sunt stabula, ut Virg. Georg. I, 354, de eadem re : *Quid sæpe videntes Agricolæ propius stabulis armenta tenerent.*

44. *Amotæ* R. D. O. P. et Mod. *admotæ* Ug. A. 2, seq. F. 1, seq. Goth. — *Nec minus admotæ* Dorv. b. c. *Et minus amotæ* Pal. *Sectare ad* R. Goth.

45. *Dum peragit vernum Jovis inconstantia tempus*, i. e. dum veris tempus transit, quo durante, aer inconstans, mutabilis et sæpe pluvius esse solet. Virg. Georg. I, 313 :

Veris enim dubitanda fides; modo fronte serena
Blandius arrisit, modo cum caligine nimbos
Intulit, et miseras torrentibus abstulit agnas.
At quum longa dies sitientes adferet æstus,
Nec fuerit variante Deo mutabile cælum;
Jam silvis committe greges, jam longius herbas
Quære; sed ante diem pecus exeat : humida dulces
Efficit aura cibos, quoties fugientibus Euris
Frigida nocturno tinguntur pascua rore,
Et matutinæ lucent in gramine guttæ.
At simul argutæ nemus increpuere cicadæ,
Ad fontem compelle greges, nec protinus herbas,
Vel campos permitte sequi : sine protegat illos
Interea veteres quæ porrigit æsculus umbras.
Verum ubi declivi jam nona tepescere sole

ruit imbriferum ver. Juven. V, 78 : *fremeret sæva quum grandine vernus Jupiter.* — Et Lucan. V, 415, « Perfida nubiferi vetat inconstantia veris » ; Claud. IV, Consul. Hon. 425, « Fraus infida Sereni ». Ed.

48. *Tondentibus* R. V. Bo. et cit. Tit. *condentibus* Voss. — Talia fere Maro Georg. I, 322.

49. *Longa dies*, æstatem significat, qua longissimi sunt dies. — *Sitientibus* R. As. O. *Adferat* Dorv. et Pal. Horat. IV, od. 12, 13 : *Adduxere sitim tempora Virgili.*

50. *Variante Deo*, Jove, cujus inconstantiam modo nominavit.

51. *Silvis committe*, amotis scil. et longinquis, ex v. 44. Supra v. 29, *campos ovibus dabis ;* et Ecl. VIII, 7, *viridique gregem permittere campo.*

52. Conf. Virg. Georg. III, 324, seq. usque ad 338, unde desumpta quæ sequuntur ad v. 62. Varro, II, 2, 10.

53. *Effugit* Goth. *Sufficit* malebat Heins. *Quoniam fugientibus* As. — *Fugientibus*, flare desinentibus Euris, quod fit circa solis occasum, ros cadit.

55. *In germine* Dorv. a.

56. *Arbutæ* R. et Goth. Virgilio, l. c. *cantu querulæ rumpent arbusta cicadæ*, f. hic *inrupere*. Vlit. — Strepere cicadæ incipiunt, ubi dies incaluit, circa horam quartam, ut notat Virg. Georg. III, 327, seq. unde totum hoc præceptum haustum est.

57. *Ne protinus* As.

58. *Et campos* R. Goth. Voss. Pal. Dorv. a. O. *Sed protegat* Dorv. a.

59. *Projicit* volebat Heins.

60. *Declivo jam nova tepesc.* Dorv. c. — *Nona* hora, sole jam *declivi*, ad occasum vergente, *tepescere*, calore mitiore esse, incipit. Vid. Ecl. I, 1. — Ita sup. 31 : *primæ spatium tepefecerit horæ.* Palladius f. hinc compilavit Novembr. tit. XIII, *de pascendi ordine : Quarta*

Incipiet, seræque videbitur hora merendæ;
Rursus pasce greges, et opacos desere lucos,
Nec prius æstivo pecus includatur ovili,
Quam levibus nidis somnos captare volucris
Cogitet, et tremuli tremebunda coagula lactis.
Succida jam tereti constringere vellera junco
Quum jam tempus erit, maternas demere lanas,

hora calescente, etc. quæ his comparanda sunt. Vlit.

61. *Feræ* et *ora* Goth. *serique videbitur hora premendi* Dorv. a, quæ longe diversum sensum faciunt. — *Merendam* recte Jos. Scalig. in conj. ad Varr. de R. R. p. 247, dicit esse cibum, qui mercenariis, seu iis, qui ære merebant, dabatur antequam labore mitterentur. — Aliter Festus, qui a *mero die* dictam putat, vel Nonius quod post *meridiem detur*. Isid. Orig. lib. XX : Merenda *est, qui declinante die sumitur, cibus, quasi post meridiem edenda et proxima cœnæ;* et eodem lib. cap. 3 : *Hinc et* merenda, *quod antiquitus id temporis pueris operariis, quibus panis merus dabatur, aut quod meridient eodem tempore, id est soli ac separatim, non utique in prandio aut in cœna ad unam mensam.* Sed arridet conject. Scaligeri. Ed. — Hinc *sera* dicitur Nostro. Confirmat glossa : *Merenda* ἄριστον δειλινόν. Calpurnius hac notatione vesperi hoc aptius usus est, quod hac Ecloga fere tantum mercenarii operam describit.

64. *Lævibus ac nidis* Bart. ex G. *ac levibus* R. — *Quam levibus nidis.* Est descriptio vesperi, ad quam intelligendam faciunt versus Silii Italici lib. II, 215 : *Sicut agit levibus per sera crepuscula pennis E pastu volucres ad nota cubilia Vesper.*

65. Barthius sic distinguit : *volucris* vel *volucres : Cogitet et tremuli* As. *tremulo tremebundo fruniat ore* Dorv. a. Heinsius varie tentavit : *Cogitet : i tremuli preme munda coagula lactis* vel *Cogitet, et tremulis premere uda coagula lactis;* sed Burm. *hinc tremuli preme munda coagula lactis.* —Vid. Excursus secundus ad hanc Eclogam.

66. *Vinco*, i. e. vinclo R. Hunc versum post sequentem ponit Dorv. a. *Constringito* As. — *Succida quum tereti constringere vellera junco, Et jam tempus erit.* Burm. — Sequentes tres versus, novi præcepti, male cohærentes melius respondebunt, si duce Daventriensi et Ascensiana *constringito* legas, vel *constringes*, hoc sensu : *Jam*, eodem tempore, nempe vesperi, inter alia, quæ tum commode agi possunt, etiam *vellera*, lanas detonsas, *junco constringes* in fasciculos, si quidem id tempus jam erit, quo demere lanas et hircorum jubas cædere fas est. *Succida vellera* sunt recentes lanæ. Caussam reddit Varro R. R. II, 11, 6 : *Tonsuræ*, inquit, *tempus inter æquinoctium vernum et solstitium, quum sudare cœperint oves, a quo sudore recens lana tonsa succida est appellata.* — Et scribit idem Varro non multo post : *quam* (lanam) *demptam et conglobatam alii vellera, alii velamina appellant.* Ed.

Hircorumque jubas, et olentes cædere barbas,
Ante tamen secerne pecus, gregibusque notatis
Consimiles include comas; ne longa minutis,
Mollia ne duris coeant, ne candida fuscis.
Sed tibi quum vacuas posito velamine costas
Denudabit ovis, circumspice, ne sit acuta
Forfice læsa cutis, tacitum ne pustula virus
Texerit occulto sub vulnere; quæ nisi ferro
Rumpitur, ah! miserum fragili rubigine corpus
Corrodet sanies, et putrida contrahet ossa.
Providus (hoc moneo) viventia sulphura tecum,
Et scillæ caput, atque intacta bitumina porta,
Ulceribus laturus opem: nec Brutia desit

68. Virg. Georg. III, 311. Quod etiam confirmat Ælian. de Hist. Anim. ἐν Λυκίᾳ λέγει Καλλισθένης ὁ Ὀλύνθιος κείρεσθαι καὶ τὰς αἶγας, ὥσπεροῦν πανταχῆ τὰ πρόβατα· γίνεσθαι γὰρ δασυτάτας καὶ εὔτριχας δεινῶς τὰς αἶγας, ὡς εἰπεῖν βοστρύχους, ὥς τινα ἕλικας κόμης ἐξηρτῆσθαι αὐτῶν· κ. τ. λ. Ed.

69. Quod ejusdem lanæ est pecus, secerne a cæteris, tamquam diversos greges, et quod e quoque grege genus lanæ habes, hoc eodem fasce colliga et include.

70. *Coma* Bart. *comis* Burmannus vult, nempe oves, inter se ejusdem coloris.

75. Resecandum ulcus ferro esse, pro præstantissima medicina præcipit Virg. Georg. III, 452, seq. et ex eo Columella VII, 5, 10, quorum loci conferendi cum Nostro.

76. *In miserum* Ug. Bo. A. 2, seq. Voss. Dorv. *ah miserum* R. F. 1. V. A. 1. O. P. et MS Tit. *en miserum* Dorv. *Porrigine* mal. Heins. — *Rubigine* pro putredine et pure posuit, quod solidum corpus, quasi ferrum rubigo, consumit.

77. *Contrahet ossa*, h. e. comminuet. Maro Georg. III, 484, quem hic respexit Noster, sic exprimit: *Omniaque in se Ossa minutatim morbo collapsa trahebat.* Idem versu ult. *contractos artus sacer ignis edebat.* Columella l. c. morbum, qui alias sacer ignis dicitur, *pusulam*, et pecudem eo correptam *pusilosam* vocat.

78. *Hæc moneo* R. Voss. Goth. O. *Liventia* F. 1. V. A. 1. T. et MS Tit. — In his etiam ante oculos habuit Virg. Georg. III, 448, seq. fortasse et Gratium, v. 416. — *Providus*, nempe in eventum lædendæ inter tondendum cutis. — *Viventia sulphura* lege; namque Virgilius *viva* habet. — *Intacta bitumina* sunt nova et nondum tractata.

79. *Squillæ* D. *Et virosa* Dorv. a. *et vittata* Dorv. b.

80. *Brutia* pix est omnium probatissima, teste Plinio, XVI, 11; XXIV, 7; est enim pinguissima et resinosissima.

Dura tibi, et liquido simul unguine terga, memento,
Si sint rasa, linas; vivi quoque pondera melle
Argenti coquito, lentumque bitumen aheno,
Impressurus ovi tua nomina: nam tibi lites
Auferet ingentes lectus possessor in armo.
Tunc etiam, dum siccus ager, dum fervida tellus,
Dum rimosa palus, et multo torrida limo
Æstuat, et fragiles nimius sol pulverat herbas,
Lurida conveniet succendere galbana septis,

81. *Cura tibi* As. *pura* maluit Burm. — *Et* deest in Ug. A. 2, seq. T. Pal. Dorv. *Picis unguine* Mod. *simul unguine* R. F. 1. As. V. A. 1. P. et MS Tit. cum Goth. — *Liquido simul unguine*, intellige *unguine*, quod ex præcedentibus sulphure, scilla, bitumine, pice, *simul* congestis constat, atque *liquidum*, vel ad ignem liquefactum est. Gratius l. c. expresse, *et summam complectitur ignis in unam*. Virgilius autem *misceri* ea omnia jubet.

82. *Si sunt rara linas duræ quoque pondera massæ* Dorv. a. *vini quoque pondere molle Argentum* R. Voss. Goth. *vivi quoque pondera in olla Argenti coquito, lentumque bitumen ahena*. Sic Vlit. conj. *Pondera amellis Argenti incoquito*, Heins. corrigebat. *De amello* Salmas. Exerc. Plin. 71. — Virgil. *et spumas miscent argenti*, loc. cit. v. 449. Ed.

84. *Impressurus ovi*. Mos ille pecora signandi antiquus et notus. Meminit Festus in *signare*. Et Maro Georg. III, 158, de bobus: *Continuoque notas et nomina gentis inurunt*. — Anacreon, ἐν ἰσχίοις μὲν ἵπποι Πυρὸς χάραγμ' ἔχουσι. Ed.

85. *Afferet* Ug. F. 1, seq. A. 2, seq. Bo. F. 2. *Auferet* R. P. Goth. *In arvo* Ug. A. 2, seq. F. 2. P. *in armo* elegantissime correxit Fruterius, Modius et Tit. et sic Dorv. a. c. *Ingenti lectus possessor ovili* Voss. Pal. *certus possessor in arvo* volebat Heins. *in aure* Argol. ad Onuphr. Panv. de Circo, p. 25.

86. *Quom siccus* R. Goth. *cum* O. *Nunc etiam* F. 1. V. A. 1. Dorv. a. — Descriptio ferventis æstatis, tracta per tres versus, molesta magis et onusta verbis est, quam pulchra et expressa. Non satis placet *rimosa palus*, pro quo melius dixit Virg. Georg. III, 432: « Postquam exusta palus, terræque ardore dehiscunt ».

87. *Turbida* Tit. ex MS *Lino* V.

88. *Nimium* R. Goth. Pal. Voss. *Vulnerat* volebat Heinsius. — Volebat scribere, *fragiles pulverat glebas*, hoc est, in pulverem comminuit, sed versu recusante *pulverat herbas* posuit, hoc est, pulvere conspergit; tum epitheton *fragiles* ineptum est. Talis negligentiæ exempla in Calpurnio plura occurrunt. — *Pulverat* videtur esse, pulvere obducit, sicut usurpavit de æstu Stat. Theb. IV, 687: « Stagnaque et errantes obducite pulvere rivos ». Ed.

89. *Tectis* Dorv. c. — Abigendis serpentibus galbani et cedri fumus, cornu cervini et capilli muliebris

Et tua cervino lustrare mapalia fumo:
Obfuit iste malis odor anguibus; ipse videbis
Serpentum cecidisse minas; non stringere dentes
Ulla potest uncos, sed inani debilis ore
Marcet, et obtuso jacet exarmata veneno.
Tunc age, vicinæ, circumspice, tempora brumæ
Qua ratione geras: aperit quum vinea sepes,
Et portat lectas securus vinitor uvas,
Incipe falce nemus vivasque recidere frondes.

nidores, ut maxime idonei, commendantur ab omnibus, qui hanc materiam attigerunt, scriptoribus, præcipue Virgilio, Georg. III, 414, seq. cujus vestigia, præter Nostrum, presserunt Columella VII, 4, 6 et VIII, 5, 18; Plin. VIII, 32, seu 50, X, 70, et XXVIII, 9; Pallad. I, 35, 11; Geopon. XVIII, 2. Ipse Virgilius ante oculos habuit Nicandrum Theriac. 51-53.

90. *Et sua* malebat Heins.— *Mapalia* vox est peregrina et Afrorum verisimiliter propria: ea utitur Virg. Æn. I, *Raris habitata mapalia tectis.* Idem pollet vox *magalia*, Æn. I, 425, et IV, 259. Ed.

91. *Obfuerit malus iste odor.* R. Goth. Voss.

93. *Inani ore*, eodem sensu quo inerti, h. e. morsu nullam vim habente nocendi; ut *lacrymæ volvuntur inanes*, Virg. Æn. IV, 449.

94. *Exarmari* dicuntur serpentes, quum vis nocendi adimitur. Silius I, 401: « Nec non serpentes diro exarmare veneno Doctus Atyr ».— Et Virg. *ferrum armare veneno.* Justinianus in prooemio Instit. « Imperatoriam majestatem, inquit,...etiam legibus oportet esse armatam ». Ed. — Apud Lamprid. in Heliog. *exarmati leones*, h. e. mansuefacti.

95. *Nunc age* R. As. O.—*Vicinæ*, ubi *bruma* erit vicina. Ed.

96. *Quæ* Burm. *Feras* malebat Heins. — *Aperit vinea sepes*, h. e. præbet uvas jam maturas vindemiæ, et legendas vinitoribus. Initium vindemiæ. Sic apud Colum. X, 401, *canis Erigones Arboreos aperit fetus*, h. e. tempus esse indicat colligendi fetus arborum.

97. *Securus*, vel tempestatis iniquæ, quæ maturis etiam uvis metuenda erat, vid. Virg. Georg. II, 419, vel furum uvis imminentium, contra quos vinea sepe et custode munienda erat. — *Circitor uvas* legit Dorv. a, non male. Nam circitor erat custos, qui fundum frequenter obibat, et fruges servabat, ne mala manus raperet, ut ostendit Scaliger ad Priap. 16, et Burm. ad Petron. 53. Hic igitur primus observabat uvas maturas, iisque adportandis et monstrandis tempus esse vindemiæ nuntiabat.

98. *Nimiasque* Heins. — *Vivas frondes*, virentes recentesque, pabulum pecudis hiemale. Intelligit autem herbitum ut vocat Isid. in libris Etymolog. Vid. Colum. VII, 3, 21. Qui recidit, frondator. Virg. Ecl. I, 57: « Hinc alta sub rupe canet frondator ad auras ».

Tunc opus est teneras summatim stringere virgas,
Tum debes servare comas, dum permanet humor,
Dum viret, et tremulas non excutit Africus umbras.
Has tibi conveniet tepidis fenilibus olim
Promere, quum pecudes extremus clauserit annus.
Sic tibi nitendum est; labor hoc in tempore noster,
Gnavaque sedulitas venit, et pastoria virtus.
Nec pigeat ramos siccis miscere recentes
Et succos adhibere novos: ne torrida nimbis
Instet hiems, nimioque gelu, nivibusque coactis,
Incurvare velis nemus, et constringere frondes.
Tu tamen aut læves hederas, aut molle salictum

99. *Summatim*, ex summa parte vel cacumine, nam ibi teneræ sunt virgæ.

100. *Tum debes servare comas*, h. e. asservare, et reponere hiemi, dum humor, succus, permanet in frondibus, nec eas ventus excutit: nam quæ aridæ decidunt, sunt inutiles.

101. *Expuit* O. — *Tremulas*. Ita Virg. Ecl. V, 5: « Sive sub incertas Zephyris motantibus umbras ». Ed.

102. *Ast ubi* Ug. *Ast tibi* Dorv. R. O. *Tepidas* P. atque Vlitius. — Has frondes in fenilia congestas conveniet inde promere hieme, et pecudi inclusæ objicere. Virgilius Georg. III, 320: « Victumque feres, et virgea lætus Pabula, nec tota claudes fenilia bruma ».

103. *Ponere* Dorv. — Extremus clauserit annus, sc. hiems, quo tempore pecus intra præsepia clausum haberi solet. Hor. Carm. I, 4, 3.

104. *Dic tibi* D. et sic Modius. *Hic* Bart. ex G.

106. Ne te pigeat siccis ramis continuo novos addere, quamdiu poteris, ne forte opinione citius ingruat hiems, et tu, jam nimio gelu urgente et nivibus coactis, ramos velis cum magna molestia inflectere, et frondes constringere, h. e. stringendo colligere. Sic optime constabit sensus horum versuum, nec ulla correctione, quam varie hic tentant interpretes, opus est.

107. *Sulcos* Heins. vid. supr. IV, 113. *Neu* Ug. A. 2, seq. F. 2. *licet horrida* legit Martell. *ne, ut torrida nimbis Instat hiems*, i. e. quando hiems est, ne *Incurvare velit*, etc. Vlit. *ne, turbida nimbis Quum stet hiems... Incurvare velis* Burm.

108. *Coactus* Palat.

109. *Velis* omnes. *velit* correxerunt Mart. Vlit. Burm. *velis vimen* F. 1. V. R. Voss. Goth. et MS Tit. *vimen et stringere* Nic. Heins. ex Virgilio, Æn. III, 31. — *Velis*, quod omnes veteres editiones præferunt, ad frondatorem referendum est, qui et *incurvare nemus* dicitur, ubi carpere vel stringere frondes vult. Sic versus Laberii apud Macrob. Saturn. II, 7: « Non flexibilem concurvasti, ut carperes ».

110. *Tum tamen* F. 2. — Si aliarum

Valle premes gelida; sitis est pensanda tuorum,
Canthe, gregum viridante cibo; nihil aridus illis,
Ingenti positus quamvis strue, prosit acervus,
Virgea si desint liquido turgentia succo,
Et quibus est aliquid plenæ vitale medullæ.
Præcipue gelidum stipulis et fronde caduca
Sterne solum, ne forte rigor penetrabile corpus
Urat, et interno vastet pecuaria morbo.
Plura quidem monuisse velim: nam plura supersunt.
Sed jam sera dies cadit, et jam, sole fugato,
Frigidus æstivas impellit Noctifer horas. »

arborum frondes stringere, per gelu et nives, non liceat, poteris tamen aut leves hederas, semper virentes, aut salictum, quod molle, lentum et flexibile est. — *Premes*, h. e. falce succides. Sic Hor. Carm. I, 31, 9, « Premant Calena falce, quibus dedit fortuna vitem ». — Et Virg. Georg. I, 156: « Et sonitu terrebis aves, et ruris opaci Falce premes umbras ». Ed.

111. *Premens* Pal. *Premes media* Dorv. a. *Satis est* R. Voss. Goth. As. O. — *Valle premes gelida.* Ubi nimirum felicius hederæ proveniunt. Ed.

113. *Quamvis pontus* Dorv. c. *Prositus* F. 1. V. *possit* F. 1. V.

115. Vivæ frondis adhuc *plena medulla* est, h. e. succulenta et turgida, quæ implet corticem. Contra ossa arida *vacuis exsucta medullis* vocat Juven. VIII, 90.

116. *Stipulæ cum fronde* Dorv. a. — Præceptum sumptum a Marone, Georg. III, 297, seq. et Colum. VII, 3, 8. — *Fronde caduca*, quæ arida cecidit. Virg. Georg. I, 368.

117. *Penetrabile corpus*, quod facile penetratur frigore. Frigoris impatientissimum pecus vocat Colum. l. c. Virgilio, Georg. I, 93, ipsum frigus penetrabile est, h. e. facile vel vehementer penetrat. — *Penetralia* R. D. Pal. Voss. Dorv. *penetrabile* Goth. ex versu præc. *Et extremo vastet præcordia* Dorv.

118. *Pecuaria*, greges pecorum, neutro genere poetæ usurpant. Vid. Gratius, v. 435 et 533. Prosaici, ut Varro R. R. II, præf. 6, libentius feminino *pecuarias* dicunt.

119. *Meminisse velim* Dorv. a.

121. *Noctifer*, idem qui Hesperus. — Vocem Græcam expressit ut sic latine respondeat huic contrariæ *Lucifer*: eadem usus est Catull. Carm. 63, 7, *Nimirum æthereos ostendet Noctifer ignis.* Ed. — *Æstivas impellit horas*, h. e. æstivum diem finit. *Frigidus Hesperus* infra, Ecl. IX, 89. — Sed *impellit horas* rectius interpreteris præcipitat vel accelerat, ut Eclog. VIII, 47, « florentes mors invida pelleret annos ». Ed.

EXCURSUS I

AD CALPURNIUM, ECL. V, v. 34.

**Implebis, quod messe fluat; rursusque premetur
Mane, etc.**

VERBA *quod messe fluat* corrupta videntur, et messi hic nullus locus, nec sensus est. Si sententia Virgilii, Georg. III, 400, e qua hæc expressit Calpurnius, conferatur, legendum videtur *quod nocte fluat*, et *fluat* idem est ac sequens *prematur;* nec tamen istud in ullo codice apparet. Barthius aliquantum juvat, qui in suo invenit *massa*, atque hinc legendum putat *quo massa fluat;* et *quo* confirmatur ab Ascensiana. Nempe apparet de caseo premendo sermonem esse, qui *lactis massa coacti* sæpe a poetis dicitur. Igitur verba sic capies: *Implebis* eo lacte, quod mane mulsum est, fiscellas vel calathos, *quo massa*, vel concreta pars lactis, sero per imposita pondera expresso, *fluat, et rursus mane premetur,* vel pressum fluet, quod hora vespertina redactum fuerit. Occurrebat etiam hæc emendatio: *Implebis, quæ pressa fluant*, eaque bene congruit sequentibus, *rursusque premetur Mane:* sed tot aliorum conjecturas quid juvat novis cumulare? Forsan et hic fluit et vacillat indoctus rustici sermo.

EXCURSUS II

AD CALPURNIUM, ECL. V, v. 65.

Cogitet, et tremuli tremebunda coagula lactis.

Hic versus, quamvis manifeste vitiosus, in nullo fere codice, scripto vel excuso, aliter legitur; et, si sequentes versus conferantur, totus locus tam hiulcus et incompositus apparet, ut medela difficillima videatur, fortasse etiam unum et alterum versum excidisse conjiciamus. Ascensiana quidem editio et unus Dorvill. ut in variet. lect. notavimus, vulgarem scripturam mutat, sed nihil aliud quam conatum librarii ostendit, ita refingendi versum, ut sensus aliquis et connexio cum superioribus existat. Heinsii et Burmanni emendationes propius ad veteris similitudinem scripturæ accedunt, sed eædem nescio quid invenustum et coactum retinent, præterea medio in versu novi præcepti initium faciunt, qui mos esse poetæ nostri non solet. Itaque, desperato quasi in loco, putavimus, non esse in vera ejus lectione investiganda fatigandum ingenium, versumque talem esse, quem auctor conceptum quidem et inchoatum, sed, stylo non satis succedente alioque properante, imperfectum et impolitum ipse reliquerit. Ne tamen hinc recedam plane ἀσύμβολος, placet hic monere, quod ab interpretibus non satis observatum esse arbitror. Quum in verbis : *Quam levibus nidis..... Cogitet*, aliqua notatio insit temporis vespertini, sane apparet, continuato in versu voluisse poetam aliam ejusdem notam addere. Et certe non alia est, quam quæ a Calpurnio, Ecl. X, v. ult. disertius enuntiatur :

Sparsas donec oves campo conducere in unum
Nox jubet, uberibus suadens siccare liquorem
Lactis, et in niveas adstrictum cogere glebas.

Hinc existimo, voluisse poetam hoc etiam loco vesperam a mulgendi caseique conficiendi negotio describere; et tum veteri scripturæ simillimum hunc versum reperio:

> Cogitet, et tremuli dent mulctra coagula lactis.

Sane, si Columellam, ubi casei faciendi rationem describit, lib. VII, 8, 3, audimus, statim e mulctra concreti lactis liquor in fiscellas aut calathos transferebatur. *Sed mulctra*, inquit, *quum est repleta lacte, non sine tepore aliquo debet esse,..... et confestim quum concrevit, liquor in fiscellas aut in calathos vel formas transferendus est.* Idem paullo post: *Nonnulli virides pineas nuces in mulctram demittunt, et mox super eas emulgent, nec separant, nisi quum transmiserint in formas coactam materiam.* Sic scilicet ipsa mulctra dabant coagula. Conf. hujus Ecl. v. 34, seq. Nemo non perspicit, sic, ut posui, aut simili modo, scribi a poeta debuisse, immo et potuisse facillime, si quidem sententiam recte constare voluerit. Jure igitur quivis intelligens miretur, versum tam insulsum et horridum, qui prorsus aures offendat legentis, a poeta relinqui potuisse; idem vero non injuria suspicetur, consulto id factum a poeta, ut sermonem indocti opilionis juxta et obliviosi senis imitaretur, qui et imprudens per similis soni et sensus vocabula, *tremuli tremebunda*, oberraret, et finire sententiam, subjecto verbo ad complendam eam necessario, oblitus esset. Nam et tres sequentes versus male compositi, et vitio ἀνακολουθίας laborantes eamdem loquendi imperitiam produnt. Et plura similis perversitatis exempla in hac Ecloga occurrunt, suis locis indicanda, quæ nisi credere velimus de industria accommodata designandæ imperitiæ rustici sermonis, necesse erit, id auctori crimen inscitiæ vel negligentiæ impingere, quod cum cæteris ejus virtutibus vix possit conciliari.

ECLOGA VI.

LITIGIUM.

ARGUMENTUM.

Astilus Lycidæ refert, modo certamen inter Nyctilum et Alcona fuisse, se judice, et Alcona victorem pronuntiatum. Lycidas mirabundus Alcona spernit præ Nyctilo, et Astili adeo judicium reprehendit. Hic inscitiam carminis objiciens Lycidæ ab hoc ipse in certamen provocatur. Quod quamquam ille superbo differre convicio et a se amoliri tentat, tamen interveniente Mnasylo adigitur a Lycida, ut hunc certaminis arbitrum adsumat. Constituunt uterque pignora, Astilus cervum mansuetum, Lycidas contra equum velocem. Mnasylus accepto arbitrio, ne vicini amnis sonitus cantibus obstrepat, in remotius antrum deducit certaturos, et, ut lite seposita carmina vicibus sibi reddant, hortatur. Sed hic novo Lycidæ convicio jurgium redintegratur, quod quum exardescere vehementius et ad pugnos spectare videtur, Mnasylus, eorum insaniam indignatus, discedit, atque hanc litem aliis dirimendam relinquit. Merito hæc Ecloga LITIGIUM inscripta est, quod plena est conviciorum et rixarum. Ideo parum grata est, nec honesti decorique eam rationem habet, ut valde placere possit. Videtur quidem poeta in tractando argumento proposuisse sibi Theocriti Idyll. V, et Virgilii Ecl. III, unde et multa traduxit. Sed in istis concertatio pastorum, quamvis acerba, exitum habet decorum, resque ipsa ita geritur, ut admixta hilaritate acerbitas jurgii mitigetur. Hic nihil nisi impotentia animi et rixandi libido cernitur, convicia jactantur acerba, atque ex jurgio susceptum certamen novo jurgio abrumpitur, re infecta disceditur. Facile igitur assentior Barthio ad vers. 4 judicanti, hanc omnium Calpurnii Eclogarum infelicissimam esse; et miror hanc præteriisse Jul. Scaligerum, quum reliquas tam rigide notet.

ASTILUS, LYCIDAS, MNASYLUS*.

ASTILUS.

Serus ades, Lycida; modo Nyctilus et puer Alcon
Certavere sub his alterno carmine ramis,
Judice me, sed non sine pignore: Nyctilus hædos
Juncta matre dedit; catulum dedit ille, leænæ
Juravitque genus: sed sustulit omnia victor.

LYCIDAS.

Nyctilon ut cantu rudis exsuperaverit Alcon,
Astile, credibile est? ut vincat acanthida cornix,

* *Litigium* inscribunt F. 1, seq. et P. *Hastilus* R. Voss. Goth. *Manasilus* Ug. *Mnasyllus* Gr. seq. *Mnasylus* F. 1. V. P. Sic et apud Virgil. Ecl. VI, 13, in hoc nomine variant codices.

1. *Ectus ades* R. omissa priori litera, ita et Voss. et Goth. In Romana Burmannus rubro appictum *R* vidit, ut esset *Rectus*. Vide hunc ad Ovid. Epist. I, 66. *Lentus* Burmannus malit, ex Ecl. VII, 1. *Lætus* D. — *Alcon* nomen pueri vel servuli apud Horat. Sat. II, 8, 15. Ed.

4. *Laconum Juravitque* MS Tit. *Laconem* vel *Lacænæ* conj. Heins. Quidam distinguunt, *catulum dedit ille leænæ, juravitque genus*, id est, natum ex leæna. Burm.

5. *Juravit* esse procreatum e leæna. Canes quandoque lupis, tigribus, vulpibus, aliis concipere, tradit Plin. VIII, 40, et Xenoph. de Venat. *Semiferum* vocat Gratius, v. 253. Pollux, V, 5, affirmat Hyrcanos e canibus et leonibus nasci, appellarique λεοντομιγεῖς.

6. *Lyc.* abest et in versum seq. rejectum in Ug. Vi. et O. Voss. *Et cantu* R. O. Voss. Goth.

7. *Si vincat* D. Dorv. a. *ut vincat* reliqui. *Candida cornix* Dorv. Distingue: *credibile est? ut vincat acanthida cornix?* ἀπὸ κοινοῦ repetendo. Vlit. Heinsius volebat *credibile est? sic vincat a. c. Vocalem s. sic durus a. b.* scil. *ita vincat*, vult Cannegieter ad Avien. fab. III, 12.—Ego vero sententiam vix recte procedere puto, nisi sublata interrogatione legatur: *si vincat*, quoniam et sequitur *si dirus*. Ed. — Hoc loco Noster expressisse Theocritum videtur, V, 136: Οὐ θεμιτὸν ποτ' ἀηδόνι κίσ-

Vocalem superet si dirus aedona bubo.

ASTILUS.

Te potiar, Petale, qua nunc ego maceror una,
Si magis aut docili calamorum Nyctilus arte,
Aut cantu magis est, quam vultu, proximus illi.

LYCIDAS.

Jam nunc decipior, te judice: pallidus alter
Venit, et hirsuta spinosior histrice barba;
Candidus alter erat, levique decentior ovo,
Et ridens oculis, crinemque simillimus auro,
Qui dici posset, si non cantaret, Apollo.

σας ἐρίσδεν, Οὐδ' ἔποπας κύκνοισι. Virgil. Ecl. VIII, 55: *Certent et cycnis ululæ.* — *Acanthis* avicula, alias carduelis. — *Aedon*, luscinia, *vocalis*, h. e. musica. Cf. Ecl. IX, 61. Martialis I, 54, *multisonam* vocat. De utraque avi Plin. X, 19 et 42.— *Dirus* bubo, quia cantus ejus feralis, et mali ominis. De eo Plin. X, 12: *non cantu aliquo vocalis, sed gemitu.*

8. *Si turpis* Dorv. c. *si turpior ædona* R. Voss. Goth. Dorv. b.

9. *Te potiar* R. D. O. P. *Ne potiar* Mod. As. *Non potiar* Dorv. a. *Te patiar* Ug. F. 1. V. seq. A. 2, seq. T. *Petale* As. P. *Crotale* R. F. 1. A. 2, seq. Voss. Goth. *Crocale* D. Ug. Bo. T. Dorv. a. *Torqueor una* As. O. — *Te potiar*, quod adhuc editum est, vix stare potest cum mente pastoris, et præferendum, quod Modius putavit, *Ne potiar Petale*, quod ipsum Ascensiana confirmat: nam infortunium sibi imprecatur, si Nyctilus ullo modo comparari possit Alconi. *Te patiar*, quod alii habent, ferri potest, hoc sensu: te diutius duram et adversam experiar. — *Ne potiar* legendum mihi videtur, ut est apud Martialem VI, 64, 18, *Ne valeam, si multo sapit altius istud*, etc. Ed.

10. *Si magna aut* Dorv. a.

11. Confirmat, tantum dispares arte et cantu esse, quantum vultu.

12. *Panetas alter* R. Goth. Voss. fortasse *panicus* Panos forma. — Id ipsum, quod de vultu dixerat Astilus, carpit, εἰρωνικῶς assentiens, Nyctilum deformem et hispidum esse, candidum et levem Alcona. Formarum observatio inter pastores frequens. — *Squalidus* legerem cum Heinsio, si codices addicerent.—*Histrix* animal est e genere erinaceo, aculeis prælongis, de quo Salmas. ad Sol. p. 277. Sic *spinosi corporis erem* dicit Nemes. Cyn. 57. Similiter Hor. Epod. V, 27: *Horret capillis, ut marinus, asperis, Echinus, aut currens aper.*

14. *Lævique* R. D. F. 1, seq. O. *lenique* Ug. A. 2, seq. *Ævo* D. Dorv. c.

15. *Viridans oculis* R. As. Goth.

16. *Posset dici* R. As. Pal. Voss. Goth. Dorv. — Irridet Astilum cum suo Alcone. Profectò ita formosus est Alcon, ut Apollinem simulare

ASTILUS.

O Lycida, si quis tibi carminis usus adesset,
Tu quoque laudatum posses Alcona probare.

LYCIDAS.

Vis igitur, quoniam nec nobis, improbe, par es,
Ipse tuos judex calamos committere nostris?
Vis conferre manus? veniat licet arbiter Alcon.

ASTILUS.

Vincere tu quemquam? vel te certamine quisquam
Dignetur, qui vix stillantes, aride, voces
Rumpis, et expellis male singultantia verba?

LYCIDAS.

Fingas plura licet; nec enim potes, improbe, vera
Exprobrare mihi, sicut tibi multa Lycotas.
Sed quid opus vana consumere tempora lite?
Ecce venit Mnasylus: erit (nisi forte recusas)
Arbiter; insta nunc non credulus, improbe, verbis.

possit coma et facie, modo non cantaret.

19. *Improbe, pares*, R. Ug. Virg. Ecl. III, 28: *Vis ergo inter nos, quid possit uterque, vicissim*, etc.

20. *Judex*, qui tam bonus judex fuisti in commissione Nictyli et Alconis. — *Calamis* Voss. parum refert. *Nostros* Burm. edit. vitiose.

21. *Manum* Ug. A. 2, seq. F. 2. *Haud nunc erit arbiter Alcon* As. — *Arbiter Alcon* quem tu tantopere laudas, quique idcirco jure mihi suspectus esse deberet, nisi multo melior essem. Ed.

22. *Vinces tu*, Dorv. a.—*Vincere tu quemquam?* Virgiliana ἔλλειψις, *Cantando tu illum?* Ecl. III, 25. Ed.

23. *Aride* R. *Arida* reliqui omnes, quos vidi. *Qui vis* Dorv. a. — *Aride*, cui *torrida vox*, ut supra Ecl. III, 59, h. e. aspera et sicca. Unde *stillantes* tantum voces, et *singultantia*, intercisa, interrupta verba. Burmannus malit *stillantes fauces*, quod sane probabile est.

24. *Rumpit* et *expellit* Dorv. c. *Mala sing*. Gr.

25. *Improbe, verbo* R. Voss. Goth. As. *verba* omnes reliqui, quod ex præcedenti versu irrepsit, sed *vera* germanum esse Titius dudum et Barth. viderunt.

26. *Lycontas* R. Voss. Goth. *Lycotas* est apud Propert. IV, 3.

28. *Recuses* Ug. A. 2, seq. F. 2. Sic Virgil. Ecl. III, 29: *ne forte recuses*. Sed *retusus* Pal.

29. *Inflatis non credulus* Dorv. a. *Insta nunc, non credimus, improbe, verbis* conj. Burm.—Nulla hic mutatione opus, quam Heins. et Burm. tentarunt, sed bona interpretatione. *Insta nunc*, h. e. insta ipse et urge,

ASTILUS.

Malueram, fateor, vel prædam nactus abire,
Quam tibi certanti partem committere vocis:
Nec tamen hoc impune feres: en adspicis illum,
Candida qui medius cubat inter lilia, cervum?
Quamvis hunc Petale mea diligat, accipe victor.
Scit frenos, scit ferre jugum, sequiturque vocantem
Credulus, et mensæ non improba porrigit ora.
Adspicis ut fruticat late caput? utque sub ipsis
Cornibus, et tereti lucent redimicula collo?
Adspicis ut niveo frons irretita capistro

ut re probem, quæ de me jactavi, *non credulus verbis*, si quidem tam difficulter verbis credis. Similiter enim hic nominativus *credulus* explicandus, ut v. 20 *judex*.

30. *Præda* F. 2. *præda victus* Ed. quam citat Tit. *prædem* vult Barth. *Malueram fateor, nec prædam nactus, abire, Quam*, etc. vel *nec præda mactus* Heinsius tentabat. *Nactus abires* D. non male. — *Vel prædam nactus*, h. e. si vel in paratum præmium incidissem, nulla contentione obtinendum, malueram tamen dimisso præmio abire, quam te dignari parte aliqua certaminis mecum ineundi. *Præda* hoc loco est res exposita et paratissima, quæ prohibente nullo cedit occupanti; ut de Roma Lucan. I, 513: *facilem venturo Cæsare prædam Ignavæ liquere manus.*

31. *Tibi partem committere vocis* interpretor tecum partiri vices cantandi, ut *dividere carmina* Horatius dicit Carm. I, 15, 15.

32. *Non tamen hoc impune feres.* Quominus et ipse quoque aliquid contra deponas; legem dat certamini, unde infra, v. 47: *Dum sciat hic se non sine pignore vinci.* Ed.

33. Vid. Excurs. primus ad calcem hujus Eclogæ.

34. *Diligat hunc mea Pectale, accipe.* Ug. Bo. Dorv.

35. *Frenos, et ferre* R. As. Pal. Goth. Dorv. a. b.

36. *Non improba*, h. e. obsequenter et blande. Gratius v. 398 de cane: *Blanditur mensis, cereremque efflagitat ore.*

37. *Fruticet* Ug. A. 2, seq. B. F. 2. Voss. Pal. Dorv. b. sed *fruticat* sequentia exigunt. *Fruticem late capit* Dorv. a. — *Fruticat*, quod proprie de arborum ramis dicitur, hic aptum cornibus cervi, quæ quasi ramos diffundunt. Unde v. 42 *ramosa tempora*, et Virgil. Ecl. VIII, 30, *ramosa cornua*; et Æn. I, 194, *Cornibus arboreis*. Vid. quoque Card. Adriani Venat. v. 87, *Arboream vertens subinde frontem*. Ed.

38. Hic et sequens versus deest in R. et Goth. *Tereti pendent redimicula* Dorv. a. Sic Ovid. Met. X, 113, de cervo Cyparissi: *Pendebant tereti gemmata monilia collo.*

39. *Frons capistro*, h. e. loris ad capistrum pertinentibus, *irretita*, *lucet* propter bullam argenteam, quæ super frontem loris vincta mo-

Lucet, et, a dorso quæ totam circuit alvum,
Alternat vitreas lateralis cingula bullas?
Cornua subtiles, ramosaque tempora molles
Implicuere rosæ, rutiloque monilia torque
Extrema cervice natant: ubi pendulus apri
Dens sedet, et nivea distinguit pectora luna.
Hunc ego, qualemcumque vides in valle, paciscor
Pendere, dum sciat hic se non sine pignore vinci.

LYCIDAS.

Terreri, Mnasyle, suo me munere credit;
Adspice, quam timeam: genus est, ut scitis, equarum
Non jugale mihi, quarum de sanguine ponam

vetur, ut dicit Ovid. Met. X, 114, quem exprimere voluit Noster.

40. *Lucet* ingrate repetitum ex v. 38; descriptio certe verbosior, et cervus oneratus magis quam ornatus. Ed.

41. *Vitreas*, quæ scilicet conveniunt pastoribus. Cyparissus apud Ovid. cervo suo argenteas indidit. Ed. — *Cingula* hominum, *cingulas* animalium esse tradunt Servius ad Virgil. Æn. IX, 360, et ex eo Isid. Orig. XX, 16. — Sic Ovid. Remed. 236: *Ut nova velocem cingula lædat equum*. Ed. — Neque tamen semper hoc discrimen observatur. —*Alternat*, alternatim in utroque latere positas habet.

42. *Sutiles* in vet. exempl. reperit Titius, quod aptissimum esset, nisi syllaba repugnaret. Corruptum videtur *subtiles*, et sub eo genus florum diversum a rosis latere. Burm.

43. *Rutilo* ad metallum referendum est, e quo plerumque fiebant torques.—*Monilia* hic vix alia videntur esse, quam quæ v. 38 jam dixit *redimicula* colli. — Vid. Claudian. de equo Honorii v. 9: *Luxurient tumido gemmata monilia collo*. Et Virg. Æn. VII, 278: *Aurea pectoribus demissa monilia pendent*. Ed.

44. *Notant* omnes, præter D. et Dorv. a. in quo *natant*, idque unice verum. *Nitent* conj. Vlit. — *Natant*, fluitant laxa. — *Ubi*, sc. in parte infima monilis pendet apri dens, forma lunulam referens. Hunc morem fuisse in torquibus brutorum, observat Schefferus de Torq. §. 13. Hinc torquem Philodemi Epigramma in Anthol. VI, 2, 1, vocat κόσμον ὀδοντοφόρον; et Statius Theb. IX, 688, de equo Parthenopæi: *nemorisque notæ sub pectore primo Jactantur niveo lunata monilia dente*. Quo loco Lactantius *nemoris notas* interpretatur signa venationis; nempe quod dens iste spolium est feræ pugnacissimæ. Apparet tamen et lunula in pectore jugalis equi, in monumento Columbarii Liviæ, tab. XI.

46. *Vides Mnasille paciscor* Dorv. a.

47. *Perdere* Pal. Dorv. a. *Non se sine* R. As. O. Goth.

49. *Quem timeam* Dorv. a. *Et scitis* Nic. Heins.

50. *Non vulgare* Dorv. a. *Nonju-*

Velocem Petason, qui gramina, matre relicta,
Nunc primum teneris libavit dentibus; illi
Pes levis, adductum latus, excelsissima cervix,
Terga sedent, micat acre caput, sine pondere cervix,
Et tornata brevi substringitur ungula cornu,
Ungula, quæ viridi sic exsultavit in arvo,
Tangeret ut fragiles, sed non curvaret aristas:
Hunc dare, si vincar, silvestria numina juro.

gale ut *quadrijugum* et talia, vel *non junctum ante*, Barth. *Non subigale* Gebh. Crepund. II, 17. *Non jugale* Buchn. ad Venant. hym. pasch. v. 29. *Conjugiale*, id est, feturam tantum exercens, Vlit. *Non venale* Burm. — *Non jugale*, etsi hoc vitiosum in syllaba, quia tamen codices nihil melius suppeditant, retinendum; h. e. quod non soleo jugo subdere, aratro aut plaustro trahendo, utpote generosum. Fortasse hoc opponere voluit dicto Astili de cervo, v. 35, *scit ferre jugum*.

51. *Veloci* R. As. Goth. Voss. *Pegasum* D. — *Petasos*, nomen a velocitate, ex πετάομαι. Nomina olim equis generosis apposita, vulgatum. — Simile Petaso nomen habebat Volucer, equus L. Veri Cæsaris, et Incitatus, equus Caligulæ; de quibus vid. Jul. Capitol. in Vero, cap. 6, et Sueton. in Caligula, c. 55. Ita apud Tassum, *Gierus. lib.* cant. VII, Stanz. LXXXV equus Raimundi ob pernicitatem dicitur *Aquilino. Aquilino, a cui diè 'l nome il corso.* Ed.

53. Hic vers. abest in R. As. Voss. Dorv. sequenti postpositus in O. — Formas speciosi equi, his similes, habes in Virgil. Georg. III, 75 seq. Grat. 497 seq. Nemes. Cyneg. 243 seq. Columella, VI, 29. — *Pes levis*, aptius Virgil. *mollia crura*. — *Adductum latus*, Virgil. *brevis alvus*.

54. *Terga sedent*, h. e. desidunt, sedendo apta; Ovid. Met. XII, 401, *tergum sessile*. — *Micat a. caput*; Virg. *Argutumque caput*, et *micat auribus*. — *Sine pondere cervix*, Virgil. *ardua cervix*; Stat. Theb. IX, 687, *Colla sedent*; Nemes. *Plurima se validos cervix resupinat in armos*. — *Micat aure, caput sine pondere curvum*, vel *cernuum*. Tò *cervix* ex præcedenti male repetitum. Vlit. Heinsius legebat, *sine pondere pernix*. An, *sine pondere venter?* Vid. Nemes. Cyn. 244. Burm. Sic Horatius, Satir. I, 2, 89: *Quod pulchræ clunes, breve quod caput, ardua cervix*. Vid. Virg. Georg. III, 79. Hic versus deerat Palatino.

55. *Ut tornata* vetus liber B. *Curvata* Dorv. *Ungula collo* Pal. — *Tornata ungula*, h. e. rotunda, modica, elegans; Ovid. de mutata in equam Ocyrhoe, Met. II, 671, *Perpetuo cornu levis ungula*.

56. *Qua viridi* Ug. A. 2, seq. F. 2. *Quæ* reliqui.

57. *Non et* B. *Si non curvaret* Dorv. a. Hic versus et 58 deest. in R. Goth. Voss. — Celebrata poetis ratio exprimendæ equorum levissimæ celeritatis. Vid. Homer. de equis Erichtonii, Iliad. Virg. Georg. III, 194; Æn. VII, 808; Claud. III, Cons. Hon. 198. — Tass. loc. cit. Stanz. LXXVII. Ed.

MNASYLUS.

Et vacat, et vestros cantus audire juvabit.
Judice me sane contendite, si libet; istic
Protinus ecce torum fecere sub ilice Musæ.
Sed, ne vicini nobis sonus obstrepat amnis,
Gramina linquamus, ripamque volubilis undæ:
Namque sub exeso raucum mihi pumice lymphæ
Respondent, et obest arguti glarea rivi.

ASTILUS.

Si placet, antra magis vicinaque saxa petamus,
Saxa, quibus viridis stillanti vellere muscus
Dependet, scopulisque cavum sinuantibus arcum
Imminet, exesa veluti testudine, concha.

MNASYLUS.

Venimus, et tacito sonitum tutabimur antro.
Seu residere libet, dabit ecce sedilia tophus:

60. *Sani*, non insani et furentes, vult Burm. *Contendere* D. *Ista* Heins. malebat.

61. *Torum fecere*, locum graminosum, ubi residere possint cantu certaturi, pararunt, commonstrant nobis. Musas quasi ministrantes sibi faciunt poetæ bucolici. Tale est illud Virgilii Ecl. III, 85: *Pierides, vitulam lectori pascite vestro.*

62. Præfigit huic HAS. et v. 66 LYC. R. Voss. et As.

63. *Umbræ* Dorv. — *Volubilis undæ*. Horat. Carm. IV, 1, v. extr. *Te per aquas, dure, volubiles;* et *amnis volubilis* Epist. I, 2, 43. Ed.

66. *Magis*, i. e. potius. Antri descriptio hic satis festiva, sed multo venustior est apud Ælianum, ib. XIII, ποικ. cap. 1. Ed.

67. *Muscus stillanti vellere* est, quia hispida quadam lanugine constat, quæ humores facile imbibit, et declivi in saxo guttatim reddit.

68. *Scrupisque* malebat Heins. — *Scopulis sinuantibus*, h. e. quum scopuli introrsum sinuati *arcum* efficiant.

69. *Imminet*, impendet fornix vel tectum, quod, exeso et scabro topho, instar conchæ striatæ est. Sic Ovid. Met. III, 159: *pumice vivo Et levibus tophis nativum duxerat arcum.* Prudent. Psychom. 873: *sinuamine subter Subductus conchæ in speciem.* — *Exesum*, Pal. *exesæ veluti testudine conchæ* malebat Heins.

70. Huic versui HAS. et 73 MN. et 79 LYC. et 81 HAS. præponitur in R. et Voss. *Sonitum mutavimus* Dorv. a. *turbabimur* Dorv. b. *sonitus ructabimus* R. As. Voss. *Hic tacito sonitum vitabimus antro* volebat Heinsius. — *Sonitum tutabimur*, defendemus, arcebimus, ut supra IV, 27, *quo tutere famem*.

Ponere seu cubitum, melior viret herba tapetis.
Nunc mihi seposita reddantur carmina lite;
Nam vicibus teneros malim cantetis amores:
Astile, tu Petalen; Lycida, tu Phyllida lauda.

LYCIDAS.

Tu modo nos illis jam nunc, Mnasyle, precamur,
Auribus excipias, quibus hunc et Acanthida nuper
Diceris in silva judex audisse Thalea.

ASTILUS.

Non equidem possum, quum provocet iste, tacere.
Rumpor enim merito: nihil hic nisi jurgia quærit.
Audiat, aut dicat, quoniam cupit; hoc mihi certe
Dulce satis fuerit, Lycidan spectare trementem,
Dum te stante palam sua crimina pallidus audit.

72. *Videt herba* Goth. *Lapillis* R. As. D. Ug. A. 2, seq. Bo. Goth. *Mediis viret herba lapillis* conj. Vlit. Sed *tapetis* habent F. 1. V. A. 1. P. —Seu placet recumbere, posito cubito, viret hic gramen, quod torum meliorem tapetis præstat. Tapetis insternere solebant toros, quibus accumbebant. Ovid. Met. XIII, 639: *Positique tapetibus altis*, h. e. toris altis, veste stragula intectis, *Munera cum liquido capiunt cerealia baccho.*

76. *Nos ipsi* As. Ug. D. Bo. A. 2, seq. Goth. Dorv.

77. *Accipias q. h. et Acontida* Dorv. a. *Acantida* Gr. T. Acanthis nomen lenæ apud Propert. IV, 5, 61. —Vid. Exc. secundus, et illius supplementum, ad calcem hujus Ecl.

78. *Thalia* R. Voss. Goth. *Thalæa* T. forte *Theloni*, quod est nomen fluminis apud Ovid. Fast. VI, 565. Tit. *Galesa* a fluvio Galeso conj. Heins.

80. *Rumpor enim et merito* conj. Burm. et sic habet D. — *Rumpor*, ira et indignatione. Virgil. Ecl. VII, 26: *invidia rumpantur ut ilia Codro.*

81. *Audiat et dicat* Tit. ex MS. *audiat aut dicat* B. Heins. legebat, *audeat; audiri quoniam cupit.*—Quoniam ita cupit, et nihil nisi jurgia quærit, accipio conditionem: audiat nunc, quæ vult, aut ipse dicat; nihil ei criminando concedam. Nec tamen inepta est Barthii lectio: *Audiat, ut dicit;* ut allusum sit ad verba Terentii, Andr. V, 4, 17: *Si mihi pergit, quæ vult, dicere, ea quæ non vult audiet.*

82. *Lycidam exspectare* Ug. A. 2, seq. N. Bo. Barth. cit. *spectare* R. F. 1. O. P. Goth. Mod.

83. *Testante* Barth. cit. et conj. *testem ante;* sed *testata palam* Vlit. *Dum te teste palam* Heins. *Dum te astante* Burm. *Sua crimina* F. 1. V. A. 1. et Tit. ex MSS. *carmina* R. Ug. Bo. A. 2, seq. Voss. Dorv. c. — *Te stante*, præsente et audiente, veluti judice, pro tribunali.

LYCIDAS.

Me, puto, vicinus Stimicon, me proximus Ægon
Hos inter frutices tacite risere volentem
Oscula cum tenero simulare virilia Mopso.

ASTILUS.

Fortior o utinam nondum Mnasylus adesset!
Efficerem, ne te quisquam tibi turpior esset.

MNASYLUS.

Quid furitis? quæ vos insania tendere jussit?
Si vicibus certare placet? sed non ego vobis
Arbiter; hoc alius possit discernere judex.
Et venit ecce Mycon, venit et vicinus Iolas:
Litibus hi vestris poterunt imponere finem.

84. *Strymicon* Gr. *Stymicon* D. persona ex Virgilii Ecl. V, translata, *Ægon* ex III. — Respondet, non purgando ante objecta, sed objiciendo alia, quod rustico more ita fieri observat Servius ad similem Maronis locum, Ecl. III, 10: *Tum credo, quum me arbustum videre Myconis*, etc.

86. *Simulare virilia*, qualia viris dantur sine ulla libidinis suspicione, quum tamen essent Venerea, ait Titius; sed Burmannus, quum essent puerilia, nec viri partes peragerent.

87. *Judex Manasyllus* R. Goth. Voss. *Abesset* conj. Vlitius.

88. *Ne te tibi quisquam* R. Voss. Goth. O. *necte* B. e G. D. V. A. 1. et Dorv. a. Imitatio est illorum Virgilii Ecl. III, 51: *Efficiam posthac, ne quemquam voce lacessas.* — Videtur pugnos minari homini, quod, ut ait Barthius, nimis rusticum est. Ed. Stat. Theb. IV, 106: *Herculea turpatus gymnade vultus.*

89. *Quid facitis* R. O. Voss. Goth. As. *Quo vos* Dorv. a. et Vlit. Virg. Æn. V, 670: *Quis furor iste novus? quo nunc, quo tenditis, inquit?* — *Tendere*, contendere l. consurgere ad pulsandum.

90. *Si vicibus*. Porro velim: *Sic vicibus*; ut Virgil. Æn. I, 253: *Sic nos in sceptra reponis?* — *Sic non* Barth. Virgil. Ecl. III, 108: *Non nostrum inter vos tantas componere lites.*

92. *Venit en vicinus* Heins.

93. *Hi nostris* Pal. — *Lis*, pugna. Ed.

EXCURSUS I

AD CALPURNIUM, ECL. VI, v. 33, sqq.

......................En adspicis illum,
Candida qui medius cubat inter lilia, cervum?

PIGNORA certaminis, a duobus pastoribus proposita, cervus mansuetus, et equus nobilis, tanta verborum ambitione et luxuria describuntur, ut poeta videatur insignibus Veterum locis, quibus eædem imagines pinguntur, imitandis exercere ingenium, et picturæ amœnitate argumentum carminis, quod propter convicia et rixas paullo tristius videbatur, exornare voluisse. Habebat earum descriptionum exemplaria sane luculenta, ut cervi apud Virgilium et Ovidium, equi item apud Virgilium, Horatium, Gratium, alios, quos sane habuisse ante oculos et exprimere voluisse, manifestum est; sed tamen non ea felicitate expressit, ut iis æquiparari mereatur. Nam dum studio imitandi provectus, non solum assequi exemplar vetus, sed superare etiam ornatu et copia vult, incidit in illud vitium, quod sæpius in Calpurnio, præsertim in descriptionibus rerum, observavimus, ut ταυτολογία, verbositate superflua, et minuta partium expositione peccet. Cervo mansueto a Marone Æn. VII, 483 seqq. descripto nihil exactius et expressius: Ovidius, Metam. X, 110, seqq. eamdem imaginem luxuriosius pingit, sed temperantior tamen est Calpurnio, qui tot ornamenta in cervum suum congerit, ut mirari subeat elegantis lautitias pastoris, et cervus ipse oneratus magis quam ornatus videatur. De equo, quem pro pignore laudat Lycidas, adhuc dubito, an recte fecerit poeta, qui eum produxerit e grege pastoris. Nam prisca illa ætate, e qua deduci carmina bucolica solent, rarus equorum usus, et nullus omnino pastoribus fuit; et agricolatio adeo, vita

pastoritia posterior, terræ arandæ non nisi boves adhibuit; neque in Bucolicis Theocriti et Virgilii ullam equorum mentionem ita memini fieri, ut peculio vel possessionibus pastorum accenseantur. Sed Calpurnius hic, ut aliis in rebus, simplicitatem pastoralem deseruit, et villicos magis, quam pastores, ex ætatis suæ moribus, instituit. Cervo omnino plus loci esse potuit in carmine bucolico: nam pastores antiqui non solum pecoris custodiam, sed et venandi studium præ se ferunt. Adonidem et pecus pascere, et feras persequi, ait Theocritus, I, 110. Apud Maronem, Ecl. III, 75, et V, 60, venationis mentio, et Ecl. VII, 29, pastor aliquis setosi caput apri, et ramosa cervi cornua Dianæ dedicat. Mansuefacti et cicuris cervi plura exempla ab antiquitate memorantur, ut Cyparissi apud Ovidium l. c. Sertorii et Mithridatis apud Plutarch. in Sertor. c. 11, et Ælian. de Animal. lib. VII, c. 46: item cervæ candidæ Capuanorum, quam captam Dianæ immolat Fulvius, dux Romanus, apud Silium Ital. XIII, 115, seqq. Gratum scilicet multis hoc bellum animal habebatur, quo condocefacto et exornato sibi delicias facerent, et pastorum maxime hoc negotium fuisse, ut cicuratos in pascuis ac tectis suis alerent, præter hunc pastoris Calpurniani, ille Tyrrhi, regii pastoris, cervus apud Virgil. Æn. VII, 483 seqq. probat, qui ab Ascanio temere interfectus belli Latini caussa et initium fuit. Nempe mulceri eos fistula pastorali et cantu, atque ubi procul audierint modulatum tibiarum sonum, accedere propius atque ita capi, scribunt Aristoteles, Hist. Anim. lib. IX, c. 5; Plutarchus de solertia Animalium, tomo X Oper. p. 10, edit. Lips.; et Plin. Hist. Nat. VIII, 32, s. 50. E Virgilii imitatione Papin. Statius Theb. VII, 564 seqq. tigres Bacchi mansuefactas finxit bello Thebano auspicium fecisse, postquam rabie recrudescente, et hominibus aliquot prostratis, telis confixæ essent.

EXCURSUS II

AD CALPURNIUM, ECL. VI, v. 77.

......quibus hunc et Acanthida nuper
Diceris in silva judex audisse Thalea.

Hoc loco valde obscuro convicium aliquod vel jocum a pastore in adversarium jaci, e responsione Astili, qui eo commotus pristinum jurgium renovat, intelligitur. Sed res oblique et parcis adeo verbis significatur, ut mirum non sit, si interpretum conjecturas adhuc valde frustrata est. De nequitiæ sensu hic cogitare, quod Barthius volebat, ineptum putat Burmannus, neque tamen ab aliis certa afferri interpretatio potuit. Hoc apparet, de jurgio vel alio negotio, quod Astilo cum Acanthide fuerit, sermonem esse, cujus nomen e Propertii libro IV, 5, 61, ut ipsum Petalæ, amicæ Astili, ex eodem lib. IV, 7, 43, sicut et Lycotæ versu 26 nominati, e Propertii lib. IV, 3, 1, sumptum esse videtur. Est autem Acanthis apud Propertium lena malefica, quam queritur incantamentis et malis consiliis impedire, quo minus ab amica recipiatur. Hoc mulierum genus a poetis bucolicis valde celebratur, ut Pharmaceutriæ Theocriti et Virgilii, et Nostri Ecl. XI, v. 62 et 69 testantur. Licet igitur, immo convenit, Acanthida Calpurnii veneficam existimare. Quo pacto credibile est, hic vel jurgium respici cum Acanthide factum, quo conquestus sit Astilus, se illius devotionibus petitum, et Petalæ, qua se macerari supra v. 9 dixerat, animum ab se aversum esse, vel ipsa intelligi carmina magica Acanthidis, quibus vel nocere Astilo, vel huic ipsi operam navare voluerit, a Mnasylo forte audita. *Silvæ Thaleæ* simul mentio fit, quod devotiones illæ plerumque in silva secretiore fiebant. Quam Thaleam hic appellari arbitror, quod iis arboribus esset consita, quarum

rami sacris adhiberi solebant, ut lauri, myrti, oleæ. Tales enim termites, qui alias verbenæ, Græcis vocantur θαλλοὶ, ut ii, qui termitem ejusmodi ad sacra ferunt, θαλλοφόροι. A θαλλὸς est θαλέω, et θάλλιος *virens*, hinc et *thalea*. Virgilius nomine *thalli* utitur in ipsa incantationis vel sacri magici, ab anu facti, enarratione, in Ciri, v. 376:

> Pergit, Amyclæo spargens altaria thallo,
> Regis Iolciacis animum defigere votis.

Et quoniam thallus de sacris magicis quasi proprie usurpatur, hinc silva Thalea videtur esse, quæ iis sacris apta et dicata est. *Virentem* latino vocabulo dicere, quamvis metro permittente, non æque licebat, ac græco ejus rei proprio, sicut Virgilius *thallum* dicere maluit, quum æque *ramum* posset. Itaque Thaleæ juxta atque Acanthidis nomen ad rem magicam spectare arbitror, atque adeo, quæ ab Astilo et Acanthide dicuntur acta in silva Thalea et Mnasylo audita, ad devotiones magicas, poetis bucolicis valde celebratas, pertinere. Qua ratione obscura et insolens Thaleæ appellatio paullo melius declarari videtur, quam aliis, quas hactenus docti viri attulerunt, conjecturis. Si quis tamen nec hanc satis probabilem explicationem existimet, optimum factu esse puto, habere Thaleam pro silva quadam Siciliæ, siquidem hic loquitur pastor Siculus, dicta ab nympha Thalia, quam fabulæ veteres narrabant juxta Symæthum, Siciliæ fluvium, a Jove compressam, duo infantes, Palicos, edidisse; vid. Macrob. Sat. V, 19. Et ad Symæthum celebrem fuisse lucum innuit Virg. Æn. IX, 584, quem a nympha Thalia nominatum suspicari possumus. Vide sequens supplementum.

SUPPLEMENTUM

EXCURSUS II

DE VOCE *THALEA*, CALPURN. ECL. VI, v. 77.

Postquam hunc locum perquam obscurum repetita accurataque consideratione multum versavi atque perpendi, intellexi interpretationem ejus ab *silvæ Thaliæ* notitia præcipue pendere, ex eaque inventa nunc mihi videor maxime probabilem convicii a pastore facti significationem eruisse. Nam omnino videtur Calpurnius, silvam Thaleam nominando, rem aliquam memorabilem, et tanquam notam Siciliæ, patriæ suæ, peculiarem designare voluisse, quemadmodum Ecl. IX, 57, cum monte Eryce fecit, qua satis cognita res ipsa, de qua hic sermo est, facile intelligi posset. Erat autem Thalia celeberrima nympha Siciliæ, quæ et Ætna dicitur, Vulcani, sive, ut alii volunt, Oceani, ut alii, Cæli et Terræ filia (vid. Dorvillii Sicula, cap. 14, pag. 246), mater Palicorum fratrum, quorum templum vetustissimum non procul a Symætho fluvio, ubi editi ferebantur, exstabat, juxtaque crateres vel lacus quidam, breves quidem, sed immensum profundi, aquarum ferventium scaturigine semper ebullientes, quos incolæ nomine *dellos* appellabant, ad quos solennia jurajuranda fiebant, insigni et memorabili miraculo, et numine Palicorum inprimis efficaci. Describunt illud luculente Aristoteles de Mirab. Auscult. n. 55; Diodorus Sic. lib. XI, cap. 89; Macrobius Saturn. V, 19; Steph. Byzant. voce Παλική· et breviter Silius Ital. lib. XIV, 220:

> Et qui præsenti domitant perjura Palici
> Pectora supplicio.

Mentionem etiam lacus Palicorum injicit Ovidius, Metam. V, 406, et de Pont. II, 10, 25. Nullum dubium est, juxta,

vel circa templum Palicorum et dictos lacus silvam fuisse, quæ a nympha Thalia vocaretur, esseque eum lucum, quem Virgilii vulgares editiones, Æn. IX, 584, *Martis;* sed Macrobius, eum Virgilii locum exponens, conspirantibus quibusdam codicibus, rectius *Matris lucum* nominat; Matrem autem hic intelligi non Cererem Ennæam, ut forte quidam opinentur, sed Thaliam nympham, Deam ἐγχώριον, quæ iis locis, ubi maxima veneratio Palicorum erat, Mater κατ' ἐξοχὴν, nempe Palicorum, vocabatur. Ad eos lacus, atque adeo in silva Thalia, Macrobius narrat jusjurandum esse exactum, si furti negati, vel ejusmodi rei fides quæreretur, adductosque eos, qui litigarent, ad crateras, accepto prius fidejussore a persona, quæ juratura esset, de solvendo eo quod peteretur; tum numine loci invocato juratorem, si vere jurasset, discessisse illæsum; si falso, in lacu amisisse vitam; sive, ut Aristoteles scribit, perjurum igne correptum. Diodorus etiam certos amicos et arbitros adhibitos esse memorat, qui disceptatores adducerent, litem componerent, et jurejurando de conventis adigerent. Quum igitur Thalia silva vix melius, quam de silva et lacu Palicorum possit intelligi, et jusjurandum apud eos exactum plerumque de furto negato fuerit, fidejussores etiam aut arbitri vel judices adhibiti dicantur; sane locus Calpurnii eximiam inde lucem accipit, et apparet significari a Lycida, litem Astilo fuisse cum Acanthide ob furtum commissum, in eaque judicem adhibitum Mnasylum, et Astilum convictum esse, quod fortasse jurare timuerit. Frequenter pastores in bucolicis carminibus solent invicem crimen furti objicere, ut videre est apud Virgil. Ecl. III, 10 seqq. e quo loco ipsum hoc litigium ductum est, et apud Nostrum Ecl. III, 73 et 82. Hoc loco crimen illud Calpurnius solo silvæ Thaleæ nomine significat, propterea quod in Sicilia ea silva ob frequens judicium furti celeberrima erat, et fortasse in proverbium abierat, ut, qui furti reus vel suspectus esset, is in silva Thalea auditus diceretur. His disputatis, facile lector intelliget, loco Virgiliano, quem supra produxi, novam lucem e Calpurniano, quem comparavi, accedere, et *lucum Ma-*

tris in Sicilia, a Virgilio appellatum, vix alium haberi posse, quam lucum Thaliæ, Nymphæ Siculæ, vel, uti Calpurnius appellat, *silvam Thaleam*. Et poterat hoc, si propositi ratio tulisset, amplius ex ipso Virgilio demonstrari, qui ubi lucum Matris esse dicit *circum Symæthia flumina*, et *ubi ara Palici*, manifeste eam regionem designat, quæ Thaliæ Palicorum matri sacra erat. Hæc autem sententia mea, etsi suis satis defensa auctoribus, nescio quod fatum sinistrum experta est in Heynii, viri clarissimi, annotatione ad Æneida, lib. IX, v. 584 (1), ubi, tacito Calpurnii loco, qui ejus fundus est, præter rationem ita exornatur simul et extenuatur, ut in fabellam et commentum ingenii abeat. Nam quæ ipse non nisi e certis auctoribus, Calpurnio, Macrobio, ipsoque Virgilio deduxi, hæc ibi quasi solo ficta ingenio, et sine auctore prodita dicuntur; contra adduntur alia sine auctore, quorum mihi nihil in mentem venit, nihil ad rem meam pertinebat, quale est illud de Thalia Arcenti iterum nupta. Ego vero discutiendis iis operam insumere non necessarium duco, quum quæ aliena a sensu meo ibi dicta sunt, ipsa disputationis meæ lectione refutentur; quam igitur, lectores meos rogo, ut cum Heyniana annotatione conferant.

(1) Vid. nostra Ed. Virgil. tom. IV, p. 58. Ed.

ECLOGA VII.

TEMPLUM.

ARGUMENTUM.

Corydon pastor, ab Urbe, ubi diu commoratus fuerat, ad silvas et pascua sua rediens, Lycotæ sodali suo caussam diuturnæ absentiæ, et quæ in Urbe viderit miranda, ad exemplum Tityri Virgiliani exponit, et longam narrationem de venatione, quam Cæsar in amphitheatro ediderit, de ejus forma totoque apparatu, et feris exhibitis, ipso denique Cæsare a se conspecto, texit. Argumentum itaque plane urbanum, et a natura carminis pastoralis valde sejunctum est, et, si paucas imagines a rure et ruris instrumentis sumptas excipias, nihil fere habet, quod conditionem vitæ pastoritiæ attingat. Meliore judicio Sal. Gesnerus in simili Idyllio, *Menalcas et Æschines venator,* usus est, ubi Æschines quidem pastori opes, artes et lautitias urbis recenset et commendat, sed ita, ut pastor his omnibus cognitis simplices et inemptas ruris delicias præferat. Propterea tamen præstantioribus Calpurnii Eclogis hanc septimam accensere non dubitem : nam argumento electo, in quo maxime locus laudandi Cæsaris et sui commendandi esset, nomine etiam Corydonis usurpato, quo in pari materia Ecloga I et IV ad se signandum usus erat, videtur hoc carmine gratiam captasse Cæsaris, in eoque elaborando non mediocrem operam posuisse. Quod pastorem rure viventem, et Urbis ignarum, inducit spectacula amphitheatri enarrantem, facit hoc ad luculentiorem hujus argumenti expositionem. Namque ille, quum ignota omnia et nunquam sibi visa mirabundus spectat, singula perlustrat diligentius, et per partes ostiatimque persequitur, atque adeo multo curatius describit, quam scriptor urbanus, qui spectacula et ludos publicos, quasi quotidiana et plurimis visa, vix paucis verbis indicat. Itaque illustris plane hic locus Calpurnii de amphitreatro Romano, quo non alius luculentior in antiquitate exstat, ab eruditis viris, qui hanc partem attigerunt, Lipsio, Panvinio, Bulengero, Salmasio, Spanhemio, Cupero, aliisque multum versatus et excussus est.

Vocabulum TEMPLUM, quod antiquitus huic Eclogæ a stolido literatore præfixum est, multos lectores offendit. Duacense Trognæsii exemplar hic in margine notatum habet: *potius amphitheatrum ;* sed hoc est ex notis Pithœi sumptum. Alius vir doctus, cujus manum in Tigurinæ editionis margine vidit Burmannus, censuit illud *Templum* ab imperito librario factum esse ex *Theatrum.* Sed hic potius inscitia hominis, qui titulos istos invenit, accusanda est. Hic antiquitatum Romanarum, ludorum præsertim et venationum, plane ignarus, quid rei hoc carmine describeretur, nescivit; finxit tantum ipse sibi aliquid e versibus aliquot Eclogæ, quos intelligere sibi videbatur, atque ex ætatis suæ ritibus interpretari poterat. Videbat sermonem esse de magna aliqua mole ædificii, versu 23, seqq. videbat versu 25 memorari *Divos lene jacentes* (sic enim editiones antiquiores fere omnes habent), denique legebat v. 26:

> Venimus ad sedes, ubi pulla sordida veste
> Inter femineas spectabat turba cathedras.

Hic plane imaginabatur templum describi, quale Christianorum visitur, ubi multa hominum et sordida turba convenit, feminæ suis consident sedilibus, quædam etiam Divorum, scilicet Sanctorum statuæ visuntur. Igitur, quod melius nihil inveniebat, inscribebat *Templum.* De tempore, quo editi, et a quo Cæsare, fuerint ludi, qui a Calpurnio describuntur, varia est eruditorum disputatio. Lipsius de Amphith. Scaliger in Animadvers. ad Euseb. Tristanus Comment. histor. tom. III, p. 313, a solo Carino editos existimant: Vlitius ad Nemes. Cyneg. v. 65, et Salmasius ad Vopisci Carin. c. 19, a Caro Imp. et filiis Cæsaribus Carino et Numeriano: quibus sententiis tertiam adjungit Cuperus, de Eleph. exercit. II, cap. 8, et commissos hos ludos ait a Caro et Numeriano tum, quum profecturi una in expeditionem Persicam essent, Carino absente et ad Galliam tuendam a patre misso. Et quidem recte referri eos ludos ad illud tempus quo Carus imperium, filiis Cæsaribus nominatis, tenuit, nemo negat. De hoc enim affirmat Vopiscus l. c. : *Memorabile maxime Cari et Carini et Numeriani hoc habuit imperium, quod ludos Romanos novis ornatos spectaculis dederunt.* Et paullo post de iisdem prædicat, *multum placuisse Principes illos caussa ludorum theatralium, ludorumque circensium.* Unde Calpurnius tum maxime probabilem et gratam Cæsari laudando materiam arri-

puit. Jam si de auctoritate et nomine quæritur, quo editi ludi sunt, facile dederim e Salmasio, nomine ipsius Cari et filiorum editos esse; at si, quis horum præsens ediderit, et præsederit ludis, quæratur potius, tum ex ipso Calpurnii carmine satis apparere arbitror, Carinum solum præsedisse. Diserte enim spectacula laudat v. 6, *quæ patula juvenis Deus edit arena.* Quibus verbis etsi Numerianum etiam significare potuit eo quod Ecloga I et IV liberos Cari, Cæsares a patre nuncupatos, *juvenes* appellet, eoque nomine a Caro Imperatore distinguat, hic tamen Carinum intelligendum, Cari historia et temporis ratio evincit. Nam Carum, Vopiscus c. 7 narrat, ubi primum accepisset imperium, bellum Persicum aggressum esse, ita quidem ut Carinum ad Gallias tuendas destinaret, Numerianum secum duceret. Hic Carum, devictis prius Sarmatis, Romam rediisse, ibique antequam in Persas iret, cum Numeriano ludos edidisse, absente in Galliis Carino, Cuperus nullo auctore sumit. Carinus potius Romæ fuit, et, Caro Numerianoque in Persia agentibus, ludos fecisse Romæ censendus est. Nam quod Carinus primum in Galliam missus est, quis inde colligat, toto tempore expeditionis Persicæ eum Romam non venisse? Hunc potius Vopiscus alio loco, c. 16, scribit, *decretis ut Cæsari Galliis atque Italia, Illyrico, Hispaniis ac Britanniis et Africa, relictum a patre Cæsarianum imperium tenuisse;* et Georgius Syncellus in Chronographia tradit, eum a patre in Persas moturo Romæ relictum, et gravem Romanis fuisse. Totum igitur Occidentis, et Italiæ præsertim, imperium qui teneret, absente patre, qui fieri potuit, ut Romæ nunquam esset? Præterea pastor Calpurnianus, actis Romæ ludis, unum tantum Cæsarum se conspexisse, testatur in fine Eclogæ:

> ......utcumque tamen conspeximus ipsum
> Longius, ac, nisi me decepit visus, in uno
> Et Martis vultus et Apollinis esse putavi.

Falso hic Cuperus vitiosam quorumdam codicum lectionem *utrumque* arripit, ut Carum cum Numeriano indicari probet: nam *utcumque* meliorum pluriumque codicum auctoritate firmatur, et ad sententiæ continuationem plane necessarium est. Longius quidem, pastor, quum in extremis gradibus consisteret, se dicit abfuisse, quam ut Cæsarem spectaculo præsidentem recte cernere posset, vidisse tamen ipsum *utcumque*, h. e.

quomodocumque et quantum potuerit. Unus autem hic Cæsar, quem vidit pastor, Numerianus fuisse non potuit, qui quando Romæ fuit, non sine patre fuit, et postquam in Orientem profectus est, inde nunquam rediit. Carinus igitur fuit, qui absente patre solus regnavit Romæ. Nihil plane huic sententiæ officit, quod poeta paullo ante plurali numero loquitur : *dic, Corydon, quæ sit modo forma Deorum*, et v. 81, *vidissem propius mea numina*. Loquitur enim poetarum more, et intelligit genus Deorum, non plures, quemadmodum et Tityrus Virgilianus, Ecl. I, v. 42, *præsentes Divos* Romæ se cognovisse dicit, licet alibi Deum, Augustum, nominet. His satis, ut puto, approbatis, reliquum est ut statuamus, ludos, quos laudat Calpurnius, Romæ actos, ipsamque hanc Eclogam scriptam esse anno altero imperii Cari, a C. N. 284, quum Carus et Numerianus bello Persico occupati in Oriente agerent, et inde victoria nuntiata, saltem bellum feliciter profligatum esset.

LYCOTAS, CORYDON*.

LYCOTAS.

Lentus ab Urbe venis, Corydon; vigesima certe
Nox fuit, ut nostræ cupiunt te cernere silvæ,
Et tua mœrentes exspectant jubila tauri.

CORYDON.

O piger, et duro jam durior axe, Lycota,
Qui veteres fagos, nova quam spectacula, mavis
Cernere, quæ patula juvenis Deus edit arena!

LYCOTAS.

Mirabar, quæ caussa foret tibi tanta morandi,

* TEMPLUM præscribit F. 1. et P. AMPHITHEATRUM mavult Pithœus, idque etiam Duacensis editio 1632 in margine adscribit. *In hac Ecloga tractatur magnificentia Urbis et ludorum Imperatoris* R. LYCORAS D. et Ug. semper. *Lycotam* etiam Propert. habet, IV, 3. Vid. et Ecl. VI, v. 26 supra.

1. *Vicesima* Goth. O. Dorv. a. — *Vigesima nox*, h. e. dies, quia Romani a media nocte dies numerare incipiunt, teste Varrone apud Gell. III, 2.—Et in lib. Rer. Hum. « Homines qui ex media nocte ad proxime mediam noctem....nati sunt, uno die nati dicuntur ». Ed. — Aliter Ecl. I, 77.

2. *Nox ruit* malebat Heins. *te visere* Voss. — *Silva*, silvarum incolæ.

3. *Ut tua* Dorv. a. — Pro *jubila* Heinsius maluit *sibila*, minus recte. *Sibila pastoria*, ut ex Ovid. Metam. XIII, 784 videre est, fiunt fistula; *jubila* voces pastorum, tauris hortandis et increpandis. Conf. Ecl. I, 30, et IV, 45.

4. *O piger*, hebes, stultus, ita enim exponit Servius voc. *tardus*. Virg. *tardi venere bubulci*. Ed. — *O duro* Ug. A. 2, seq. — *Axe* Ug. A. 2, seq. *Non mollior axe* Dorv. a. *ore* F. 1. V. A. 1. G. B. *osse* R. O. P. *Durior ære* malebat Heins. — *Axe* hic merito prætulimus cum Burmanno: quoniam ex ilice, vel alio ligno durissimo, fiebant axes, vid. Plin. XVI, 43, et rustici maxime plaustris utebantur, hinc aptius rustico est *axe*, quam *ore* vel *osse*. Similis comparatio infra, v. 56, dentis magni cum aratro.

5. *Veteres fagos* sumptum ex Virg. Ecl. III, 12: facete his opponuntur *nova spectacula*,

6. *Munus Deus* D. — *Juvenis Deus*. Carinum intelligendum probavimus in Argum. — *Ardet arena* Goth. Pal. Dorv. b. c. R. As. f. *audet* Vlit.

7. *Quæ tanta foret tibi caussa* R.

Cur tua cessaret taciturnis fistula silvis,
Et solus Stimicon caneret pallente corymbo;
Quem sine te mœsti tenero donavimus hædo.
Nam, dum lentus abes, lustravit ovilia Thyrsis,
Jussit et arguta juvenes certare cicuta.

CORYDON.

Scilicet invictus Stimicon, et præmia dives
Auferat, accepto non solum gaudeat hædo,
Verum tota ferat, quæ lustrat ovilia Thyrsis:
Non tamen æquabit mea gaudia; nec mihi, si quis
Omnia Lucanæ donet pecuaria silvæ,
Grata magis fuerint, quam quæ spectamus in Urbe.

LYCOTAS.

Dic age, dic Corydon, nec nostras invidus aures
Despice: non aliter certe mihi dulce loquere,

As. O. Goth. Voss. Dorv. a. — Virg. Ecl. I, 27, « et quæ tanta fuit, etc. » Ed.

9. *Stymicon* R. Voss. Ug. A. 2, seq. semper. — *Caneret pallente corymbo* insolens et ἄκυρον videtur. Fortasse volebat *pallente cicuta* l. *canali*, ut Ecl. IV, 20 et 75, X, 13, et imprudenti occurrebat *corymbo* ex versu Virg. Ecl. III, 39, et Culic. 404. Nisi intelligere malis redimitum corymbo, atque hoc ornatu canentem, quia carmine certantes hedera ornari solebant. Virg. Ecl. VII, v. 26. — *Fallente corymbo* R. Pal. Voss. Goth. Dorv. b. *palante* mal. Heinsius.

10. *Sine te mœsti;* ἐλλειπτικῶς; *mœsti* quia *sine te*, non quia hædo donaverimus. Ed. — *Tenero*, recens nato, qualem significat Horatius Carm. III, 13, 3. Ed.

11. *Dum lentus abes*, dum diu cessas reverti. Ovid. Remed. v. 243: *Nec satis esse puta discedere, lentus abesto.* Varias *lenti* significationes exhibuit Scioppius, Verisimil. lib. III, c. 14: hanc tamen non attigit. Add. Propert. III, 22, 12: *Irascor, quoniam es, lente, moratus heri.* Ed. — *Lustravit ovilia:* greges de more purgavit. Ed. — *Thyrsus* R. Goth. et sic deinde.

12. *Jussit certare*, dum lustrat ovilia; quia in lustratione gregis, ut in Palilibus, vel sacro ambarvali, plures conveniebant pastores.

13. *Sit licet* vult Barth. et Burm. *Scilicet* omnes. *Invitis Stimicon, ut præmia Divis Auferat, accepto nec solum* tentabat Heins. *Nec solum* cum Heinsio probat Burm. — *Dives auferat*, h. e. inde dives futurus; sic Ecl. VI, 29: *insta nunc, non credulus, improbe, verbis.*

15. *Tuta* R. Goth. Pal. As.

17. Lucania silvis et pascuis frequens. Horat. Epist. II, 277, et Epod. I, 28.

18. *Spectavimus Urbe* Nic. Heins.

Quam certare soles, quoties ad sacra vocatur
Aut fecunda Pales, aut pastoralis Apollo.

CORYDON.

Vidimus in cælum trabibus spectacula textis
Surgere, Tarpeium prope despectantia culmen,
Immensosque gradus, et clivos lene jacentes.
Venimus ad sedes, ubi pulla sordida veste
Inter femineas spectabat turba cathedras.

21. *Cantare* legebat Gudius, et sic Dorv. a. *Solet* R. Goth. Dorv. a. b. Pal. Voss. *Solent quoties ad sacra vocantur* Ug. F. 1. A. 1. A. 2. Bo. F. 2. T. — *Quoties ad sacra;* in solennibus pastorum sacris, quibus certamina cantus inire solebant.

22. *Facunda* Pal. Dorv. b. *Secunda* Ug. — *Pastoralis.* Ut Pales pascentium, sic Apollo pastoralis, Græcis Νόμιος, a pastione cantantium pastorum peculiaris tutela, quod ipse olim Admeti greges pascens fistula pastorali se solatus erat. Vid. Ov. Met. II, 684; Callim. Hym. in Apoll. 47; Macrob. Saturn. lib. I, et Serv. ad Virg. Ecl. V, 35; Noster Ecl. IX, 55. — Sed vocat quoque *ruralem* Ecl. VIII, 65. Ed.

23. *Spectacula*, h. e. amphitheatrum, in quo eduntur spectacula. E sola materia lignea confectum, noli ex hoc loco colligere. Pastor pro captu et opinione sua describit. — Lignea tamen ea fuisse non solum temporaria, sed perpetuo etiam mansura constat, tum ex aliis, tum præsertim ex Corn. Tacito, Annal. IV, 62, qui Fidenatis Placentini quoque lignei amphitheatri meminit; et M. Scauri amphitheatrum memorat Plinius. Ed. — De altitudine ejus non nimium dixit, quam tantam esse ait Ammianus, *ut ad ejus summitatem ægre visio humana conscendat.*

25. *Divos* R. As. Ug. A. 2, et plures alii. *clivos* F. 1. V. A. 1. T. O. P. Mod. Lips. Barth. — *Clivo* assimilatur moles amphitheatri pedetentim et per gradus in altum excrescens. — *Jacentes* ut v. 31 *resupinæ silvæ*, et apud Hor. Carm. I, 17, *Usticæ cubantis lævia saxa*, ubi fortasse et *lenia* legendum. Nam *lene*, h. l. opponitur præcipiti, aspero, pendenti. Livius V, 24: *lenis ab tergo clivus erat.* Plura vide ab Oudendorpio congesta ad Lucan. IV, 11.

26. *Ad sedes*, in summam caveam ascendimus, unde pullatorum turbam cum feminis spectare jussit Augustus, teste Suet. c. 44. Hunc locum tectum fuisse, versus 28 declarat. — *Pullas* Lipsius Elect. I, 13, vocat omnes plebeias vestes, lacernas et pænulas, quia togæ proprius color albus erat; et Noster v. 29 *niveos tribunos* dicit.

27. *Cathedræ*, quæ alias sellæ femineæ sunt, vid. Mart. XII, 38, hoc loco ipsam sessionem vel seriem mulierum sedentium notant, non quasi mulieres sellas suas in theatrum attulerint; quamquam hoc fortasse colligatur ex Juven. VI, 353. Eodem sensu *sellas virorum* dicit Mart. Epist. V, 14, 4.

Nam quæcumque patent sub aperto libera cælo,
Aut eques, aut nivei loca densavere tribuni.
Qualiter hæc patulum contendit vallis in orbem,
Et sinuata latus, resupinis undique silvis,
Inter continuos curvatur concava montes;
Sic tibi planitiem curvæ sinus ambit arenæ,
Et geminis medium se molibus alligat ovum.
Quid tibi nunc referam, quæ vix suffecimus ipsi
Per partes spectare suas? sic undique fulgor
Percussit; stabam defixus, et ore patenti,
Cunctaque mirabar, necdum bona singula noram.

28. *Petent* exhibet Ug. *Petant* B.

29. *Densa habuere* volebat Heins. — Intelligit Equestria, sive XIV gradus. — *Nivei*, quia togati, et diversi a pullata turba. — *Tribuni* militares, qui jus habebant in quatuordecim sedendi. Vid. Ovid. Fast. IV, 383, et Lips. de Amph. c. 14.

30. *Concedit vallis* Dorv. a. — *Contendit*, hoc est, porrigitur, procurrit. Formam amphitheatri, ut rusticus bene capiat, comparat cum valle ista, in qua colloquuntur, silvis et montibus cincta. Frequens hæc comparatio poetis. Vid. Senec. Troad. 1123; Stat. Theb. VI, 255; Auson. Mos. 156. Ipsam caveam Circi *cavam vallem* dicit Claud. VI Cons. Hon. 615 et 620.

31. *Resupinis undique silvis*, acclivibus; quo modo Horatius *Tibur supinum* appellat, Carm. III, 4, 23. Vid. annot. ad v. 25. Ed.

32. Hic versus cum duobus sequentibus desunt in R. As. D. N. Pal. Voss. Goth.

33. *Sic ibi* Dorv. a. b. c. Bart. et Nic. Heins. — *Sinus*, h. e. sinuatus et circumductus clivus theatri ambit *planitiem* subjectam, quæ *arena* dicitur. — Ammian. Marcell. XXI, 10: *camporum planities resupina et panda*. Lactant. in Phœn. v. 5: *Planities tractus diffudit apertos*. Ed. — *Tibi* παρέλκει et rei communicandæ servit.

34. *Geminæ moles* sunt duo theatra, quæ uti per se semicirculi formam habent, ita conjuncta amphitheatrum efficiunt in formam ovi. Vid. Lips. l. c. cap. 8. Sic Statius Silv. III, 5, 91: *Et geminam molem nudi tectique theatri*.

35. *Non suffecimus* Dorv.

36. *Is me undique* As.

37. *Stabam defixus*. Val. Flacc. V, 639: *Stant ora metu, nec fessa recedunt Lumina*. — *Ore patenti*, h. e. hianti. Lucret. I, 36: *Pascit amore avidos inhians in te, Dea, vultus*. — Observat Petr. Scriverius in Anecd. Philolog. num. 73, ritum fuisse standi in theatro, ubi quid mire ad gustum agebatur et placebat. Propert. III, 16, 18: *I nunc, tolle animos, et tecum finge triumphos, Stantiaque in plausum tota theatra juvent*. Ed.

38. *Necdum bene singula* Heins. *nec enim nova singula* Burm. Virg. Georg. II, 448, *sua si bona norint*. — *Necdum* hæc per partes considerave-

Tum mihi, tunc senior lateri qui forte sinistro
Junctus erat, quid te stupefactum, rustice, dixit,
Ad tantas miraris opes, qui nescius auri,
Sordida tecta, casas, et sola mapalia nosti?
En ego tam tremulus, tam vertice canus, et ista
Factus in Urbe senex, stupeo tamen omnia: certe
Vilia sunt nobis, quæcumque prioribus annis
Vidimus, et sordet, quidquid spectavimus olim.
Balteus en gemmis, en illita porticus auro
Certatim radiant; nec non, ubi finis arenæ
Proxima marmoreo peragit spectacula muro;
Sternitur adjunctis ebur admirabile truncis,

ram, ut, quid in singulis boni esset, nossem. — *Bona* sæpe sunt res delectabiles, electæ, mirandæ. Petron. c. 33: *Hic nescio quid boni debet inesse.*

39. *Tu mihi dum* R. Voss. Goth. *Tum mihi tum senior* Dorv. a. b. c. *Dum senior* F. 1. V. A. 1. O. *Quum mihi, qui senior latere tum forte sinistro* Burm. — Similiter Naso *seniorem contiguumque loco* in spectaculis secum colloquentem inducit Fast. IV, 378. — *Tunc senior*, optimum videtur, legere, juvante edit. Ug.

40. *Quid me* R. As. Goth. Pal. Voss. f. *quid tu stupefactus*. Vlit.

41. *Mireris* R. Voss. Goth. Dorv. Heinsius tentaverat *quo te stupefactum, rustice, dixit? Quid tantas miraris opes?* Sed Burmann. *Ad tantas non mirer opes*. Recte se habere videtur vulgata, et *ad tantas* pendet a *stupefactum*.

42. *Tesqua* vult Burm. *Dabas* pro *casas* R. Voss. Goth. *vides* As.

43. *Jam tremulus* Dorv. a.

47. *Balteum* Lipsius, c. 13, accipit de gradu quodam latiore altioreque in discriminibus orchestræ, equestrium et popularium, qui reliquos minores veluti præcingeret. *Præcinctionem* Vitruvius vocat. Hic lapide pretioso instratus videtur. — *Porticum* Vitruvius dicit in summa gradatione, tectam, e qua tenuiores spectabant.

48. *Ubi finis arenæ.* Sensus est: ubi extrema pars arenæ est, et, quæ peraguntur spectacula, proxima sunt muro marmoreo, qui sedilia præcingit.

49. *Spectacula* nempe hoc loco sunt ipsæ venationes, quæ spectantur. Quod de locis et sedibus, e quibus spectatur, accipiebat Burmannus, hinc concoquere illud *spectacula peragere* non poterat.

49. *Peragat* Dorv. *præbet* Dorv. a.

50. Dicuntur ante murum illum marmoreum fuisse *trunci*, *strati* vel inducti *ebore*, vel laminis eboreis, iique coeuntes in rutulum, qui facile volvebatur circa axem, ut si feræ adsilientes injicere ungues vellent, glabritie eboris et volubilitate axis excuterentur. *Rutulum* Salmasii facile admittit scriptura codicum; *rotulam*, quia notius est, nec incon-

Et coit in rutulum, tereti qua lubricus axe
Impositos subita vertigine falleret ungues,
Excuteretque feras; auro quoque torta refulgent
Retia, quæ totis in arenam dentibus exstant,
Dentibus æquatis, et erat (mihi crede, Lycota,
Si qua fides) nostro dens longior omnis aratro.
Ordine quid referam? vidi genus omne ferarum,
Hic niveos lepores, et non sine cornibus apros,
Manticoram, silvis etiam quibus editur, Alcen

veniens, substituerunt alii; sed minus ei respondet, quod sequitur, *lubricus*.

51. *In rutilum* habent veteres edd. *pluteum: teres hic, quo lub.* B. *cogit in rotulam, tereti qui lubricus* Dorv. a. *rotulam teretem, vel ruplum* Lips. ex glossis: *ruplus*, στροφεὺς γαλεάγρας. Cl. Salmasius ibi legit *rutlus*, et hic *rutulum, tereti qui lubricus axe;* et late exponit ad Vop. Prob. cap. 19; et Exerc. Plin. p. 167. *In rutulam.* O. *Axem* Ug. F. 1, seq. A. 2, seq. Bo. *Angues* Dorv. a. Vers. 52, 53, 54 desunt in R. As. D. Q. N. Pal. Goth.

52. *Subita vertigine.* Hinc theatrum sive theatri partem aliquam versatilem fuisse intelligit Titius, cujusmodi C. Curionis et M. Scauri theatrum a Plinio describitur. Sed hoc refellit not. 50. Ed.

53. *Auro torta retia* muro illo marmoreo prætenta erant ad feras excipiendas. Similem per luxum retia arcendis feris podium protegentia succino nodata esse, quodam munere Neronis scribit Plin. XXXVII.

54. *Quæ exstant*, prominent et propendent *in arenam*, *totis*, h. e. integris et magnis elephantorum *dentibus*, summo muro affixis, suspensa. Hi dentes erant *æquati*, h. e. æquali magnitudine per intervalla dispositi. Ovid. Met. VIII, 288, de apro Calyd. *dentes æquantur dentibus Indis.*

55. *Dentibus auratis* conj. Vlit.

56. *Aratra* cum quibus hic comparantur dentes elephanti, ipsa vocantur *dentes* poetis. Lucanus, lib. VII, 859: *Pluraque ruricolis feriuntur dentibus ossa;* et Virgil. Georg. I, 172, de aratro: *duplici aptantur dentalia dorso.* Ed.

58. *Nivei lepores* rari, hinc spectaculo digni. Plinius refert, candidos lepores in Alpibus visi, lib. VIII, 55. Idem, cornutos apros inveniri in India, VIII, 52.

59. *Hic raram silvis* Dorv. a. *Aut ursam in* D. Q. *Nycticanam* R. As. Goth. Voss. Dorv. b. *Manticoram rigidam, et silvis quibus* O. *Manticoram silvis cinctam quibus*, leg. Barth. ad Claud. Cons. Mall. 293. Spanh. *Manticoram, et silvis etiam, quibus editur, Alcen.* et Hercyniam silvam intelligit. Burm. — *Mantichoram*, sic enim rectius scribitur, e Ctesia Cnidio descripsit Aristot. lib. II de Anim. c. 11, et ex hoc Plinius VIII, 21; Ælian. IV, 21; Photius Cod. 73. Nomen ejus Indicum dicunt Græca lingua notare ἀνθρωποφάγον. Pausanias Bœot. c. 21, non aliam esse,

Vidimus, et tauros, quibus aut cervice levata
Deformis scapulis torus eminet, aut quibus hirtæ
Jactantur per colla jubæ, quibus aspera mento
Barba jacet, tremulisque rigent palearia setis.
Non solum nobis silvestria cernere monstra
Contigit; æquoreos ego cum certantibus ursis
Spectavi vitulos, et equorum nomine dignum,
Sed deforme pecus, quod in illo nascitur amni,
Qui sata riparum venientibus irrigat undis.
Ah! trepidi quoties nos descendentis arenæ

quam tigridem, et, quæ de ea narrentur, pleraque fabulosa esse putat. — *Alcen* plures, quamquam paullo diverse, descripsere, Cæsar Bell. Gall. VI, 27; Plin. VIII, 15; Paus. l. c. Vid. Spanhem. de pr. num. diss. IV, p. 197.

60. *Cervice levata.* Hæc descriptio sane tauris Syriacis convenit, vid. nota ad vers. sequentem; sed forte etiam camelis aut camelopardis: conf. Dio, XLIII; Plin. VIII, 18; Strabo, XVI. Ed.

61. *Scopulis* Dorv. Pal. — *Deformis scapulis torus eminet.* Tauros Syriacos aut Caricos intelligere videtur, de quibus Plinius, lib. VIII, c. 45: *Syriacis non sunt palearia, sed gibber in dorso. Carici quoque in parte Asiæ fœdi visu, tubere super armos a cervicibus eminente.*

62. *Per colla jubæ.* Describit bisontes jubatos, ut appellat Plin. VIII, 15, genus boum silvestrium et ferorum, hirta jubarum densitate deforme, quos cum uris, ejusdem generis, sæpe conjunctos et in spectaculis exhibitos legimus. Seneca Hippol. v. 64; Martial. Spect. 23, 4; I, 105, 8. Falluntur, qui cervi figura esse, et a Cæsare Bell. Gall. VI, 26, describi putant. — *Quis aspera* R. Pal. Voss. Dorv. b. c. Virgil. Æn. VI, *cui plurima mento Canities inculta jacet.*

66. *Nomine dictum* conj. Vlit. et sic Dorv. a. — Phocas designat, quas vitulos marinos dixerunt, quia vocem edant bovis voci persimilem. Post Aristotelem de iis exponunt Plin. IX, 13, et Ælian. IX, 9 et 50. Cum ursis hic commissas memorat. — *Equorum nomine dignum pecus* est hippopotamus, vel equus marinus, Nili incola, segetibus exitialis, cujus formam et naturam aperuit Plin. VIII, 25; Solinus, c. 31 et 36, et Achilles Tat. lib. IV, init. Hinc Nili et Ægypti signum sæpe in nummis est. Vid. Spanh. diss. IV, p. 172.

67. *Quod Nilo pascitur* R. As. O.

68. *Vernantibus* Dorv. a. quod et Heins. volebat. — Rustica Nili descriptio, quæ nomen ipsum nescit, et notam ejus a fecundatione agrorum petit. — Imitatio Virgil. Ecl. III, 45: *et quis fuit alter,* etc. Ed. — *Venientes undæ*, quæ influunt. Ovid. Met. VIII, 164 de Mæandro: *Occurrensque sibi venturas adspicit undas.*

69. *Discedentis* legit Lipsius Amph. cap. 10. *Noctem cedentis arenæ* Barth. ad Claud. Cons. Mall. 329. Burm. — Sensus est: ah! quoties me tre-

Vidimus in partes, ruptaque voragine terræ
Emersisse feras; et eisdem sæpe latebris
Aurea cum croceo creverunt arbuta libro.

LYCOTAS.

O felix Corydon, quem non tremebunda senectus
Impedit? o felix, quod in hæc tibi sæcula primos,
Indulgente Deo, demittere contigit annos!
Nunc tibi si propius venerandum cernere numen
Sors dedit, et præsens vultumque habitumque notasti;
Dic age, dic, Corydon, quæ sit modo forma Deorum.

CORYDON.

O utinam nobis non rustica vestis inesset!
Vidissem propius mea numina; sed mihi sordes,
Pullaque paupertas, et adunco fibula morsu

pidatio incessit, quum in eas partes, eum locum, prospicerem, ubi descendebat subito arena, et vorago terræ aperiebatur.

70. *In pratis* O. *Vidimus absorptas* l. *immersas* conj. Burm. — Oporinus edidit *Vidimus in pratis*. Sed nihil mutandum censeo, et insolentem potius phrasin noto, *videre in partes* pro convertere oculos et prospicere in partes. Potest etiam *descendens arena* haberi pro declivi, vel profunda, ei scilicet, qui de summo despicit, ut Ovid. Fast. III, 835, dicit: *Cœlius ex alto qua mons descendit in æquum.* — *Rapteque* R.

71. *Foras* D. *et in iisdem* R. Voss.

72. Emersit ex eodem specu subterraneo amœnissima silva, ad recreandum post horrenda ferarum spectacula visum. — *Aurea* fortasse ornata aureis pomis, et croceo cortice picta: qualis, apud Mart. Spect. XXI, 3, in amphitheatro Domitiani *miranda silva cucurrit, Quale fuisse nemus creditur Hesperidum.* Sed silvas etiam genitales ferarum, quæ edebantur, invectas indicat versus 59, et spectaculum Probi, quod Vopiscus c. 19 memorat.

74. *Impetit* mavult Modius; *in hoc tibi* Pal. — *Primi anni* non simpliciter de ætate ineunte accipiendi sunt, sed ætate adhuc vigente et florente.

75. *Dimittere* F. 1. Gr. P.

77. *Et referens* Ug. A. 2. Gr. B. F. 2. T. Dorv. *præsens* D. F. O. — Hic locus aliquam fert imaginem illius Horatiani Sat. II, 6, 51: *O bone, nam te Scire, Deos quoniam propius contingis*, etc. Ed.

78. *Quæ sit mihi* R. As. Voss. ut pendeat a *dic*. Burmannus tentat *nova forma*.

79. *O utinam* me *rustica vestis* non coegisset in summo et extremo gradu theatri considere. Cæsares enim e podio spectabant.

80. *Vidisset* As.

81. *Nudaque paupertas* R. As. Voss. O. *et adeso* conj. Vlit. — *Pulla pau-*

Obfuerunt; utcumque tamen conspeximus ipsum
Longius, ac, nisi me decepit visus, in uno
Et Martis vultus et Apollinis esse putavi.

pertas, quæ pulla veste utitur. Vid. v. 26.—*Fibula* hoc loco nota paupertatis est, quod pullatorum vestes, lacernæ, lænæ, chlamydes, quæ tunicæ injiciebantur, ne defluerent, vel in humero, vel ad pectus fibula nectebantur. Vid. Ferrar. Rom. Vest. P. II, lib. 1, c. 16. Pastores in gemmis antiquis pelle tecti, ad formam chlamydis e tergo et humeris pendente, apparent, quam certe necesse fuit fibula in pectore constringere. Vid. Gorlæus, n. 138 et 166. Corippus de Laud. Just. II, 121: *Aurea juncturas morsu præstrinxit adunco Fibula.* De fibulis vestiariis multi; sed qui diserte ad pauperum vestes retulerit, hactenus neminem, præter Calpurnium, reperi. Figuras earum proposuit Jo. Rhodius de acia, p. 62 seq.

82. *Obfuerant* Ug. F. 1. A. 2. Bo. F. 2. *utrumque* R. D. *Obfuerint utrumque* Dorv. b. *Obfuerunt* recte Modius. — *Obfuerunt*, ne propius videre possem. E longinquo tamen ipsum contemplatus sum, ut potui.

84. *Putatur* R. As. O. Voss. Dorv. a. b. *putare* Pal. — In unius Cæsaris vultu juvenilem gratiam mixtam cum severitate militari mihi videre visus sum. Similis fere phrasis est Ausonii in Gratianum Epigr. I: *Bellandi fandique potens Augustus honorem Bis meret, et Geticum moderatur Apolline Martem.* Supra Ecl. VI, 16, ironice pastorem pulchrum assimilabat Apollini.

ECLOGA VIII.

(ALIIS NEMESIANI I.)

EPIPHUNUS.

ARGUMENTUM.

Timetas, dum otium esse Tityro videt, hortatur eum, ut carmen aliquod ad fistulam compositum canere incipiat. Tityrus senectutem suam excusat, et omisisse dudum se genus id carminis, quod ille maxime expetere videatur, lusus et amores, fatetur; Timetæ contra vegetam ætatem et recentem e carminibus famam esse. Revocat simul in memoriam vetera senioris Melibœi in eum merita, qui Timetam quondam judicio suo ornaverit, et summis extulerit laudibus. Hujus, nunc vita functi, piis Manibus, æquum esse, ut carmine aliquo, ejus memoriæ dicato, gratiam referat. Timetas, qui omni laude dignum virum, et optime de se meritum agnoscit, ostendit dudum se cogitasse de Melibœo celebrando, et habere se carmen super hac re cerasi libro inscriptum. Hoc igitur, jussus a Tityro, profert Timetas, et laudes Melibœi defuncti multis versibus decantat, Tityro valde approbante. Argumentum, quod in laudibus honorati pastoris, vita functi, versatur, nobile inprimis et vetustis carminis bucolici auctoribus valde celebratum est, nec infeliciter tractatum a Calpurnio. Virtutes et facta illustris viri, quem laudat, imaginibus et coloribus e re pastorali et prisco ævo ductis exprimit, religiones etiam vetustas et opiniones de animorum perennitate et beatis piorum sedibus admiscet, pro natura carminis bucolici, quod antiquissimorum hominum mores et placita refert. Habebat ejus generis exemplaria Theocriti Idyllia I et VII, Moschi et Bionis Epitaphia, inprimisque Virgilii Daphnidem Ecl. V, quem præcipue ante oculos habuisse videtur. EPIPHUNUS inscriptio sciolo cuidam et insulso scholastico, ut aliæ, debetur. Ille funebre hoc carmen

esse intelligebat super morte Melibœi. Meminerat, solere carmen hujusmodi Græco vocabulo appellari ἐπικήδειον vel ἐπιτάφιον, sed, quod græca nesciret, totum non succurrebat. Igitur latinum apponebat, et hybridam barbaramque formabat vocem *epifunus*. Tollendum esse a fronte hujus Eclogæ Nemesiani nomen, ita ut neque auctor ejus et sequentium habeatur, neque etiam Melibœi nomine hic defletus putetur, id in Proœmio ad Calpurnium latius ostendi, simulque Junium Tiberianum, Præfectum Urbis, sub persona Melibœi latere docui. De tempore adhuc moneo, videri hanc Eclogam cum sequentibus aliquanto serius, quam præcedentes, et fortasse extremis Diocletiani annis, scriptam. Nam Melibœum hic extrema ætate et in novissimo ævi humani circulo mortuum esse dicit, quem Ecloga IV, quæ Caro imperante scripta est, nondum valde senem indicat. Et Tityrus, qui hoc carmine senectutem suam excusat, ipse poeta videtur esse, qui prioribus Eclogis I, IV et VII, juvenis adhuc, sub Corydonis nomine commendare Musam suam Cæsaribus studebat. Etenim verisimile est, Corydonem, qui Ecloga IV favorem Melibœi implorabat, seque profitebatur studio canendi ad laudem et fortunam Tityri adspirare, v. 64, nunc ætate et studio provectum, quum gratiam referre Melibœi meritis vult, Tityri nomen adsumere, quod felicitatem Tityri Virgiliani sibi adsequutus videtur. Et sane has quatuor posteriores Calpurnii Eclogas paullo castigatiores reperio prioribus, ut mihi videantur maturiore auctoris ætate et ingenio exercitatiore scriptæ.

TIMETAS, TITYRUS*.

TIMETAS.

DUM fiscella tibi fluviali, Tityre, junco
Texitur, et raucis resonant tua rura cicadis:
Incipe, si quod habes gracili sub arundine carmen
Compositum; nam te calamos inflare labello
Pan docuit, versuque bonus tibi favit Apollo.
Incipe, dum salices hædi, dum gramina vaccæ
Detondent, viridique greges permittere campo
Et ros, et primi suadet clementia solis.

* EPIPHUNUS præfigunt F. 1. V. A. 1. P. de qua voce egimus in argumento. *In hac Ecloga tractantur laudes Melibœi vita defuncti. Interloquutores Amyntas et Tityrus amici.* R. et AS. *Cantantur laudes Melibœi vita functi: Amyntas et Tityrus amici.* Sic Vossius in aliis omnibus *Timetas et Tityrus.*

1. Respexit Maronem, Ecl. X, 71: « Dum sedet et gracili fiscellam texit hibisco »; et vid. Ecl. III, 68.

2. *Imitatur rura cicadis* R. Voss. *imitantur* As. Barthius ex scripto suo, quod habebat *immitua*, legebat *invitant rura*. Heinsius, *resonant sua rura*. MS Tit. *tua regna*. Virg. Ecl. II, 13: *raucis resonant arbusta cicadis.* —Cicadarum strepitus alias signum meridiani caloris; hic tempus matutino paullo serius intelligendum est, quod v. 8 vocatur *primi clementia solis*. Vid. Ecl. V, 56.

3. *Si quid habes* R. Voss. As. Dorv. Virg. Ecl. IX, 32: « Incipe, si quid habes, et me fecere poetam Pierides ». — *Gracili sub arundine*, hoc est, ad modos fistulæ. Auctor Copæ, v. 2, « Crispum sub crotalo docta movere latus ».

4. Virg. Ecl. V: « Tu calamos inflare leves, ego dicere versus ».

5. *Pan docuit.* Virg. Ecl. II, 32: « Pan primus calamos cera conjungere plures Instituit ».

7. *Detrudent...promittere* R. Voss. — *Detondent*, decerpunt, pascuntur. Virg. Cul. « Tondentur tenero viridantia gramina morsu ». Ed. — *Gregem* F. 1. Ug. seq. P. — Huic et sequenti versui illustrando conf. Ecl. V, 29 seq.

8. *Dum ros* F. 1. A. 1. O. — *Primus sol* est matutinus, ut *medius*, meridies, Phædro, III, 19, *supremus*, vesper, Horatio, Epist. I, 5, 3. — *Clementia solis*, moderatus calor. Columella, lib. IX, c. 13: « Quum clementia diei suaserit ». Ed.

TITYRUS.

Hos annos, canamque meam, mihi care, senectam
Tu juvenis, carusque Deis in carmina cogis?
Viximus, et calamis versus cantavimus olim,
Dum secura hilares ætas ludebat amores.
Nunc album caput, et veneres tepuere sub annis:
Jam mea ruricolæ dependet fistula Fauno.
Te nunc rura sonant; nuper nam carmine victor
Risisti calamos et dissona flamina Mopsi,
Judice me; mecum senior Meliboeus utrumque
Audierat, laudesque tuas sublime ferebat.
Quem nunc, emeritæ permensum tempora vitæ,
Secreti pars orbis habet mundusque piorum.
Quare age, si qua tibi Meliboei gratia vivit,
Dicat honoratos prædulcis tibia manes.

9. *Canamque comam vicine Timeta* Dorv. a. — *Mihi care.* Theocr. III, 3 : Τίτυρ' ἐμὶν τὸ καλὸν πεφιλαμένε.

10. *Carus Deis*, nempe Poetarum, Musis, Apollini et Baccho. — *In carmina cogis.* In simili querela Horatius, Ep. I, 1, 3, « quæris antiquo me includere ludo ».

11. *Diximus* F. 1. A. 1. — *Viximus.* Virg. Æn. IV, 653: « Vixi, et quem dederat cursum fortuna peregi ». — *Et calamo et versu* Barth. *Calamis versus mandavimus olim* malebat Heins.

13. *Stupuere* R. D. Q. *tepuere* F. 1. Ug. præferunt Vlit. et Burmann. — Cum juvenili calore etiam fervor ingenii et lepores remisere. Vid. Hor. Carm. II, 11, 6. — *Tepuere*, languere, frigescere cœperunt. Sic Ecl. V, 60: « declivi nona hora tepescere sole Incipit ». De friguscul in amore accipi docet Burmannus in hoc Ovidii, Rem. Am. 7, « Sæpe tepent alii juvenes, ego semper amavi ».

14. *Nam mea* Dorv. a. b. c. — *Dependet fistula*, more eorum, qui arma et instrumenta sua in signum desitæ et intermissæ artis Deo suo suspendunt; vid. Hor. Carm. III, 26, 3, et Epist. I, 1, 5; Virg. Ecl. VII, 24; Tibull. II, 5, 29.

15. *Et nunc rura* R. As. *sonent* G. infra Ecl. XI, « me sonat omnis Silva ». *Carmina* D. Pal. Dorv. a. *jam carmina* Ug. V. *victos* Dorv. a.

16. *Diss. carmina* R. As. Voss. Barth. in Adv. XXXIV, 2. Hor. III, 19, « Berecynthiæ flamina tibiæ ».

19. *Emeritæ p. t. v.* —Tibull. III, 3, 9, « Tunc quum permensæ defunctus tempora lucis ». Claud. Ruf. II, 473, « Huc post emeritam mortalia sæcula vitam Deveniunt ». — Vid. Excursus ad calcem hujus Ecl.

21. AMYN. præfigit R. et v. 23 TIT. et 30 AMYN.

22. *Honoratos* quod dicit manes

TIMETAS.

Et parere decet jussis, et grata jubentur.
Namque fuit dignus senior, quem carmine Phœbus,
Pan calamis, fidibusque Linus, modulatibus Orpheus
Concinerent, atque acta viri laudesque sonarent.
Sed quia tu nostræ musam deposcis avenæ,
Accipe, quæ super hæc cerasus, quam cernis ad amnem,
Continet, inciso servans mea carmina libro.

TITYRUS.

Dic age; sed nobis ne vento garrula pinus
Obstrepat, has ulmos potius fagosve petamus.

TIMETAS.

Hic cantare libet; virides nam suggerit herbas
Mollis ager, lateque tacet nemus omne: quieti,
Aspice, ut, ecce, procul decerpant gramina tauri.
Omniparens æther, et rerum caussa liquores,

Melibœi, honoribus publicis functum satis indicat. — *Tibiæ* mentio opportuna, quod in funeribus adhiberi consuevit. Ovid. Trist. V, 1, 48, « Tibia funeribus convenit ista meis »; et Fast. III, « Cantabat mœstis tibia funeribus ». Ed.

23. *Decet*, quia grandior natu adolescenti jubet; *grata jubentur*, quia Melibœi memoria illi quoque grata accidit: Virg. Ecl. V, « Tu major, tibi me est æquum parere, Menalca ». Ed.

25. *Fidibus Linus* R. As. *fidibus Siclis aut Œagrius Orpheus* Dorv. a. — Pana, Linum, Orpheum jungit exemplo Virgilii, Ecl. IV, 55.

28. Deest hic versus in R. As. D. Dorv. et in sequenti pro *servans* est *quercus*.

29. Expressit Maronem, Ecl. V, 13: « Immo hæc in viridi nuper quæ cortice fagi Descripsi, experiar. » Vid. et Nostri Ecl. III, 44.

30. *Vento garrula pinus*, h. e. ramis et nucibus pineis ventô agitatis et collisis magis stridet, quam ulmi et fagi. Theocr. I, 1. Virgil. VIII, 22, « argutum nemus, pinusque loquentes » vocat.

32. *Subigit* R. et MS Barth. unde ille *subjicit*. Virg. Ecl. X, 74, « viridis se subjicit alnus ». Sed *sufficit herbas* est in As. — *Hic cantare libet*. Formulam Theocriti expressit Idyll. V, 60: Αὐτόθι μοι ποτέρισδε, καὶ αὐτόθι βωκολιάσδευ. Ed.

34. *Deflectant flamina Cauri* MS Tit. — Quieti pascunt tauri: ergo otium nobis faciunt ad cantandum.

35. TIT. hic præfigit R. et Voss. nam v. 32 persona deest: ita et D. et N. — Invocat quatuor elementa, quod ex iis constare hominem, ad eaque reverti putat. — *Æther*, Maroni Georg. II, 325, *pater omnipotens*,

Corporis et genetrix tellus, vitalis et aer,
Accipite hos calamos, atque hæc nostro Melibœo
Mittite, si sentire datur post fata quietis.
Nam si sublimes animæ cælestia templa
Sidereasque colunt sedes, mundoque fruuntur:
Tu nostros adverte modos, quos ipse benigno
Pectore fovisti, quos tu, Melibœe, probasti.
Longa tibi, cunctisque diu spectata senectus,
Felicesque anni, nostrique novissimus ævi

hic igneum principium significat, quocum conjuncti *liquores*, h. e. aquæ, humidum principium, generare omnia credebantur. Vid. Ovid. Metam. I, 430.

36. *Corporis genetrix tellus*, h. e. omnium corporum, sed humani præcipue. Lucret. II, 598, « Quare magna Deum mater, materque ferarum, Et nostri genetrix hæc dicta est corporis una ». — *Vitalis aer*, quod per eum spiramus et vivimus. — Sic omnes et recte, *tellus vitalis, et aer* R.

37. *Accipite hos cantus* Dorv. a.

38. *Mittite*. Quoniam omnia reditura ad sua elementa creduntur, potestis vos et hæc carmina communicare cum Melibœo, cui dicata sunt, ubicumque sit ille. — *Si sentire datur*, non conditio est, sed affirmatio, certe enim datur sentire. Sic Seneca in Octav. 12, « si quis remanet sensus in umbris ». — *Quietis*, nulla cura et sollicitudine affectis, beatis. Hinc *quieti ordines Deorum* Horat. III, 3, 35, et *quietum Elysium* Valer. Flacc. I, 649. Sic Maro, Ecl. V, 61, « amat bonus otia Daphnis ». — *Quietem* Dorv. c. — Sed malo nunc *quietis* interpretari, iis qui sunt mortui et compositi. Virg. Æn. I, 249, « nunc placida compostus pace quiescit »; et Æn. IX, 445, de Euryalo et Niso, « Tum super exanimem sese projecit amicum Confossus, placidaque ibi demum morte quievit ». Ed.

39. *Sublimes animæ*, sumptæ a Virgilio Æn. VI, 720, quæ se altius extulerunt supra cœtus vulgares, post obitum creduntur in cælum evolare. — *Templa*, i. e. fastigia.

40. Imitatur hoc loco Manilium, I, 756: « Fortes animæ dignataque nomina cælo, ... Æthereos vivunt annos, mundoque fruuntur. » Mundus sæpe est cælum. Sen. in Œd. 45, « Tristisque mundus nubilo pallet novo ».

41. *Heu nostros* As. — *Adverte* pro *animadverte* positum; rariorem loquutionem hic notat Burmannus, quod *advertere* alias casui tertio, aut præpositionibus *in* et *ad* jungi soleat. Et sane Calpurnius novare phrases solet. Quæ hic deest præpositio *in*, abundabat supra Ecl. VII, 70: *Vidimus in partes*. Daventriensis tamen et hic legit *In nostros adverte*.

43. *Spectata*, i. e. probata. Hor. Epist. I, 1, 2, *spectatum satis*, ubi Comment. *probatum*. Lucret. III, « hominem in dubiis spectare periclis Convenit ». Ed.

44. *Animi* R. B. Dorv.

Circulus, innocuæ clauserunt tempora vitæ.
Nec minus hinc nobis gemitus lacrymæque fuere,
Quam si florentes mors invida pelleret annos.
Nec tenuit tales communis caussa querelas:
Heu! Melibœe, jaces letali frigore segnis
Lege hominum, cælo dignus, canente senecta,
Concilioque Deum: plenum tibi ponderis æqui
Pectus erat; tu ruricolum discernere lites
Adsueras, varias patiens mulcendo querelas,

45. *Circulus novissimus*, pars vitæ humanæ, quæ summa et extrema esse solet. Est hic imago vitæ, tanquam catenæ, ex pluribus circulis connexæ, et respici eo nomine videntur gradus ætatis humanæ et anni climacterici, de quibus Censorin. cap. 14. Pari similitudine Seneca epist. 12, ætatem totam hominis majores minoresque orbes habere dicit; quem vide; et Tertull. Apol. 19, *concatenationes temporum* dixit; *areas vitæ* Martial. X, 24, 9. — *Clauserunt tempora*, ut Hor. Carm. II, 4, 23, « Cujus octavum trepidavit ætas Claudere lustrum ».

46. *Nec minus* acerba nobis tua mors fuit, quam si florente ætate raptus esses. Conf. Pap. Stat. Silv. III, 3, 8, seq.

47. *Mors invida*, præmatura, quæ tibi longiorem vitæ usuram invidisset. — *Pelleret* est truderet, impelleret, præcipitaret. Mors florentes annos pellit, quia clausula annorum est, ut, qui agmen cogit, impellit. Sic supra Ecl. V, ult. *æstivas impellit Noctifer horas*. — *Carperet annos* Dorv. b. *tolleret* malebat Heins. *perderet* vel *rumperet* Burm.

48. *Hæc tenuit* Ug. A. 2. *Nec* F. 1. et reliqui. *Nec renuit* Hug. Martell. ita et Heins. legebat. — *Nec tenuit*, h. e. fecit, ut continere non possemus tales querelas, vel jussit tales querelas effundere. — *Communis caussa* non videtur esse æqua omnium conditio moriendi, quæ mox lex hominum vocatur, sed boni publici ratio.

51. *Consilioque Deus* R. As. Voss. sed *concilio* legendum esse ostendit Heins. ad Ovid. Met. XIV, 812.— Non displicet, quod antiquiores codices habent, *Consilioque Deus*. Mortuus es lege hominum, sed cana et diu spectata senectute meritus es, qui consilio Deus videreris inter homines, cælo vivere dignus. Supra Ecl. IV, 70: *Est, fateor, Melibœe, Deus*. — *Pondus æquum* est æquitas vel æqua ponderatio, quæ suum cuique jus quasi æqua lance appendit. Lucan. VIII, 280: *mentisque meæ quo pondera vergant*; et paullo audacius Claud. Stil. I, 75: *Per populos animi cunctantis libra cucurrit*. — Saleius Bassus Carm. ad Pisonem, v. 56: *Quis regit ipse suam, nisi per tua pondera mentem*. Ed.

53. *Assuetus* D. et B. Ed. *pariens*, Pal. Unde conj. Gebhard. lib. III, Crepund. 17, *paviens*, sed præfert vulgatam et confert cum Statii Theb. lib. I, v. 481. *Sapiens mulcere* malebat Burm. — *Patiens mulcendo*,

Sub te ruris amor, sub te reverentia justi
Floruit, ambiguos signavit terminus agros.
Blanda tibi vultus gravitas, et mite serena
Fronte supercilium, sed pectus mitius ore.
Tu calamos aptare labris et jungere cera
Hortatus, duras docuisti fallere curas.
Nec segnem passus nobis marcere juventam,
Sæpe dabas meritæ non vilia præmia Musæ.
Sæpe etiam senior, ne nos cantare pigeret,
Lætus Phœbea dixisti carmen avena.
Felix o Melibœe, vale; tibi frondis odoræ
Munera dat, lauros carpens, ruralis Apollo:
Dant Fauni, quod quisque valet, de vite racemos,
De campo culmos, omnique ex arbore fruges:

h. e. quum varias querelas patienter audires, easque placares et componeres. Vid. Nemes. Cyneget. 258. Ultimam in gerundiis sæpe corripiunt hujus sæculi poetæ.

54. *Sub te juris amor* mallet Martell. et ita legebat Heins. *Venerantia justi* D. N. — *Ruris amor*, studium agriculturæ.

56. *Vultu gravitas* R. As. Et hoc videtur sequens *fronte* exigere Burm. *Severa* malit Martell. et Burm. quia præcessit *blanda gravitas*.

58. *Aptare labris*, admotos labris inflare. Maro, Ecl. II, 34, *Nec te pœniteat calamo trivisse labellum.* — *Conjungere* R. As. Ug. *ceræ* O. Inf. Ecl. X, 14, *cera conjungo sub antris.*

59. *Oratus* As. Ug. O. *gratus tu crudas* volebat Heins. — *Fallere curas;* ita et Statius, Achill. *Elicit extremo chelyn, et solantia curas Fila movet.* Ed.

60. *Marcere juventam*. Haud aliter Virg. Georg. I, 124: *Nec torpere gravi passus sua regna veterno.*

61. *Sedabas meriti* R. *Sedabas meritæ* Dorv. a. d.—*Dabas præmia*, quibus industriam excitares.

63. *Duxisti* F. 2, G. et B. vide hunc ad Nemes. Cyneg. 22. Præfert etiam *duxisti* Marklandus, ad Stat. Silv. V, 3, 92.

64. Solennis hæc formula, qua mortui dicebantur *felices*, Græcis μακαρῖται, atque his *Vale* acclamari solebat. Hor. Serm. IX, 28: *Omnes composui, felices.* Virg. Æn. XI, 97: *Salve æternum mihi, maxime Palla, Æternumque vale.* Quæ sequuntur, *tibi frondis odoræ*, etc. respiciunt ritum exsequialem sepulcra mortuorum frondibus floribusque spargendi. — *Odore* R. Ug. F. 1.

65. *Laurus* R. et Voss. ἀρχαικῶς. — *Ruralis Apollo*, Græcis ἄγριος, *pastoralis* Ecl. VII, 22, et IX, 55.

67. *De messe culmos* F. 1. V. A. L. *De messo*, h. e. de frumento messo conj. Burm. — *Omnique ex arbore fruges.* Jurisconsulti, qui verborum proprietati maxime student, negant *fruges* dici de arboribus, nec poma

Dat grandæva Pales spumantia cymbia lacte,
Mella ferunt Nymphæ, pictas dat Flora coronas.
Manibus hic supremus honos: dant carmina Musæ,
Carmina dant Musæ; nos te modulamur avena.
Silvestris nunc te platanus, Meliboœe, susurrat,
Te pinus; reboat te, quidquid carminis Echo:
Respondent silvæ, te nostra armenta loquuntur.
Namque prius siccis phocæ pascentur in arvis,
Hirsutusque freto vivet leo, dulcia mella

fruges appellari vult Julianus: sed hæc lex non poetas semper tenet; ita Columella, *curvatis frugibus arbor*. Ed.

68. Lac, mel, vinum, aquam, oleum, flores, ut partes inferiarum, et mortuorum μειλικτήρια, enumerat Æschylus in Pers. 612, seq. Hic tanto major honos Melibœo, quod ista ab ipsis Diis, quibus earum rerum potestas est, afferri dicuntur. Virg. Æn. III, 66, « Inferimus tepido spumantia cymbia lacte ». — *Grandæva Pales* a Statio, Theb. VI, 111, *cana* dicitur, forte quod a vetustissimis hominum pastoribus culta est.

69. *Mala ferunt* N. As. *Pietas dat flore coronas* R. *festas dat Flora coronas* Pal. *flore* Ug. V. A. 1.

70. *Manibus* honorem datum sparsis floribus; vid. apud Virg. Æn. V, 79, et VI, 884; et hunc peculiariter exposuit Pag. Gaudentius de funere heroum, cap. 15. — Coronis autem cingi sepulcra instar supremi officii solita notissimum: idque faciebant et Christiani veteres quos eo nomine reprehendit Vigilantius. Ed.

71. *Carmina dant Musæ*. Ἀναδίπλωσις. Sic Terent. « negat esse hanc sibi cognatam Demipho? Hanc Demipho negat esse cognatam ». Ed. — *Nos quæ* conj. Burm.

73. *Te, quidquid carminis, Echo*: supple *reboat*. Ita bene disting. B. *Te quidquid carminis Echo, Respondent silvæ* Gebhard. III, Crepund. 17. Pessime. Fortean: *te, quidquid carminis exit, Respondent silvæ* Vlit. *Reboat te, quidquid carminis Echo respondet silvæ* Burm. Virg. Ecl. I, 39: *Ipsæ te Tityre pinus*, etc. et Ecl. VI, 10, *te nostræ, Vare, myricæ, Te nemus omne canet*. Nos distinctionem Barthii in Advers. aptissimam putamus, quamvis rejectam a Vlitio, eamque sequuti sumus.

74. *Respondent silvæ* omnes, quos vidi, idque tenendum est. Virg. Ecl. X, 8: *respondent omnia silvæ*. — *Armenta sequuntur* R. As. Ug. *loquuntur* Modius in Novant. lect. 93, et F. 1. V. — Sequitur Noster Virgilium Ecl. V, 27: uterque vero respexit Theocr. Idyll. I, 71, seq. Moschum Epitaph. Bion. 26, et Bion. Idyll. I, 32 seq.

75. *Nascentur* omnes; *pascentur* G. et B. — *Phocæ pascentur in arvis*. Affirmatio ἀπὸ τοῦ ἀδυνάτου, poetis frequentissima, potissimum expressa e Virg. Ecl. I, versu 60, *pascentur in æthere cervi*.

76. *Vestitusque... leo* D. Ug. Bo.

Sudabunt taxi, confusis legibus anni
Messem tristis hiems, æstas tractabit olivas,
Ante dabit flores autumnus, ver dabit uvas,
Quam taceat, Melibœe, tuas mea fistula laudes.

TITYRUS.

Perge puer, cœptum tibi jam ne desere carmen.
Nam sic dulce sonas, ut te placatus Apollo
Provehat, et felix dominam perducat ad urbem.
Namque hic in silvis præsens tibi fama benignum
Stravit iter, rumpens livoris nubila plena.
Sed jam sol demittit equos de culmine mundi,
Flumineos suadens gregibus præbere liquores.

A. 2, seq. F. 2. *Insuetusque freto* volebat Heinsius. — *Hirsutum leonem* etiam Ovidius dicit Met. XIV, 207; *hirsutas feras* Propert. I, 1, 12.

77. *Taxo* pastæ apes mel amarum conficiunt. Hinc Maro, Ecl. IX, 30 : « Sic tua Cyrnæas fugiant examina taxos ». Aliter Virg. Ecl. IV, 30, « Et duræ quercus sudabunt roscida mella ».

78-79. Transponunt R. As. D. O. Voss. Pro *tractabit* forte *jactabit* scribendum. Burm. *nec dabit* R.

81. AMYN. R. *cœptumque tibi ne* Dorv. a. — *Ne desere carmen* : studium carminum feliciter cœptum.

82. *Placatus*, bonus, propitius; vid. supra v. 5, et Ecl. IV, 9. Apollinis nomine hic Cæsarem insinuat.

83. *In urbem* Dorv. a.— *Dominam ad urbem,* Romam. Hor. Carm. IV, 14, 44. Similia his vid. Ecl. IV, 161, et IX, 84.

84. *Jamque hic* Heins.

85. *Stravit iter*, majores progressus spondet. Versus est Statii Theb. XII, in fine. — *Livorum jubila* D. Q. *rumpes livorum nubila plene* leg. Barth. Advers. XXXIV, 7. — *Livoris nubila*, ex eodem loco Statii est. — *Rumpens*, h. e. discutiens tenebras, iter impedientes, quas invidia objiciebat. Sic *nebulam erroris removere* dicit Juven. X, 4; *tenebras dispulit calumniæ*, Phædr. III, 10, 43; *nubem superioris invidiæ abstergere*, Symmach. II, 83; et Claudian. Bello Get. 40, *quos ante pares effecerat una Nube timor*. Ed.

86. *Dimittit* Pal. Voss. *Demittit equos*, declive iter tenet ad occasum. Vid. Ecl. V, 60; Virg. Ecl. II, 67, « Et sol crescentes decedens duplicat umbras ». — *Mundi*, pro cæli, vid. v. 40.

87. *Fulmineos* Ug. vitiose. *fluminibus* Voss. — Præceptum Maronis, Georg. III, 335 : « Tum tenues dare rursus aquas, et pascere rursus Solis ad occasum. »

EXCURSUS

AD CALPURNIUM, ECL. VIII, v. 19.

> Quem nunc, emeritæ permensum tempora vitæ,
> Secreti pars orbis habet mundusque piorum.

Divini versus, bonam piamque recordationem mortui, quam Tacitus Ann. IV, 38, appellat, egregie exprimentes. *Emerita vita* dicitur cum allusione ad emeritam militiam, quæ præmia sua accipit in campis Elysiis, quo tamquam *fessus in acceptos miles deducitur agros*. Ovid. Am. II, 9, 19. Sic *omnibus vitæ humanæ stipendiis functum* dicit Seneca, epist. 93, et eodem respectu Claudianus, de III Cons. Hon. 106:

> Quamvis emeritum peteret Natura reverti
> Numen, et auratas astrorum panderet arces.

Secretus orbis sunt insulæ beatorum, ab orbe reliquo, tamquam mundus alius, sejunctæ, quas sedes piorum animis assignabant, per mortem, tamquam interjectum Oceanum, illuc transeuntibus. *Mundusque priorum* legit antiquum Ugoletti exemplar cum Bononiensi, non inepte. Solent enim Veteres mundum illum alterum præcipue majoribus suis et auctoribus gentis adsignare. Ut Horat. Carm. IV, 7, 14:

> Nos ubi decidimus,
> Quo pius Æneas, quo Tullus dives et Ancus.

Frequentius tamen et magis proprie secreti pars orbis *piorum* esse dicitur. Sic Horat. Epod. XVI, 63: *Jupiter illa piæ secrevit litora genti*. Idem Carm. II, 13, 23, *sedes discretas piorum* vocat. Vetustissima æque ac perpetua hominum opinio fuit, a poetis maxime tradita, defunctorum animas alium mundum ab hoc orbe sejunctum inhabitare. Quumque Oceanum, qui orbem terrarum ambit, omnium rerum finem esse crederent, quem ultra nihil reperiatur ad vitam

hominum vivendam pertinens, hinc eum etiam mortis et inferorum imaginem statuebant, per eumque credebant animas defunctorum ad sedes et regiones alterius vitæ transire. Quod Homerus dudum non uno loco significavit, quum et homines bene meritos post mortem trans Oceanum et ultimos terræ fines proficisci dicit, Odyss. IV, 563 seq. et animas defunctorum tradit deductas παρ' Ὠκεανοῖο ῥοὰς καὶ λευκάδα πέτρην. Odyss. XXIV, 11. Hinc quum aditus Oceani crederent immanibus petris muniri, ne absorberet terras, has innuebant esse πύλας ᾅδου, *portas Mortis* vel *Orci*, quas sacræ literæ et veteres æque poetæ nominant. Ipsa quidem terra et habitatio piorum quænam esset, et ubinam invenienda, Veteres nunquam definire potuerunt, Elysium et insulas beatorum nominare contenti, quum tamen trans Oceanum esse omnes crederent, quidam curiosiores, ubicumque fama esset ad extremum orbis habitabilis litus insulas ultra Oceanum sitas, ibi mundum piorum sive Elysium collocare audebant. Hinc alii ad extrema Africæ litora, alii ad occidentale litus Hispaniæ posuerunt: alii alias insulas, Canarias præsertim et Cassiterides, Plinii, Melæ, Plutarchi testimonio subnixi, et Britanniam adeo, Elysii honore ornarunt, ut latius exposuit Gesnerus de Navig. extra col. Herc. Prælect. II. p. 1, § 2 et 3. Multum quidem ab his opinionibus dissensit philosophorum aliorumque doctorum ratio; hæsit tamen illa persuasio de migratione animarum per Oceanum, poetarum carminibus commendata, in animis hominum, et vulgo recepta in sepulcrorum aliisque monimentis, ad designandam perennitatem animorum, variis imaginibus expressa est. Quo pertinet, quod papilio, animæ symbolum, aquis h. e. Oceano, innatans sistitur in gemma apud Gorlæum Dactyl. P. II, n. 485, et in quibusdam sarcophagis Nymphæ, quæ et ipsæ animas significant, Tritonibus insidentes per æquor vehuntur; cujus generis monumenta producunt Begerus in Spicil. antiq. p. 105, et Gorius in Columbar. Liviæ, tab. XIII. Sed nolo jam plura disputare de argumento, quod me copiosius memini exponere in Memoria Reg. Acad. Fabricii nostratis, anno 1772 edita.

ECLOGA IX.

(ALIIS NEMESIANI II.)

DONACE*.

ARGUMENTUM.

IDAS et Alcon, pueri, rudibus adhuc annis, amore Donaces incensi, quum illa forte per vallem spatiata flores colligeret, apprehensam invadunt, et primis ejus amplexibus fruuntur. Quod ubi parentes Donaces intellexerunt, domi eam inclusam tenent. Sed pueri e primo ejus congressu flagrantius amantes Donacen, desiderium ejus ferre nequeunt, et quum diu frustraque eam quæsivissent, tandem impatientiam amoris cantu et versibus solari conantur, et querelas suas uterque carmine effundunt, quod reliquam Eclogam implet. Pastores induci videntur Siculi, propter vers. 56. Hujus Eclogæ argumentum et œconomia adeo similis est Eclogæ II et III, ut ex utraque conflata videatur, e tertia vero plures integrique versus huc transcripti apparent. Quod quo consilio et qua ratione factum ab auctore videatur, ostendere conatus sum in procemio. Hic tantum observo, id parum feliciter auctori cessisse: nam versus illos, quos inde a v. 35 ex tertia Ecloga repetiit, attentius legenti facile apparet, non recte cum affectu querentis, non personis et factis ante memoratis, congruere, et tamquam alieno loco positos esse. Donacen sæpe secum fuisse, sæpe cantus suos osculis interrupisse dicit pastor, v. 37, quam vix aliquoties visam, et semel tantum deprehensam in valle, memoravit poeta. Contemni se a Donace queruntur pastores, v. 40 et 69, divitias suas, sua dona et bene merita laudant, ut amorem ejus concilient sibi, cujus tamen nullam superbiam antea experti erant, et Venerem adeo abstulerant pastores, ipsamque a duris parentibus inclusam, et invi-

(*) Titius, in comment. ad hanc Eclogam, putat hoc nomen Donaci inditum videri e calamo, de quo Plin. lib. XVI, cap. 36.

tam abesse, non poterant ignorare. Apte hæc dici potuerunt Ecloga III a Lycida, qui, desertus a Phyllide, offensam et iratam flectere querelis suis et reducere volebat: hic a persona Donaces et pastorum aliena sunt. Equidem non dubito, Calpurnium, ut duabus Eclogis par simileque argumentum persequeretur, exemplo Theocriti adductum esse, cujus tertium et undecimum Idyllium in iisdem fere querelis amantium versatur. Sed frustratum successu esse poetam nostrum in argumento tum eligendo, tum exsequendo, arbitror, et quum nimiam similitudinem ejus cum Ecloga III sero animadverteret, neque id novis sententiis satis exornare valeret, necesse habuit, plures versus ex ista Ecloga repetere. Cæterum, alia multa elegantia et pulchra inesse, non diffiteor (1).

(1) Animadvertendum in hac jam Ecloga corruptiores quam in cæteris septem quæ Calpurnio vulgatiore opinione adscribuntur, mores pastorum describi; unde de diverso auctore injici animis suspicio posset, ni rem tam docte et luculenter in prooemio confirmavisset Wernsdorfius. Notandum tamen ad hanc præcipue et undecimam Eclogam istam morum nequiorum expositionem a doctissimis viris iniquo animo latam esse, præcipue a viro cl. *Crevier, Histoire des Empereurs, liv. XXVII*, § 6, *tom. VI*, *p.* 129. Ed.

IDAS ET ALCON*.

FORMOSAM Donacen puer Idas, et puer Alcon
Ardebant, rudibusque annis incensus uterque
In Donaces venerem furiata mente ruebant.
Hanc, quum vicini flores in vallibus horti
Carperet, et molli gremium compleret acantho,
Invasere simul, Venerique imbutus uterque

* DONACE præscribunt F. 1. V. A. 1. Vlitius et Burm. omiserunt. *In hac Ecloga cantantur amores pueriles inter amicos pastores Idan, qui et Hastacus, et Alconem. In qua etiam poeta ipse loquitur.* Sic R. et Voss. similiter, nisi quod ultima verba omittit. Occurrit apud Gruter. in lapide *Junia Donace* p. XVI, 2; et CVI, 13, et *Pompeia Donace* p. DXCV, 10. ASTACUS et ALCON, ut et versu 1 *Puer Astacus* omnes Veteres habent. Sed errorem esse, qui ex consimili initio Eclogæ secundæ manaverit, jam Titius et Martellus notarunt, et IDAS primus posuit Pith. *Idas* et *Alcon* apud Statium occurrunt et plerumque conjunguntur, Theb. VI, 553 sqq. et IX, 121.

1. *Idas puer et* Dorv. a.

2. Factum ad exempl. Maronis Ecl. II, 1, *Formosum pastor Corydon ardebat Alexim.*—*Intensus* D. V. *Firmata mente* D.—*Rudibus annis*, puerili ætate, amoris inexperta. Ovid. Met. IX, 719: *Hinc amor amborum tetigit rude pectus.*

3. *Furiosa* Dorv. a. *Ruebat* R. As. — *Venerem*, concubitum. Propert. *Denique ubi amplexu venerem promiseris empto, Fac similes puros Isidis esse dies.* Ed.

4. Pertinet ad puellarum mores, studium florum legendorum. Atque in hoc plerumque occupatas fingunt, dum insidiæ iis ab amatoribus fiunt. Vid. Ovid. Met. IV, 393; Claudian. Rapt. Proserp. II, 128 seq. Horat. Carm. III, 27, 29; et infra v. 24.

6. *Venerisque imbutus* R. As. F. 1, seq. P. Voss. — *Venerisque immitis*, dedit Burmannus cum Vlitio, intelligitque de puella adhuc immatura, quam *immitem uvam* dixit Horatius, Carm. II, 5, 9. Sed merito præfero, quod plures et primæ editiones habent, *Venerique imbutus*, h. e. qui primum ejus usum haberet. Nam de initiis et rudimentis rerum *imbui* elegantissime dici, notum est. — Sigillatim *imbuere* de primitiis Venereis dixit Silius, lib. III, 64: *Virgineis juvenem tædis, primoque hymenæo Imbuerat conjux.* Ed.—*Gaudia* de furtiva venere inprimis usitatum: hinc bene jungit *furto*. Lu-

Tum primum dulci carpebant gaudia furto.
Hinc amor, et pueris jam non puerilia vota;
Quis anni ter quinque hiemes, et cura juventæ.
Sed postquam Donacen duri clausere parentes,
Quod non tam tenui filo de voce sonaret,
Sollicitumque foret linguis onus, improba cervix,
Suffususque rubor crebro, venæque tumentes:
Tum vero ardentes flammati pectoris æstus
Carminibus, dulcique parant relevare querela.
Ambo ævo cantuque pares, nec dispare forma;
Ambo genis læves, intonsi crinibus ambo;
Atque sub hac platano mœsti solatia casus

cretia apud Liv. I, 58: *mihi sibique pestiferum hinc abstulit gaudium* — Valerius Cato in Diris, v. 167, de Jove: *Cum Junone prius, conjux quam dictus uterque, Gaudia libavit dulcem furatus amorem.* Ed.

8. *Hinc amor,* a primo congressu. Vid. Gratius, v. 283. — *Jam nunc puer.* R. Pal. — *Non puerilia,* sed juvenilia, virilia, *vota* eadem sunt, ac *cura juventæ,* desiderium conjugii et concubitus. Ovid. Fast. V, 525: *conjux, primæ mihi cura juventæ.* — Prudent. in præfat. ad Psychom. v. 48: *Munus juventæ mater exsanguis stupet,* ubi munus juventæ est vis pariendi et generandi. Ed. —

9. *Queis* Ug. Gr. F. 2. *Quis actæ ter quinque hiemes* conj. Heins. — *Queis anni,* h. e. quorum ætas esset quindecim hiemes. Vid. Ecl. XI, 36.

11. *Et non* Ug. F. 1. *de more* N. D. Q. *sonarent* Ug. Bo. *sonaret* F. 1. seq. — A textura subtili, quæ tenuissimo stamine fit, omnes res tenues, et teneræ habere *tenue,* molle *filum* dicuntur. Hinc *filum virginale* Gellio, XIV, 4; *scitum filum mulieris* Plauto, Merc. IV, 4, 15; *te ne filum* orationis Ausonio in Griph. v. 67; et in Mos. v. 396, *Mollia subtili nebunt mihi carmina filo Pierides.* Ed. Itaque *tenue filum* vocis h. l. est vox acuta et tenuis virginis, quam amisisse Donace cum virginitate videbatur, quia mulier gravius loqui virgine putatur.

12. *Sollicitumque foret linguis onus,* sic omnes edit. excepta tantum F. 1. et A. 1. Primus Vlitius emendavit *Sollicitusque foret linguæ sonus,* quem sequutus est Burm. A consensu veterum edd. discedere mihi religio fuit. — Vid. Excursus primus ad hanc Eclogam.

15. *Revelare* Ug. F. 1, seq.

16. *Dispari* V. T. — Vid. Ecl. II, 3. Expressit Virgil. Ecl. VII, 4; et hic Theocr. VIII, 3.

17. *Genas leves* R. As. Ug. Bo. F. 1, seq. D. O. P. *genas lenes intonsi, crinibus* Dorv. a. *genis* As. 2, seq. F. 2. *Intonsis* Ug. Bo. A. 2, seq. F. 2. *intonsi* F. 1, seq. O. P. Virg. Ecl. VII, *ambo florentes ætatibus, Arcades ambo.*

18. *Atque hic sub* Dorv. a. — *Sub hac platano:* ita etiam Ecl. IV, 2.

Alternant; Idas calamis, et versibus Alcon.

IDAS.

Quæ colitis silvas, Dryades, quæque antra, Napææ,
Et quæ marmoreo pede, Naiades, uda secatis
Litora, purpureosque alitis per gramina flores,
Dicite, quo prato Donacen, qua forte sub umbra
Inveniam, roseis stringentem lilia palmis?
Nam mihi jam trini perierunt ordine soles,
Ex quo consueto Donacen exspecto sub antro.
Interea, tamquam nostri solamen amoris
Hoc foret, aut posset rabidos medicare furores,
Nulla meæ trinis tetigerunt gramina vaccæ
Luciferis, nulloque biberunt amne liquores;
Siccaque fetarum lambentes ubera matrum

Sed ibi designat, quam platanum intelligat; hic nulla ejus descriptio præcessit. Hæc non insolita est Calpurnii incuria.

19. *Alternant solatia*, h. e. carmina alternis canunt, quibus casum suum solentur.

21. *Marmoreo pede*, candido, nitente: sic *marmoreum* pollicem tribuit puellæ Ovid. Met. XIII, 756; *marmoreos pedes* Amor. II, 11, 15. — *Udæ secant litora* Naiades, quod aquæ sæpe litora excedunt, et in iis perpetua humiditatis vestigia relinquunt. Hinc *udum pedem* iis tribuit Noster, Ecl. II, 14.—*Secantes Litora purpureos alitis* R. P. *Uda secatis gramina purpureosque alitis per litora* B. ex G. Sed in Adv. a se ipso dissentit. *Purpureos quæ alitis* malebat Gud.

23. *Quo pacto* R. Voss. — Nymphæ inerrant pratis, silvis, præterea flores amant, et alunt, igitur norunt et observant puellas, quæ forte iisdem colligendis delectentur. Hinc earum in comitatu Proserpina flores legit apud Claud. Rapt. Pros. II, 55. Pulchre igitur a Nymphis pastor indicium Donaces postulat. Similis huic phantasia in sacro Cantico Salom. I, 7; V, 8.

24. *Stringentem*, h. e. carpentem Virgil. Georg. II, 368: *Tunc stringe comas; tunc brachia tonde.* — *Roseis* alludit ad Græcanicum ῥοδοδάκτυλος. Ed.

25. *Nam me jam trini petierunt* R. Ug. Bo. T. *me jam terni* As. *pepulerunt ordine* Dorv. c.

26. *Consueto sub antro*. Conf. Ecl. XI, 8, ubi *condictas ulmos*, *fagos placitas*, *promissa antra* nominat.

28. *Rapidos* R. As. Voss. Dorv. b.

29. *Nulla mihi* R. ex G. *ternis* As. — Sumpsit a Virgilii Ecl. V, 24, *Non ulli pastos*, etc. et Ecl. X, 16. Vid. notata ad Ecl. VIII, 74.

30. *Nullo lamberunt* R. T. Pal. *nulloque libarunt* Dorv. a. Forte: *nullos libarunt* Vlit. Virg. Ecl. V, *nulla neque amnem Libavit quadrupes.*

Stant vituli, et teneris mugitibus aera complent.
Ipse ego nec molli junco, nec vimine lento
Perfeci calathos cogendi lactis in usus.
Quid tibi, quæ nosti, referam? scis mille juvencas
Esse mihi: nosti nunquam mea mulctra vacare.
Idas ille ego sum, Donace, cui sæpe dedisti
Oscula, nec medios dubitasti rumpere cantus,
Atque inter calamos errantia labra petisti.
Eheu! nulla meæ te tangit cura salutis:
Pallidior buxo, violæque simillimus erro.
Omnes ecce cibos, et nostri pocula Bacchi
Horreo; nec placido memini concedere somno.
Te sine, væ misero! mihi lilia nigra videntur,

32. *Atria complent* R. As. Voss.— *Mugitibus implent* Virg. Ecl. VI, 48; et Sever. Sanct. de Mort. boum, v. 74. Solenne hoc pastoribus, ut greges suos, immo etiam silvas, valles circumjacentes sui vel doloris vel gaudii participes faciant, eodemque sensu, quo ipsi, affectos putent. Satis hoc accommodatum naturæ hominum, præsertim solitudini pastorum, qui a rerum hominumque commercio retrusi in arva et nemora, quidquid extra se vident vel audiunt, ad se pertinere arbitrantur.

33. *Molli junco.* — Virg. Ecl. II, *Mollique paras detexere junco.*—Vid. Ecl. III, 68, ubi eadem sententia.

35. Virgil. Ecl. II, *mille meæ Siculis errant in montibus agnæ.*—Hæc repetita ex Ecl. III, 65, non satis convenire huic loco dixi in argum. — *Scis mille juvencas.* Hic Antonius *de Rooy* in Spicileg. crit. cap. 17, p. 110, *mille bidentes* vult legere pro *mille juvencas*, quia hoc incredibile, et quia Virgilius quem imitatur, Ecl. II, 21, *mille agnas* ponit, ut et Calpurn. Ecl. II, versu 68. Ed.

36. Virgilio, ibidem, *Lac mihi non æstate novum, non frigore desit.*

37. Hi decem versus majori ex parte leguntur Ecl. III, 50.

40. *Eheu* A. 2, seq. F. 2. *Heu heu* Ug. F. 1, seq. *En heu nulla meæ te tangit caussa* R. et Gebhard. e MS. Pal. Crepund. III, 20.

41. *Simillimus atræ* As. O. et superscr. *atris* Voss. — Buxi lignum pallore insigne indicat exsanguem vultum. Ovid. Met. IV, 134; *Pallentes violæ*, Virgil. Ecl. II, 46; et *tinctus viola pallor amantium*, Horat. Carm. III, 10, 14. *Tabidus erro* Ecl. III, 50.

42. *Noti* leg. Broukh. ad Tib. I, 9, 64; et ita Heins. in ora codicis: sed *nostri* citat idem Broukh. ad Tib. I, 6, 1. Nec ego quidquam moveo. Burm.

43. *Concedere somno*, labi in somnum. Claud. Laud. Ser. 91: *si placido cessissent lumina somno.*

44. *Veh misero* R. Voss. *me misero* Ug. Bo. *lilia fusca videntur* Dorv. a. — Hæc sumpta et amplificata ex

Pallentesque rosæ, nec dulce rubens hyacinthus,
Nullos nec myrtus, nec laurus spirat odores.
At tu si venias, et candida lilia fient,
Purpureæque rosæ, et dulce rubens hyacinthus,
Tum mihi cum myrto laurus spirabit odores.
Nam dum Pallas amet turgentes sanguine baccas,
Dum Bacchus vites, Deus et sata poma Priapus,
Pascua læta Pales, Idas te diliget unam.
Hæc Idas calamis: tu, quæ responderit Alcon
Versu, Phœbe, refer; sunt aurea carmina Phœbo.

ALCON.

O montana Pales, o pastoralis Apollo,
Et nemorum Sylvane potens, et nostra Dione,

Ecl. III, v. 51. Plura hic opposita.

46. *Nullos hæc myrtus* F. 1. V. — Lauri myrtique conjunctarum odor inprimis suavis pastoribus. Vid. Virgil. Ecl. II, 54.

47. Tres hos versus deesse MSS, notaverat viri docti MS. Burman. — *Candida lilia fient*, ita ut revera sunt, mihi apparebunt. Lilia peculiari epitheto candida dicuntur, utpote Junonis lacte proguata, velut fabulantur poetæ. Ed.

48. *Tum dulce rubens* Ug. *et dulce* R. F. 1. seq. Virg. Ecl. III, *lauri et suave rubêns hyacinthus* eodem prorsus hiatu. — Multa de non elisis vocalibus notavit Barthius, Ecloga V, v. 12. Ed.

49. *Tunc mihi* R. O. Voss. *Hunc mihi cum myrto laurus spirabit odorem* Dorv. b.

50. *Nam Dea Pallas amat* R. *Nam mea Pallas amat* Voss. *amat* etiam D. As. *turgentes unguine* D. et sic correxerat Heins. ex Arnob. I, *lapidem ex olivi unguine sordidatum.* — *Turgentes sanguine*, h. e. oleo. Sanguis omnis succus herbarum. Manil. V, 212: *Et viridis nemori sanguis decedit et herbis*. Sanguinem uvæ vinum dici, notum. Sed et oleum αἷμα ἐλαίης a poetis dictum, aliaque plura hujus generis, observavit Casaub. ad Suet. Aug. 76. Arnob. I, p. 2: *Olearum ex baculis cruor teter exprimitur.*

51. *Vites Deus, et sata poma* R. T. P. et Voss. *vites, Deus et sata, poma Pr.* Vlit. forte: *vites, Ceres et sata, poma Pr.* Vlit. *Dum Bacchus vites meus, et sata poma Pr.* leg. Burm. *sua* vel *rata poma* Heins.

52. *Idas quoque* As. *quoque diliget uvam* R. et Voss.

53. *Nunc quæ* R. As. POETA præfigit R. Ug. Voss. — *Quæ responderit Alcon*, etc. Virg. Ecl. VIII, 62: *Vos, quæ responderit Alphesibœus, Dicite Pierides; non omnia possumus omnes.*

55. Vide notata ad Ecl. VII, 22.

56. *Nemorum Sylvane potens*, hinc arboris truncum gerens passim conspicitur in antiquis monumentis, et dendrophorus dicitur. Vid. Virgil.

Quæ juga celsa tenes Erycis, cui cura jugales
Concubitus hominum totis connectere sæclis,
Quid merui, cur me Donace formosa reliquit?
Munera namque dedi, noster quæ non dedit Idas;
Vocalem, longos quæ ducit, aedona, cantus,
Quæ, licet interdum contexto vimine clausa,
Quum parvæ patuere fores, ceu libera ferri
Novit, et agrestes inter volitare volucres;
Scit rursus remeare domum, tectumque subire
Viminis, et caveam totis præponere silvis.
Præterea tenerum leporem, geminasque palumbes
Nuper, quæ potui, silvarum præmia misi.

Georg. I, 29; Grat. v. 20.—*Dione*, Venus. — *O nostra Dione* D. *Diane* Pal.

57. *Quæ juga celsa tenes Erycis*, nam Veneri in Eryce, monte Siciliæ, celebris sedes. Vid. Virg. Æn. V, 759. Unde *Erycina* vulgatum ejus nomen. Similiter Theocritus, Idyl. XV, 100. Quia *nostra* dicit, Siculus pastor loqui videtur. — *Jugales*, h. e. conjugales, concubitus hominum amore nectis, ad omnes generationes et ætates propagandas.

58. *Convertere* Pal. — *Sæcla* sumo, sensu Lucretiano, pro γενεαῖς. Nam ipsum sane Lucretium respexit, qui lib. I, 20, de Venere: *Efficis, ut cupide generatim sæcla propagent* — Inversio est verborum: nam sententia est, quæ concubitu omnia hominum sæcla connectis.

59. *Quor me... relinquit* R. Voss.

61. *Quæ duceret aedona* R. Voss. As. *quæ ducat* Dorv. c. *quæ non ducit* Ug. Bo. *quæ non canit aedona* D. — *Longos ducit*, de longo tractu spiritus, quo luscinia in canendo utitur, intelligo; nam luscinia noctu diuque pæne indefatigabilis in cantando. Plinius, X, 29, de cantu lusciniæ: *Nunc continuo spiritu trahitur in longum, nunc variatur inflexo, nunc distinguitur conciso, copulatur intorto*; et vid. Ælian. de Anim. lib. III.

62. Vid. Excursus secundus ad hanc Eclogam.

64. Pro *novit* legendum puto *norit*, quia pendet a *licet* v. 62. Licet interdum norit, ceu libera, ferri; scit tamen remeare domum.

65. *Rursus remeare*, pleonastice, ut *rursus rediisse* dicit Ammian. Marcell. XXV, 4. Ed.

66. *Notis præponere* malebat Heinsius, sed male.

67. *Geminosque palumbos* R. As. — *Geminasque palumbes.* Imitatur Virgil. Ecl. III, 69: *notavi Ipse locum aeriæ quo congessere palumbes. Quod potui, puero... Aurea mala decem misi.* Ed. — Vid. Ecl. III, 77.

68. *Silvarum præmia*, prædam e silva ex arbore ablatam. Sic enim exprimunt Theocr. Idyll. V, 97, et Virgil. loc. cit. unde hæc transtulit Calpurnius. Propert. III, 11, 14: *Sive petas calamo præmia, sive cane.*

Et post hæc Donace nostros contemnis amores!
Forsitan indignum ducis, quod rusticus Alcon
Te cupiam, qui mane boves in pascua ducam:
Dii pecorum pavere greges, formosus Apollo,
Pan doctus, Fauni vates, et pulcher Adonis.
Quin etiam fontis speculo me mane notavi,
Nondum purpureos Phœbus quum tolleret ortus,
Nec tremulum liquidis splenderet lumen in undis.
Quod vidi, nulla tegimur lanugine malas:
Pascimus et crinem; nostro formosior Ida
Dicor, et hoc ipsum mihi tu narrare solebas,
Purpureas laudando genas, et lactea colla,
Atque hilares oculos, et formam puberis ævi.

69. *Tu post hæc* R. As. O. Voss.— *Et post hæc*, sc. munera mea: Epiphonema. Ecl. III, 9: *amatque novum post tot mea munera Mopsum.*

70. Sunt hæc male congrua personis. Contemni se metuit a puella, quam imminuerat. Sed studio imitandi abreptus est poeta. Eodem enim argumento utitur pastor apud Virgil. Ecl. III, 56 et 60, « Rusticus es, Corydon, etc. »

71. *Te peream* Dorv. a.

72. *Apollo* Admeti boves pavit. Tibull. II, 3, 11.

73. *Pan doctus* canere calamis. Vid. v. 82, et Ecl. XI, 2. — *Faunusque pater* vult Vlit. ex Ecl. II, *Faunusque pater, Satyrique bicornes.* Sed *facundus Faunus* dicitur Ecl. I, 91. — *Fauni vates*, h. e. fatidici. Vid. Ecl. I, 91. De *Adonide* pastore Theocr. I, 109, et Virgil. Ecl. X, 18.

74. Conf. Ecl. II, 88. Bene Noster, quod *fontis speculo* dixit. Nam in Virgilio reprehensum est, quod pastorem in mari se speculantem induxit, Ecl. II, 25: *Nec sum adeo informis, nuper me in litore vidi, Quum placidum ventis staret mare.* Polyphemo Theocriti, VI, 34, id magis conveniebat, Cyclopi immani, qui mare ipsum intraret.

75. *Ortus* R. F. 1. et aliæ; *orbes* N. Ug. P.

76. *Lumine* Ug. F. Bo. *tremulo splenderet lumine* MS Tit. *lumen* reliqui. — Tremulus splendor luminis incidentis commovet aquæ planitiem, atque impedit, quo minus imago pure appareat.

77. *Tegimus* B. — *Nulla tegimur lanugine malas.* Imitatio Theocr. Καὶ χαλὰ μὲν τὰ γόνεια. Ed.

78. *Pascimur* D. Ug. F. 1, seq. N. Bo. G. B. *crines* O. — *Pascimus crinem.* Qui mos puerorum apud Antiquos præsertim impudicorum, sed hic teneram ætatem indicat, nam ex ephebis egresso comam præcisam alicui Deo consecrare moris fuit. Ed.

79. Idem versus adfuit Ecl. III, 62. *Jurare solebas* Dorv. a.

81. *Ridens oculis* dixit Ecl. VI,

Nec sumus indocti calamis: cantamus avena
Qua Divi cecinere prius, qua dulce loquutus
Tityrus, e silvis dominam pervenit ad urbem.
Nos quoque, te propter, Donace, cantabimur Urbi;
Si modo coniferas inter viburna cupressos,
Atque inter pinos corylum frondescere fas est.
Sic pueri Donacen toto sub sole canebant;
Frigidus e silvis donec descendere suasit
Hesperus, et stabulis pastos inducere tauros.

15. Quam ibi formam Alconis cavillatur Lycidas, hanc ipse Alcon hic jactat: si utrimque eadem persona hujus nominis est.

82. *Indocti, calamis cantamus avenæ* R. As. *cantare et avena* D. N. — Virgil. Ecl. II, 23, *Canto, quæ solitus, si quando armenta vocabat, Amphion Dircæus.*

83. Deest hic versus in R. D. Dorv. b. et d.

84. *Tityrus*, Virgilius. Vid. Ecl. IV, 62 et 161.

85. *Cantabimus* vett. omn. præter As. et P. quæ *cantabimur* præferunt. — Parum abest, quin reducendum putem, quod omnes veteres libri habent, *cantabimus Urbi.* Vult enim, quod ante de Tityro dixerat, e silvis pervenire ad Urbem. Hac mente ait: Nos quoque, *te propter*, studio placendi tibi, majora tentabimus canere, ut famam et celebritatem Urbis consequamur. — *Cantabimur*, h. e. celebrabimur. Ovid. Am. I, 3, 25: *Nos quoque per totum pariter cantabimur orbem;* et Trist. IV, 10, 60.

86. *Corniferas* Dorv. c. *consertas* D. *inter urbana* Ug. — Comparatio Virgiliana; Ecl. I, 26, « Quantum lenta solent inter viburna cupressi ». Idem *coniferas cyparissos* dicit Æn. III, 680. Sic Paulinus Nol. epist. 3 ad Aus. « Castaneis corylos æques, viburna cupressis ».

87. *At inter* Ug. *Aut inter* F. 1. P.

88. POE. præfigit A. 1. O.—*Toto sub sole*, tota die hæc atque alia in eamdem sententiam canebant. Ed.

89. *Descendere* Ug. F. 1, seq. G. A. 2, seq. T. *discedere* R. As. O. P. — *Descendere*, quod recte hic asseritur, simpliciter est abire, vel venire. Virg. Æn. XI, 450, « Tyrrhenamque manum totis descendere campis ». Extremi versus ad exemplum Maronis formati, Ecl. VI, ult. « Cogere donec oves, etc. »

90. F. *includere* Burm.

EXCURSUS I

AD CALPURNIUM, ECL. IX, v. 12.

Sollicitumque foret linguis onus, improba cervix.

Quod dudum in multis Calpurnii locis, manifeste mendosis, observavi, plerumque in iis conspirare exemplaria vetera, et medelam adeo ab ingenio profectam incertam esse, auctoremque ipsum videri ea, sive industria, sive incuria et festinatione, sic mendosa reliquisse; idem præsenti de loco mihi affirmandum est. Omnia, quæ vidi, exemplaria, vix uno alteroque excepto, hic legunt: *Sollicitumque foret linguis onus.* Neminem autem fore puto, quem non offendat *linguis*, numero plurali, quum de sola Donace sermo sit, nec ullus veterum poetarum locus proferri potuerit, qui linguas unius hominis dixerit. Propterea Heinsius, aptius plurali *linguis* vocabulum quærens, legendum putavit, *insolitumque foret linguis onus;* quemadmodum Virgilius loquitur in Ciri, v. 356: *multus ineptæ Virginis insolito sermo novus errat in ore.* Quæ a communi plurimorum codicum lectione recedunt, exemplar Florentinum Juntæ, atque hoc exprimens editio Aldina prior, *pinguis* habent pro *linguis*, et Dorvillianus codex plane *pinguis sonus* scribit, quod sane speciem habere bonæ emendationis videtur, siquidem eadem locutione Cicero, pro Arch. c. 10, usus est, quum affirmet, Cordubenses poetas *pingue quiddam sonare.* Enimvero eadem exemplaria, quæ *pinguis* præferunt, simul retinent *sollicitumque* et *onus*, quamvis metro et sententia recusante, eoque vulgatam reliquorum lectionem confirmant magis, quam elevant. Nam ostendunt, librarium quidem vel editorem offensum esse, sicut nos, plurali voce *linguis*, cætera tamen antiquæ lectionis verba temerare non ausum, quod sic in veteri libro plane scriptum reperisset.

Omnino enim Calpurnius tardum et interruptum Donaces sermonem, et linguam sollicitudine, quasi onere aliquo, suppressam indicare voluit, idque phrasi Horatiana, quæ ex Epist. I, 5, 18, succurrebat: *Sollicitis animis onus eximit.* Unde, quum *linguæ* esse *onus* dicere deberet, metro coactus *linguis* esse dixit, idque excusari Horatiano *animis* putavit. Et hæsitantem sermonem solliciti animi indicem esse, Calpurnius eodem Horatio auctore norat, qui Carm. IV, 1, 35:

> Cur facunda parum decoro
> Inter verba cadit lingua silentio?

Cæterum illud plurale nomen *linguis* minus offendet, siquidem verba ista non de sola Donace, sed una de pastoribus, qui cum ea consueverant, accipiamus, et parentes illius putemus in pastoribus æque ac filia sua signa animi solliciti et furti commissi animadvertisse. Adjuvat hanc sententiam, quod superiore etiam versu pleræque editiones plurale verbum *sonarent* præferunt. Solet quidem *improba cervix*, quæ recte exponitur de crassiore et tumida, inter signa referri, quibus noscitetur puella virum experta, quod latius exposuit Is. Vossius ad hoc Catulli in Epith. Thet. p. 248:

> Non illam nutrix orienti luce revisens
> Hesterno collum poterit circumdare filo.

Eadem tamen signa pubertatis et juventæ in maribus haberi possunt, ut Noster significat Ecl. XI, 35:

> Et tibi jam tumidæ nares, jam fortia colla.

Hæc sunt, quæ mihi persuadeant, servandam esse Calpurnio, quamvis parum elegantem, lectionem quam codices omnes perhibent: *Sollicitumque foret linguis onus.* Vlitius quidem, cum eoque Burmannus, rejecta illa, emendatiorem substituit, inque contextum recepit: *Sollicitusque foret linguæ sonus.* Ego vero, quamquam minime improbarem illam, usurpare tamen nolui, qui in edendo auctore, non quæ rectior elegantiorque meo judicio esset, sed quæ vera et genuina auctoris, quærendum existimarem. Alias, si in consensu veterum codicum conjecturæ indulgendum puta-

rem, maluissem equidem rescribere, *sollicitusque foret pinguis sonus.* Hæc enim lectio et auctoritate aliqua nititur codicum, qui *pinguis* diserte exhibent, et sententiam poetæ probe declarat, qui quum ante *filum non tenue vocis*, h. e. crassum vel pinguem sonum, dixisset, nunc addit, pinguem eum sonum etiam *sollicitum* fuisse, h. e. titubantem, timidi et æstuantis animi indicem.

EXCURSUS II

AD CALPURNIUM, ECL. IX, v. 62.

Vocalem, longos quæ ducit, aedona, cantus,
Quæ licet interdum, contexto vimine clausa,
Quum parvæ patuere fores, etc.

Contextum vimen est cavea, vel ædicula vimine contexta; λυγοτευχέα κύρτον vocat epigramma Philippi in Anthol. Gr. lib. I, c. 60; οἰκίσκον Ælianus de Animal. lib. III, c. 40; domum cum foribus, tectum, carcerem Pap. Statius, Silv. lib. II, 4, 11 seqq. ubi elegantem caveam psittaci describit, quæ pro vimine virgis argenteis cum testudine et ebore constructa erat; ut caveam eboream taceam, quæ inter apophoreta Martialis est, n. 77. Aviculæ vulgo in maximis deliciis puellarum sunt. Hinc et in munusculis amantium pastorum frequenter memorantur, ut ad Eclog. III, 76, vidimus, et Propertius, lib. III, 13, 32, inter dona, quibus agrestis juventus olim puellarum amores emerit, refert et *variam plumæ versicoloris avem.* Hic pastor munusculum suum, lusciniam, non tam a cantu et natura ejus, quam ab arte et disciplinà sua commendat, qua eam adsueverit evolare interdum in silvas, et sponte redire in caveam, tamquam ad certam domum: solent enim pastores dona sua

maxime ab opera, difficultate, et periculo, quibus ea quæsiverint, commendare; vid. Virg. Ecl. II, 40. Neque minus in arte et usu pastorum veterum est, cicurare silvestria animalia, et domui mensæque suæ adsuefacere. Leporem et cervum sic pastum domi vidimus apud Nostrum, Ecl. III, 77, et VI, 35. Theocriti Polyphemus hinnulos et ursas educat Galateæ suæ, Idyll. XI, 41; et de mansueto cervo Tyrrhi pastoris Virgilius, Æn. VII, 491, plane, ut de luscinia Calpurnius:

> Errabat silvis, rursusque ad limina nota
> Ipse domum sera quamvis se nocte ferebat.

Enimvero mirabile est, quod de luscinia sua hic prædicat pastor, et valde dubitandum esse existimo, an, quod in cervo aliave fera fortasse fieri potest, in avi effici ulla arte vel dolo possit, ut e cavea dimissa, et silvam nacta, sponte iteratoque domum redeat. Universe enim minus dociles aves sunt quadrupedibus, et naturaliter, quæ in silvis nidulantur, silvas et libertatem amant, eumque amorem, quamvis diu inclusæ cavea, nunquam deponunt. Quod de omnibus avibus docuit elegantissimis versibus Boethius, Consol. Phil. lib. III, metr. 2, v. 17 seqq. sigillatim de luscinia Ovidius ex vero et natura ejus pronuntiat, Pont. I, 3, 39:

> Quum bene sit clausæ cavea Pandione natæ,
> Nititur in silvas illa redire suas.

Et Ælianus l. c. affirmat, eam omnium avium vehementissime libertatis retinentem esse. Juvat tamen hic referre iconem gemmæ antiquæ e Gorlæi Dactyl. P. II, n. 480, quæ mihi videtur artificium, quod hic pastor jactat, exprimere, eoque versus Calpurnii egregie illustrare. Cernitur cavea viminea ab ramo arboris dependens; et Cupido alatus sub arbore stans aviculam ramo insidentem porrecta arundine compellere vel allicere in appensam caveam studet. Aptissime Cupido hoc agens pingitur, quod, ut pastor Calpurnianus probat, captæ et cavea inclusæ aves amantium dona et deliciæ sunt, atque apud Claudianum, Epithal. Pallad. v. 14, Amores, Veneris comites, *scrutantur nidos avium*,

ut pastor Virgilianus, Ecl. III, 69. Scio equidem gemmæ propositæ argumentum ita posse et solere exponi, ut intelligatur de aucupio, quod per arundinem, vel virgam viscatam fit, et avem illicem cavea inclusam. Sed si fuerit ars quædam et consuetudo agrestium, qua docerent aves evolare subinde e cavea in silvas, in eamque redire, et si fuerit id studium præcipue amantium, quo amasiis suis delectabile donum pararent, nihil aliud mihi ea gemma æque commode significare videtur, quam artem eam, qua Amor avem in ramum arboris exspatiatam admota cavea condocefacit in eamdem reverti.

ECLOGA X.

(ALIIS NEMESIANI III.)

BACCHUS.

ARGUMENTUM.

Tres pueri pastores, ubi Pana, venatu fessum et somno oppressum, sub ulmo recubare vident, fistulam ejus e ramo pendentem furto auferunt, quasi facilius aliquod carmen Panos fistula meditaturi. Sed successu non respondente, Pan stridore avenæ male tractatæ excitatus, quum carmen aliquod posci videt, ipse cantaturum se promittit, atque igitur ortum et laudes et munera Bacchi deducto carmine orditur. Ab hoc argumento *Bacchus* hæc Ecloga inscripta est. Locus, ubi hæc canuntur a Pane, sub ulmo est in valle Arcadiæ ad montem Mænalum, v. 3, 14, 66. Et pastores igitur, quos docet, sunt Arcades. Manifesto poeta Silenum Virgilii, Ecloga VI, expressit. Quod autem non Silenum, sed Pana, venatu fessum et somno indulgentem meridie, dicit a pastoribus conspici, id a Theocrito, Idyll. I, 16, petiisse videtur, qui tamen Pana secreto utentem et excitantibus acerbum timendumque ostendit; Noster contra indulgentem et facilem, sequutus fortasse id, quod Virgilius affirmat, Ecl. II, 32:

> Pan primus calamos cera conjungere plures
> Instituit; Pan curat oves, oviumque magistros.

Cæterum Bacchi laudibus, quales hic describuntur, nihil frequentius apud poetas Græcos et Latinos, quorum sane plures locos habuit Calpurnius, quos imitaretur. Quæ speciatim de Bacchi incunabulis, nutritore Sileno, pubescentibus cum eo vitibus et prima vindemia hac Ecloga narrantur, tam graphice et quasi ad vivum depicta sunt, ut poeta videatur antiquam tabulam ejus argumenti, aut gemmam sculptam, quales hodie plures supersunt, Bacchi imaginem, sacra et chorum referentes, ante oculos habuisse. Celebris inprimis est gemma, olim sigillum

Michaelis Angeli, Parisiis in Museo regio asservata, quæ a Baudelotio, *de l'utilité des voyages*, p. 327, et aliis descripta est, passim etiam imitamentis reddita in Musæis, ut in Ebermayeriano, tab. VII, reperitur, et de sententia plurium eruditorum solenne sacrum in memoriam nativitatis Bacchi celebratum repræsentat. Et fateor, plura ejus gemmæ posse ex hac Ecloga commode illustrari, inesse tamen alia, quæ minus videantur ad nativitatem Bacchi pertinere. A Nymphis nutritum ostendere videtur gemma Gorlæi, Dactyl. P. II, n. 679; pubescentis jam Bacchi comitatum et orgia jaspis ab Is. Casaubono erudite explicata, de Satirica Poesi, lib. I, cap. 2. E poetis præcipue nascentem Bacchum cum eoque exortam ubertatem terræ descripsit Dionysius Perieg. v. 491 seqq. et Avienus ejus interpres, v. 1117 seqq. Primam vindemiam, torcular ex petra factum, inebriatos Satyros, et lascivientes in Nymphas, pari ratione ac Calpurnius, et verbosius etiam describit Nonnus, Dionys. lib. XII extr. qui cum Nostro conferri meretur. Valde probatur hæc Ecloga Fontenellio, *Discours sur la nature de l'Églogue, p.* 177, qui elegantiorem adeo inventionem ejus prædicat, quam Sileni Virgiliani. — Cui judicio et aliis ejusmodi, quæ jam supra retulimus, nemo unquam obsequi voluerit, dummodo veræ poeseos et simplicis naturæ gustu tantisper imbutum gerat animum. Ed.

PAN *.

NYCTILOS atque Mycon, nec non et pulcher Amyntas
Torrentem patula vitabant ilice solem;
Quum Pan venatu fessus recubare sub ulmo
Cœperat, et somno lassatas sumere vires;
Quem super ex tereti pendebat fistula ramo.
Hanc pueri (tamquam prædam pro carmine possent
Sumere, fasque esset calamos tractare Deorum)

* BACCHUS. *Pan trium puerorum impulsu modulatur*. F. 1. V. P. Sic et Ug. sed *Bacchus*, et ultima vox deest. *Ægloga decima* addit D. et A. 1. *In hac Ecloga Pan inducitur cantare laudes ac munera Dei Bacchi, Nyctilo et Mycone audientibus cum Amynta*. R. *Pan Nyctili, Myconis et Amyntæ impulsu loquitur*. O.

1. PO. præponit V. *Nictylus* O. *Nyctilus ac Mycon* R. sed Virg. Ecl. III, 10, et VII, 30, primam in *Mycon* corripit. Myconis Atheniensis meminit Serv. ad Georg. I, 212. Burm.—Exordium fere simile Eclogæ quæ hanc consequitur.

2. Vid. Ecl. V, 2, ubi idem pæne versus. Sic fere Pap. Stat. in Hercule Surrentino : *patula defendimus arbore solem*. Ed.

3. *Pan venatu fessus*. A venatu quiescentem Pana etiam Theocritus facit, Idyll. I, 16; et Pan θηρητὴρ vocatur ab Orpheo, hymn. 10; θῆρας ἐναίρων ab Hom. in Pana, 13; vide notata ad Gratii Cyneg. v. 19.

4. *Lassatas* R. As. Voss. *lassatus* alii omn. *laxatus sumere vires* Heins. *ex somno lapsasque resumere vires* volebat Burm.

5. *E tereti* R. As. *et tereti* Ug. Bo. —*Pendebat fistula*, qua canere solet, perpetuum ejus gestamen. Sic quiescente Sileno apud Virg. Ecl. VI, 17, « gravis attrita pendebat cantharus ansa ».

6. *Tanquam per prædam carmina possent Sumere*, Gudius in margine libri.—*Prædem* rescribendum esse contendunt Titius et Barthius, nec ab eo alienus est Burm. At *prædam*, quod omnes libri habent, retineo, quia sequitur *invadunt furto*, quod de præde dici nequit. Vid. Ecl. VI, 30. — *Pro carmine poscunt* D. — *Pro carmine* interpretor ad carminis conficiendi facultatem. Tamquam ad canendum satis esset, instrumentum ejus fistulam, quasi prædam, rapere; quod certius facit reliquus versus, unde apparet pastores ipsos calamos tractare velle; non tantum, pignore arrepto, Pana ad canendum adigere. Ed.

Invadunt furto: sed nec resonare canorem
Fistula, quem suerat, nec vult contexere carmen;
Sed pro carminibus male dissona sibila reddit.
Tum Pan excussus sonitu stridentis avenæ,
Jamque videns: « Pueri, si carmina poscitis, inquit,
Ipse canam; nulli fas est inflare cicutas,
Quas ego Mænaliis cera conjungo sub antris.
Jamque ego, Bacche, tuos ortus et semina vitis
Ordine detexam: debemus carmina Baccho ».
Hæc fatus, cœpit calamis sic montivagus Pan.
« Te cano, qui gravidis hederata fronte corymbis

8. *Canorem fistula quem suevit* R. As. *quem suerat* D. Dorv. b. Martell. *canorum fistula quem suevit* F. 1. V. T. *canorum fistula quem fuerat* Ug. Bo. F. 2. *canorum* subintellecto *tam, quam suerat* Vlit. Heinsius malebat, *sed nec resonare canorum fistula, ceu suerat.*

10. *Male sibila dissona* Ug. A. B. Dorv. a. b. d. — *Dissona sibila;* vid. Ecl. VIII, 16, *dissona flamina Mopsi.*

11. *Quum Pan* Dorv. a.—*Excussus*, sc. somno, excitatus. — *Acerbæ stridor avenæ*, Ecl. III, 60; et Virg. *stridentem stipulam* dixit quod idem valet.

12. *Jamque videns*, evigilans, et fistulam abreptam videns. Sic Maro de Sileno, Ecl. VI, 21: « Jamque videnti Sanguineis frontem moris », et « Carmina quæ vultis cognoscite, etc. »

14. *Cera compingo* D. Hic versus deerat in Dorv. c.

15. *Jamque ortus Lenæe tuos* R. As. O. et Gronov. Observ. III, 13, f. *Jamque ego Baccheos ortus* ex Ecl. IV, 56. Vlit. Virgil. init. Georg. II: *Nunc te, Bacche, canam.* — *Semina vitis*, serendæ vitis et vindemiæ initia.

16. Post hunc versum in Dorv. a. sequebatur alter: *Atque hilares oculos et formam pulchrior ævi.* Est versus Ecl. IX, 81.—*Debemus carmina Baccho*, quia vinum exhilarat sensus et ingenium movet in carmina. Tibull. I, 8, 37, « Ille liquor docuit voces inflectere cantu ». Inde Horatius *Bacchum in remotis carmina rupibus* Nymphas et Satyros *docentem* inducit, Carm. II, 19.

17. Montivagus, οὐροπόρος Græcis, et sic Seneca Hippol. v. 784. Homerus in Pan. 12: Πολλάκι δ' ἀργινόεντα διέδραμεν οὔρεα μακρά. —Catullus nemorivagum usurpavit in Galliambo: « Ubi cerva silvicultrix, ubi aper nemorivagus ». Ed.

18. *Hederata*, hederæ fronde cincta, quæ sacra Baccho erat, nempe ob vim quæ illi tribuitur ebrietatem medendi. — *Corymbi* hederæ racemi. In ornatu Bacchi apud Tibull. I, 7, 45, sunt « varii flores et frons redimita corymbis ». Hinc κισσοκόμης Hom. Hymn. in Bacch. 1. —Plura de Baccho vid. ap. Macrob. Saturn. lib. I, cap. 18. Ed.

Vitea serta plicas, qui comptas palmite tigres
Ducis odorato perfusus colla capillo,
Vera Jovis proles; jam tunc post sidera cæli
Sola Jovem Semele vidit Jovis ora professum.
Hunc pater omnipotens, venturi providus ævi,
Protulit, et justo produxit tempore partus.
Vos etiam et Nysæ viridi nutristis in antro

19. *Vitea serta plicas*, h. e. vitis et hederæ racemis complicatis sertum tibi conficis. Tali corona etiam conspicitur in nummis et monumentis antiquis. — *Qui comptos* As. O. P. quod fortasse correctorum est, judice Barthio : nam *qui quando* omnes reliqui, tantum *quique udo palmite* Dorv. a. forte *qui ovantes*, ut τὸ *qui* non elidatur. Vlit. Heinsius legebat *comptas* quod *tigres* masculino genere vix occurrit. — Optimam hujus loci lectionem servavit codex Dorv. *quique udo palmite* : unde levissima aberratione *qui quando* ortum ad omnes libros pervenit; hoc demum in *comptos* mutarunt correctores. — *Uda*, vino madida, Bacchi sunt omnia : hinc etiam palmes, vel virga vitea, qua tigres moderatur. Statius, Theb. IV, 758, «uda mero lambunt retinacula tigres»; nam tigres vini appetentes dicuntur. Seneca, Hippol. 755 : *tigres pampinea cuspide territans*. Conf. Ovid. Met. IV, 24.

20. *Odoratis capillis* F. 1. V. P. *odorato capillo* reliqui. *odoratu profusus* Palat.

21. *Post fulmina cælo* As. O. — *Post sidera cæli*, post Deos cælestes, qui assidue Jovem intuentur, sola Semele vidit Jovem, ut Jovem : aliæ, occultatum aliena forma.

22. *Jovis ora professum*, propria Jovis forma manifestum. Vid. Ecl. I, 55. — Et apud Statium, Theb. I, 257, Juno ad Jovem de urbe Thebarum : « Illam odimus urbem, Quam vultu confessus adis ». — *Sidera* aliquoties vocat Deos Lucilius Junior in Ætna, ut v. 33 : « Non est tam sordida Divis Cura, neque extremas jus est demittere in artes Sidera ». Sic et vers. 44 et 51. Ed.

24. *Pertulit* Dorv. a. et ita conjecerat Burm. *jusso* Dorv. a. Similes versus apud Nemes. in Cyneg. 20, *justi complevit tempora partus*. — Necessario legendum *pertulit*; nam, quod sequitur, *produxit* ταυτολογεῖ, et illud confirmatur a Dorv. — *Pertulit* autem est, gessit fetum ad maturitatem partus : τὸ *per* enim rem integram indicat. Sic Plinius, VII, 13, « quædam non perferunt partus ». Cf. Ovid. Met. III, 310, seq.

25. *Nosque etiam Nymphæ viridi nutrimus* R. Voss. Dorv. b. c. *Vos etiam et Nymphæ* D. atque hæc altero versu caret. *Nos etiam Nysæ* Vlit. et Burm. *Vos etiam et Nysæ viridi nutristis in antro Hunc Nymphæ*, etc. Ug. F. 1, seq. Bo. Barth. Atque hæc rectissima planissimaque lectio, quæ merito revocatur, Romanæ et aliarum e contractione duorum versuum, et permutatione vocum *Nysæ* et *Nymphæ* orta est. Pithœus, qui primus supplevit, erravit in locando. — Fortasse eji-

Hunc Nymphæ, Faunique senes, Satyrique procaces.
Quin et Silenus parvum veneratus alumnum,
Aut gremio fovet, aut resupinus sustinet ulnis,
Et vocat ad risum digito, motuque quietem
Allicit, aut tremulis quassat crepitacula palmis.
Cui Deus arridens, horrentes pectore setas
Vellicat, aut digitis aures adstringit acutas,
Applauditve manu mutilum caput, aut breve mentum,
Et simas tenero collidit pollice nares.
Interea pueri florescit pube juventa,

ciendum est *et* : sed hoc et aliis locis Nostri abundat. — *Nysam* felicis Arabiæ urbem Diodorus Sic. tradit.

26. *Nymphæ* Bacchi nutrices a poetis passim memorantur. Conf. Ovid. Fast. III, 769.

27. *Silenus* altor, custos, famulus Bacchi, et hic ejus alumnus. Ovid. Met. XI, 99, 101. Τροφὸν Βάκχειο καὶ τιθηνὸν vocat Orpheus in hymno. Disputationem de Sileno Perizonii habes ad Ælian. III, 18.

28. *Resupinus* D. Ug. A. 1. Dorv. quod rectum puto. *Resupinis* dederunt Pith. Vlit. Burm.

29. *Digito* petens et pungens provocat ad risum, et brachiorum, quibus infantem gestat, tamquam cunarum, motitatione *quietem*, somnum invitat.

30. Hic versus deest in R. As. D. Pal. Voss. Dorv. b. c. — *Crepitacula* ad placandos vel sopiendos pueros quassata ostendit Barthol. de Puerp. p. 105. Mystis, famula Bacchi, hoc agit apud Nonnum, lib. IX, p. 256. Apposite Arnobius, lib. II, p. 70: « tum ad silentium pavidæ nutricis motibus, et crepitaculis adducerentur auditis ».

32. *Vellicat*, sic Diana pectus Cyclopis vellicare per lusum puellarem dicitur apud Callim. in Dian. v. 75. — *Aures astringere acutas* Ug. *substringit* Dorv. sic Horat. Sat. II, 5, 95, *aurem substringe loquaci*. — *Acutas aures*, acuminatas et erectas, quales esse dicit Horat. Carm. II, 19, 4: *aures Capripedum Satyrorum acutas*. — *Adstringit*, prensando comprimit et radit.

33. *Applaudit caput*, palpo percutit. Silius, XVI, 356: *nec qui cervicis amaret Applausæ sonitus*. — *Mutilum caput* esse calvum et depile ostendit Heinsius ad Ovid. Art. III, 249. Et Plautus *admutilare* pro tondere dixit, Capt. II, 2, 19. — *Breve mentum* R. P. *leve* alii omnes; *multum caput* Dorv. c.

34. *Et simas* F. 1. V. A. 1. P. *Et summas* reliqui, et MS Tit. *Aut summas tenero sustulit pollice* R. cum Voss. qui tamen superscr. *sustollit*. *Et summas tenero subducit pollice* As. O. — *Collidit*, comprimit, atterit, *simas nares*, in quibus alterum Silenii vultus proprium ponit Lucianus in Concil. Deor. Φαλακρὸς γέρων, σιμὸς τὴν ῥῖνα. Talitrum, quod hic exprimi putat Titius, alienum a proposito poetæ est.

35. *Juventas* malebat Heins. *puero* etiam Burm. — *Flos juventæ* est pu-

Flavaque maturo tumuerunt tempora cornu.
Tum primum lætas ostendit pampinus uvas.
Mirantur Satyri frondes et poma Lyæi;
Tum Deus, « O Satyri, maturos carpite fructus,
Dixit, et ignotos, pueri, calcate racemos ».
Vix hæc ediderat, decerpunt vitibus uvas,
Et portant calathis, celerique illidere planta
Concava saxa super properant; vindemia fervet
Collibus in summis; crebro pede rumpitur uva,
Nudaque purpureo sparguntur pectora musto.
Tum Satyri, lasciva cohors, sibi pocula quisque
Obvia corripiunt: quod sors dedit, hoc capit usus.
Cantharon hic retinet; cornu bibit alter adunco:
Concavat ille manus, palmasque in pocula vertit:

bertas; sic primam lanuginem barbæ dicit Noster, Ecl. II, 89, et *flos juvenilis* est barba Claudiano, Cons. Olybr. 69.

36. Vid. Excursus ad calcem hujus Eclogæ.

37. *Lenes* Ug. Bo. A. 2, seq. F. 2. *læves* Mod. *lætas* F. 1, seq. O. P.

38. *Dona Lycei* Ug. *dona Lyæi* A. 2. Gr. F. 2.

39. *Tunc Deus* O. *fetus* Dorv. a.

40. *Ignotos racemos*, quod primus eorum usum monstrat. Sic Tibull. I, 7, 32, de Osiri, « Primus poma non notis legit ab arboribus ».

41. *Vix hæc audierant* R. As. Voss.

42. *Illidere planta;* calcando rumpere. Vid. Ecl. IV, 234. *Elidere* hac de re usitatius. *Vina prelis elisa Falernis*, Propert. IV, 6, 73.

43. *Saxa superponunt* O. — *Concava saxa*, excavata ad modum torcularis. Vid. Nonn. Dionys. XII, p. 346.—*Vindemia fervet;* vid. Ecl. I, 3; et expressius Virg. Georg. II, 6: *spumat plenis vindemia labris.*

45. *Udaque* R. O. *Rubraque* Dorv. a.

47. *Corripiunt* F. 1, seq. O. P. *corripuit* Ug. Bo. A. 2. *Fors* Ug. Palat. vid. Ecl. IV, 118; *hoc capit* omnes; *occupat* Vlit. *hoc capit unus*, vel *hic capit urceum* leg. Heins. Locus sanus est, nec quidquam mutandum. Quod cuique sors obtulit, hoc capit, arripit, ad usum. Et Dorv. a. *quod fors dedit, arripit usus.*

48. *Cantharus*, poculum ansatum, Bacchi, Sileni, et Satyrorum adeo, gestamen in gemmis, nummis, vasis antiquis. Vid. Virg. VI, 17.—*Cornibus* bubulis Satyros hausisse mustum, tradit Nonnus l. c. indeque mixto vino nomen factum κεραννυμένῳ.

49. *Convocat ille manus* D. Ug. Bo. — Deficiente alio poculo cava palma utitur ad hauriendum. Propert. IV, 9, 36: *Et cava suscepto flumine palma sat est.* Hic primus agrestium et incultorum hominum potandi modus perhibetur, qualis et ille, qui sequitur, procumben-

Pronus at ille lacu bibit, et crepitantibus haurit
Musta labris: alius vocalia cymbala mergit;
Atque alius latices pressis resupinus ab uvis
Excipit, at potis saliens liquor ore resultat,
Spumeus inque humeros et pectora diffluit humor.
Omnia ludus habet; cantusque chorosque licentes,
Et venerem jam vina movent: raptantur amantes
Concubitu Satyri fugientes jungere Nymphas,
Jamjamque elapsas hic crine, hic veste retentat.
Tum primum roseo Silenus cymbia musto
Plena senex avide non æquis viribus hausit:
Ex illo venas inflatus nectare dulci,
Hesternoque gravis semper ridetur Iaccho.

tium ad rivos et lacus. De quo Sulpicia in Sat. v. 17: *Glandibus et puræ rursus procumbere lymphæ*. Conf. Ovid. Fast. II, 293.

50. *Lacus* est vas magnum vel receptaculum, quo mustum recens expressum excipiebatur, de quo Burmannus ad Petron. c. 70. Hic ipsum cavum saxum est, quo uvæ exprimuntur.

51. *Venalia cymbala* R. As. O. *vocabula cimbula* Dorv. a. *vocalia cymbia* Ug. Bo. A. 2, seq. F. 2. — *Cymbala*, æra concava, quæ alias *vocalia* sunt, hoc est, pulsantur ad sonum edendum, nunc merguntur ad hauriendum mustum. Eorum usum in comitatu et sacris Bacchi multa demonstrant Veterum monumenta.

52. In antiquioribus edit. omnibus hic versus postpositus sequenti legitur. Prima sic posuisse, ut nunc sunt, videtur A. 2, vel Gr.

53. *Ac potus* R. Ug. Bo. *Excipit ad potus*, Vlit. et Barth.

54. *Evomit inque* Dorv. a. *pectore* D. *defluit* R. O. Pal. Dorv.

56. *Raptantur jungere*, Græcismus; h. e. raptim discurrunt, apprehensuri Nymphas fugientes, ut concubitu sibi jungant.

57. *Concubitum* Dorv. a. — Sic Horatio Carm. III, 18, 1, Faunus est *Nympharum fugientum amator*. Fere omnia hæc de Satyris Nymphas persequentibus leguntur apud Nonnum, lib. XII extr.

59. *Primum* R. F. P. *primus* Ug. Bo. Dorv. b. c. *roseo Sileneus tibia musto* Dorv. a.

60. *Non æquis viribus* interpretor cum Burmanno, non iis æque, ac Satyri, viribus ad bibendum ferendumque vinum. — *Avidum* vini Silenum intelligas ex Euripidis Cyclope, v. 140 sqq.

62. *Hiaco* Pal. *Hyacho* D. F. 1. V. *Iacho* Voss. Talem etiam Silenum fingit Euripides in Cyclope. Tit. — *Hesterno Iaccho*, vino quod pridie hauserat. Manifeste imitatur versum Virgilii, Ecl. VI, 15: *Inflatum hesterno venas, ut semper, Iaccho*. Inflatum et torpentem vino manibus Satyrorum ferri videmus

Quin etiam Deus ille, Deus Jove prosatus ipso,
Et plantis uvas premit, et de vitibus hastas
Ingerit, et lynci præbet cratera bibenti.
Hæc Pan Mænalia pueros in valle docebat,
Sparsas donec oves campo conducere in unum
Nox jubet, uberibus suadens siccare fluorem
Lactis, et in niveas adstrictum cogere glebas.

in urna marmorea apud Sponium, Miscell. p. 28.

63. *Natus ab ipso* As. O. Ug. Pal. Dorv. c. *prosatus ipso* R. F. 1, seq. P.

64. *Vitibus haustas* D. *haustus* MS Titii, ipso non probante. — *Hastas de vitibus* appellat thyrsos, confectos de vite, et pampino hederaque vestitos. Ovid. Met. III, 667: *Pampineis agitat velatam frondibus hastam.* Hos thyrsos, quibus tacti in furorem aguntur, dum uvas premit, *ingerit*, vibrat, emittit, h. e. vino præbito corda hominum movet. Phrasin Calpurnius a Statio petiisse videtur, qui Theb. IX, 708: *sævas miserantibus ingerit hastas.*—Sed sic etiam Virgil. Æneid. IX, 763: *hinc raptas fugientibus ingerit hastas In tergum.* Ed.

65. *Integit et* Dorv. a. *luci* Dorv. c. *bidenti* Dorv. D. — *Lynces*, ut pantheræ et tigres, Baccho sacræ et perpetuo adjunctæ, quia hæ bestiæ vini avidissimæ censentur. Vid. Oppian. Cyneg. III, 80; Claud. Stilich. III, 368. Plane, ut hic, ita vulgo apud Veteres depictus est Bacchus, nempe una manu thyrsum vibrans, altera scyphum vel cratera præbens pantheræ, quæ vinum ore hiante excipit. Exempla gemmarum et nummorum passim prostant.

66. POETA præmittit V. O.

67. *Sparsus* P. vitiose. — *Conducere in unum.* Virgilius *cogere oves stabulis* dixit Ecl. VI, 85.

68. *Uberius* F. 1. V. A. 1. *liquorem* R. O. P. Voss. *fluorem* Ug. F. 1, seq. A. 2, seq. Bo. F. 2. B. Etiam Nemesianus Cyneg. v. 227 *lactis fluores* dixit, et Arnobius sæpius hoc vocabulo usus est. Usitatum igitur ævo Calpurnii vocabulum, et auctoritate codicum præstantissimorum munitum facile alteri prætuli. *Liquorem*, quod notius est, a librariis profectum videtur. — *Siccare fluorem uberibus*, pro *siccare ubera fluore*, sicut Ecl. III, 66, dixit *siccare buculam.* Est hypallage non insolens; sic enim Horat. Carm. I, 31, 10: *aureis mercator exsiccet culullis vina.*

69. *Adstrictum* coagulo lac *cogere*, densare et premere, ut gleba, massa, caseus fiat. — *Glebas turis* dixit Lucret. III, 328, *glebulas nivis* Scribon. Larg. comp. 199. Casei conficiendi tempus erat post solis ortum et occasum. Vid. notata ad Ecl. V, 34 et 65.

EXCURSUS

AD CALPURNIUM, ECL. X, v. 36.

Flavaque maturo tumuerunt tempora cornu.

CORNUA Baccho ab antiquitate tribui, pervulgatum est. Quamquam id frequentius a poetis, quam a sculptoribus pictoribusque factum est: nam præter nummos quosdam Thasiorum et Maronitarum pauca me veterum exempla operum reperire memini, quibus cornutum Bacchi caput expressum sit (1); ratio tamen ejus rei nondum ita ad liquidum perducta videtur, quin accuratius de ea quæri constituique possit. Quum varias ejus moris rationes e pluribus veterum scriptorum locis enarraverint Gyraldus, Hist. Deor. Syntagm. VIII, p. m. 241, et Anton. Borremansius, Variar. Lect. cap. 19, p. 245 seqq. mihi videtur ex hoc loco Calpurnii paullo melior certiorque posse erui. Quoniam cum cornu Bacchi succrescere pampini et uvæ dicuntur, hinc cornu primario videtur pro signo et symbolo fruticantium silvarum et vitium acceptum, quod eodem modo, quo germina arborum, protrudi in pecore, et adolescentem ejus ætatem significare videtur; vid. Calpurn. Ecl. VI, 37. Certe ut turgescere in arbore ramus, ita turgere cornu in fronte hædi dicitur. Ovid. Trist. III, 12, 15; Horat, Carm. III, 13, 4. Et de cornibus cervorum Dianæ Claudianus, lib. III Laud. Stil. v. 290: *Frons discolor auro germinat.* Hinc videmus non Baccho solum, sed cæteris etiam Diis, silvarum et pecorum custodibus, ut Pani, Satyris, Faunis, cornua attri-

(1) Caput Bacchi cornutum, cornibus in vertice exstantibus, in nummo Naxi, urbis Siciliæ, agnoscit P. Burmannus, Siculorum tomo II, ad tab. XII, n. 9; atque id frequens in nummis esse docet Spanhemius, tom. I, p. 392 seq. ED.

36.

bui (1). Erant præterea cornua pecorum prisca illa ætate, omnium artium rudi, pro vasis et mensuris, quibus homines et potum ministrarent sibi, et fruges opesque ruris servare et admetiri aliis solerent. Unde cornua simul proventum omnem ruris et abundantiam significant, et Baccho igitur tributa, ubertatem earum rerum, quibus ipse præest, uvarum atque pomorum. Hinc intelligitur, quid sibi velit Propertius, lib. III, 17, 21:

> Quod superest vitæ, per te et tua cornua vivam,
> Virtutisque tuæ, Bacche, poeta ferar.

Et quod in proverbium abiit cornu Copiæ, primario de frugibus terræ et copiis ruralibus accipitur. Horat. Carm. I, 17:

> ....hinc tibi copia
> Manabit ad plenum benigno
> Ruris honorum opulenta cornu.

Et Epist. I, 12, v. ult. *Aurea fruges Italiæ pleno diffudit copia cornu.* Calpurnio auctore vites et pampini adolescunt, ut Bacchus pubescere et maturare cornu incipit. Hoc Virgilius, a quo sumpsit ille, ita exprimit, ut dicat vinearum copias provenire, quocumque Bacchus adspexerit, vel caput et cornu suum converterit, Georg. II, 390:

> Hinc omnis largo pubescit vinea fetu,
> Complentur vallesque cavæ, saltusque profundi,
> Et quocumque Deus circum caput egit honestum.

Honestum enim caput vocat, ut Horat. Carm. II, 19, 29, *aureo cornu decorum.* Paullo aliter Dionysius Perieg. ubertatem fructuum terræ late diffusam ait, ubi Bacchus arriserit, v. 949:

> Μειδιόων, καὶ πολλὸν ἐπ' ἀνδράσιν ὄλβον ἔχευε.

Habent hoc poetæ ex antiqua religione petitum, qua putabant, ubi Dii adspexerint, vel arriserint, vel quocumque modo se præsentes exhibuerint, agrorum ubertatem et om-

(1) Quin etiam Cereris caput cum spicis et cornibus eminentibus apparet inter numismata Sicula Dorvillii, Tab. I, n. 7. Ed.

nium bonorum affluentiam sequi, omniaque ridere, progerminare, florescere. Luculentum ejus opinionis exemplum dedit Calpurnius Ecl. IV, 102 seqq. ubi inter alia lac pecudum exuberare ad Palis Deæ adventum dicit. De omnibus quidem Deorum apparitionibus id affirmabant Veteres, ut probat Spanhemius ad Callim. Apoll. v. 10 seqq. præcipue tamen de Apollinis et Bacchi adventu vel præsentia, in effectis suis omnium maxime conspicua. Valde celebratæ sunt Apollinis ἐπιδημίαι apud Delios, Milesios, Hyperboreos, a quibus magna felicitas exspectabatur; vid. Spanhem. ad Callim. in Apoll. v. 13, in Dian. v. 226, in Delum v. 281 seqq. De Baccho vero plena sunt poetarum carmina enarratione ubertatis omnium rerum, Bacchum ubique comitantis, adeo ut præsente eo frondescere silvas, serpere vites, fragrare odores, vini fontes erumpere, lactis et mellis rivos currere dicant. Vid. Homeri hymn. in Bacch. Horatii Carm. II, 19, 10; Seneca OEdip. 491 seqq. Silius Ital. VII, 192 seqq. Avienus Descript. orb. terr. v. 1120 seqq. ne nunc sigillatim Nonni Dionysiaca laudem, lib. XXII initio. Præsentiam Deorum salutarem impetrari credebant sacrificiis, hymnis, ludis. Itaque agrestes Palilia, Ambarvalia, Lenæa, Pali Deæ, Cereri et Baccho celebrabant, ut his ad sacra vocatis, et præsentibus propitiisque, largum agrorum pecorumque proventum experirentur. Quem ipsum sacrorum eorum finem indicant Virgil. Georg. II, 388 seqq. Tibull. lib. II, 1, v. 3, et Calpurn. Ecl. VII, 21.

ECLOGA XI.

(ALIIS NEMESIANI IV.)

EROS.

ARGUMENTUM.

Sistuntur duo pastores, Lycidas et Mopsus, perdite amantes, hic puellam Meroen, ille puerum Iolam, qui ab amasiis suis diu lusi, nunc forte una considentes in umbra populi, miserum animi sui affectum, et desperati amoris querelas, invicem canentes, et paribus versibus, exponunt. Proinde recte EROS inscribitur Ecloga, quod insani amoris æstum depingit. Argumentum et plures sententiæ e Theocriti Idyll. XI et XXIII, atque Virgilii Alexi sumpta sunt, œconomia e Pharmaceutriis Theocriti et Virgilii. Voluit haud dubie Calpurnius hoc argumentum legere, ne eam partem poeseos bucolicæ, quæ rudis sæculi veterumque pastorum æstuantes amores pingit, intactam relinqueret, a Græco et Romano poeta multum tractatam. Qui propterea libidinis dicam scribere Calpurnio vellet, æque eum injuria afficeret, ac Virgilium, quem propter Alexin hoc passum esse a grammaticorum pruritu notum est. Nolim equidem affirmare, tanto Nostrum artificio et ingenio usum esse, quantum in Alexi Virgilii apparet, qui hoc egisse videtur, ut flagrantissimum pastoris amorem, animique emoti et furentis æstum exprimeret. Sed fortasse ne voluit quidem hoc Calpurnius, et quod istum furorem multo magis videret ab ætatis suæ moribus abhorrere, studio moderatiorem pinxit amorem, quemadmodum Virgilium videmus multo castiorem esse Theocrito. Cæterum non exigua suavitas est hujus carminis, certe tantam eam reperit Casp. Barthius, ut affirmare non dubitet, prima annotatione, hanc Eclogam omnium Calpurnii, ut loco postremam, ita dignitate et elegantia primam esse.

LYCIDAS, MOPSUS.

Populea Lycidas, necnon et Mopsus in umbra,
Pastores, calamis ac versu doctus uterque,
Nec triviale sonans, proprios cantabat amores:
Nam Mopso Meroe, Lycidæ crinitus Iolas
Ignis erat; parilisque furor de dispare sexu
Cogebat trepidos totis discurrere silvis.
Hos puer ac Meroe multum lusere furentes,
Dum modo condictas vitant in vallibus ulmos,

ÆGLOGA UNDECIMA. Ug. quamvis has quatuor Nemesiano tribuerit. Quo id pertineat, diximus in procemio. EROS, hoc est, Amatorius, sive Amor, titulus est in F. 1. V. A. 1. P. Sic Theocriti Idyll. XXIII inscr. Ἐραστὴς ἢ δύσερως. *In hac Ecloga Lycidas et Mopsus amores suos querelis desperati prosequuntur, Meroes Mopsus, et Lycidas Iolle.* R. MOPSUS et LYCIDAS præponunt Ug. A. 2. Gr.

2. Ecl. IX, 82: « Nec sumus indocti calamis ».

3. *Nil triviale* Scriver. — *Triviale*, rude quiddam et inconditum, ut qui in triviis canunt; vid. Ecl. I, 28. Virg. Ecl. III, 26: « Non tu in triviis, indocte, solebas Stridenti miserum stipula disperdere carmen. »

4. *Iollas* R. Pal. et ita codices etiam apud Virg. Ecl. III, 76 et 79. — *Crinitus Iolas*. Coma inter indicia mollitudinis; vid. quæ supra annotavimus ad Eclogam IX, v. 78. Ed.

5. *Ignis erant* vol. Heins. Virg. Ecl. III, 66, *meus ignis Amyntas*.

6. Post hunc vers. in A. 2. Gr. et aliis perperam inculcatus est versus, qui deinceps loco 13 occurrit, *Inque vicem dulces*, etc. — *Discurrere silvis*, impatientia amoris, atque forte inventuri uspiam delicias suas. Supra Ecl. III, 50, *tabidus erro*. Virg. Ecl. II, 3: « Tantum inter densas, umbrosa cacumina, fagos Assidue veniebat. »

7. *Luxere parentes* Dorv. a. — *Lusere*, fefellerunt, falsis promissis duxerunt. — Sic Tibullus I, 8, 71: « Hic Marathus quondam miseros ludebat amantes ». Ed.

8. *Conductas* R. Voss. Dorvil. omnes; *condictas* F. 1, seq. A. 2. Gr. — *Condictas*, quas uterque dixit, ut sub iis convenirent. Ovid. Met. IV, 95: *dictaque sub arbore sedit*. *Condicere* est promittere invicem, et tempus locumque desi-

Nunc fagos placitas fugiunt, promissaque fallunt
Antra, nec est animus solitos alludere fontes.
Tum tandem fessi, quos lusus adederat ignis,
Sic sua desertis nudarunt vulnera silvis,
Inque vicem dulces cantu dixere querelas.

MOPSUS.

Immitis Meroe, rapidisque fugacior Euris,
Cur nostros calamos, cur pastoralia vitas
Carmina? quemve fugis? quæ me tibi gloria victo?
Quid vultu mentem premis, ac, spem fronte serenans,
Tandem dura negas? possum non velle negantem?

gnare : *condicere cœnam*, ex Veterum more notum. — De usu verbi *condicere* agit fusius, Gronov. Observat. lib. I, cap. 1, p. 15. Ed.

9. *Placidas* R. Ug. Bo. MS Tit. et Voss.

10. *Antrum consuetum*, dixit Ecl. IX, 26. — *Alludere fontes* pro ludere ad fontes, ut Ecl. X, 33, *applaudit caput*.

11. *Dum* vult Barth. *lusus et edit et ignis*, As. D. O. *lusus ederat* Ug. Bo. A. 2, seq. F. 2. *luxus ederat* Pal. Dorv. b. *adederat* F. 1. V. A. 1. *durus adederat* Dorv. a. Virg. Æn. IV, 66, *est mollis flamma medullas*. — *Lusus ignis*, amor sæpius deceptus, et hinc magis urens, *adederat*, lente maceraverat. Virg. Æn. IV, 2 : *cæco carpitur igni*. Hor. Carm. I, 13, 8 : *quam lentis penitus macerer ignibus*. Ovid. Am. I, 15, 41 : *quum me supremus adederit ignis*.

12. *Desertis*, quia mœrentes solitudinem amant. Propert. I, 18 : *Hæc certe deserta loca et taciturna querenti*. Virg. Ecl. II, 4 : *ibi hæc incondita solus Montibus et silvis studio jactabat inani*. Vid. notata ad Ecl. IX, 29. — *Vellera* R. As. Voss. sed hic superscr. *vulnera*. — In primis huc facit locus Ciceronis Tuscul. Quæst. lib. III : « Sunt autem alii, quos in luctu cum ipsa solitudine loqui sæpe delectat, ut illa apud Ennium nutrix : *Cupido cepit miseram nunc Me, proloqui cœlo atque terræ Medeæ miserias* ». Ed.

13. *Vicem* omn. edit. *vices* MS Tit. *dulces luxere* Dorv. a. *duxere* Pal. Dorv. b. Heins. — *Dulces querelas*, quæ mœrorem levant. Sic Ecl. IX, 15 : « Carminibus dulcique parant relevare querela ».

15. *Et pastoralia* Ug. Bo. *vites* D.

17. *Quid vultum veniens premis, ac spem fronte serenas* R. As. D. Barth. Dorv. *Quid vultu mentem* Ug. A. 2. P. *mente* Ug. Bo. Imitatus est versum Virgil. Æn. IV, 477 : *Consilium vultu tegit, ac spem fronte serenat*. — *Spem fronte serenans*, h. e. spem lætiorem fronte serena et explicita ostendens. Virg. Æn. I, 213 : *spem vultu simulat*. Silius XI, 369 : *tristia fronte serenat* — Similiter Petron. Satir. 101 : « Poteris hanc simulationem et lacrymis et vultus confusione obumbrare ». Ed.

18. *Tandem, dura, nega : pos-*

«Cantet, amat quod quisque: levant et carmina curas.»

LYCIDAS.

Respice me tandem, puer o crudelis Iola;
Non hoc semper eris: perdunt et gramina flores,
Perdit spina rosas, nec semper lilia candent,
Nec longum tenet uva comas, nec populus umbras;
Donum forma breve est, nec se tibi commodat annis.
«Cantet, amat quod quisque: levant et carmina curas.»

MOPSUS.

Cerva marem sequitur, taurum formosa juvenca,
Et venerem sensere lupæ, sensere leænæ,
Et genus aerium volucres, et squamea turba,
Et montes silvæque: suos habet arbor amores:

sum nunc velle negantem : sic vult Vlit. *possum non velle* R. V. Pal. Dorv. a. et ex MSS Martell. *non possum non velle* Ug. Bo. *non possum nolle* Q. A. 2, seq. P. Burm. — *Possum non velle negantem.* Sincera hæc lectio antiquiorum et meliorum, cui signum interrogandi apposui, hoc sensu : Etsi tu negas, *num inde fieri potest, ut te minus amem ?* Alteram lectionem *non possum nolle* pedetentim esse e correctione ortam, ipsa variantium series a me proposita prodit. *Velle aliquam* pro amare et desiderare dici, Burmannus e Tibull. IV, 5, 10, Mart. IX, 33, V, 83 demonstrat.— Similiter Tibull. I, 2, 64 : *Nec te posse carere velim.* Ed.

19. Vid. Ecl. IX, 15. Hor. Carm. IV, 11, 35, «minuuntur atræ Carmine curæ». Versus hic intercalaris sæpius repetitur, more Bucolicorum, Theocriti pluribus locis, Virg. Ecl. VIII.

21. *Nec hoc . . . et germina* Dorv. a. Virg. Ecl. II, 17, *O formose puer,* etc. — Totum hoc expressum e Theocriti Idyll. XXIII, 28, quod totum cum hac Ecloga conferendum in Argum. diximus.

24. *Forma bonum fragile est*, Ovid. Art. II, 118. Sic et Seneca Hippol. 761. — *Nec se tibi commodat;* commodo tuo servit, tibi se utendam præbet, *annis* augentibus, provecta ætate; vid. Ecl. IX, 9. — *Annis* Ug. Bo. Barth. Pal. *annos* R. Voss. *annus* P. Vlit. Dorv. a. in *annis* pronior est Burm.

26. Allusit ad Virgilianum hoc Ecl. II, 63, *Torva leæna lupum sequitur.* Conf. Virg. Georg. III, 242 seq. Ovid. Art. II, 483.

29. *Suosque habet* malit Burm. — Plinius XIII, 4, s. 7, post observationem de palmarum amore, «Arboribus, inquit, immo potius omnibus, quæ terra gignit, herbisque etiam utrumque sexum esse, diligentissimi naturæ tradunt». Et ita Linnæus, in Syst. Plant. Apposite Claud. Nupt. Hon. 66 : «Vivunt in venerem frondes, omnisque vicissim Felix arbor amat : nutant ad mutua palmæ Fœdera etc.»

Tu tamen una fugis; miserum tu perdis amantem.
« Cantet, amat quod quisque : levant et carmina curas. »

LYCIDAS.

Omnia tempus alit, tempus rapit : usus in arcto est.
Ver erat, et vitulos vidi sub matribus istos,
Qui nunc pro nivea coiere in cornua vacca.
Et tibi jam tumidæ nares, jam fortia colla,
Jam tibi bis denis numerantur messibus anni.
« Cantet, amat quod quisque : levant et carmina curas. »

MOPSUS.

Huc, Meroe formosa, veni; vocat æstus in umbram :
Jam pecudes subiere nemus, jam nulla canoro
Gutture cantat avis, torto non squamea tractu
Signat humum serpens; solus cano, me sonat omnis
Silva, nec æstivis cantu concedo cicadis.
« Cantet, amat quod quisque : levant et carmina curas. »

30. *Spernis* maleb. Heins. — *Perdis*, fugiendo facis, ut irrito amore consumatur. Sic *perdita* apud Virg. Ecl. VIII, 88, Servius exponit *amore consumpta*.

32. *In arte est* R. Voss. *in arcto* Ug. A. 2, seq. Virgil. Ecl. IX, 51, *Omnia fert ætas, animum quoque.* — *In arcto est*, angusto temporis spatio inclusus, quod cito elabitur. Occasio præceps.

33. *Sub matribus*, lactentes. Severus in carm. de Mort. B. 71, de vitulo : *ut matrem subiit.*

34. *Coiere in cornua*, h. e. in prælia cornibus exercenda. Sic Claud. in Ruf. I, 152 : *Scythicæ vernant in carmina rupes;* ibid. v. 301 : *cornipedes in pocula vulnerat audax.*

35. *Quod tibi* Palat. *timidæ* As. Dorv. c. — *Tumidæ nares*, forti et virili spiritu plenæ. — *Fortia colla*, ut *improba cervix* Ecl. IX, 12. Signa virilis ætatis ponit, tamquam juvenci, quocum satis digne comparaverat puerum, seu pullum potius. Tauri *cervicem validam* laudat Sev. Sanct. Carm. bucol. v. 82.

36. *Deni .... mensibus* Dorv. c. Pal. et sic citat Barth. in Comment. ad Stat. Silv. II, 1, 52. Hic versus totus abest a D.

39. *Nam nulla* R. F. 1. V. A. 1. T. *non ulla* Ug. B. Dorv. b. — *Pecudes subiere nemus*, propter æstum meridianum; vid. Ecl. V, 58. Aves medio diei æstu canere non solent, sed cicadæ.

40. *Tractus* est serpentium motus, qui *tortus* dicitur, quia tortis spiris et sinuato corpore trahuntur. Æstu tecta latet serpens, nec facile procedit. Vid. Virg. Ecl. II, 9; Georg. III, 418; auctor Copæ, v. 28.

42. *Tantum concedo* R. Voss. *cantum* Dorv. b. Virg. Ecl. II, 12 : *At*

LYCIDAS.

Tu quoque, sæve puer, niveum ne perde colorem
Sole sub hoc; solet hic lucentes urere malas.
Hic age pampinea mecum requiesce sub umbra:
Hic tibi lene fluens fons murmurat; hic et ab ulmis
Purpureæ fetis dependent vitibus uvæ.
« Cantet, amat quod quisque: levant et carmina curas. »

MOPSUS.

Qui tulerit Meroes fastidia longa superbæ,
Sithonias feret ille nives, Libycosque calores,
Nerinas potabit aquas, taxique nocentis
Non metuet succos, Sardoaque gramina vincet,
Et sua Marmaricos coget juga ferre leones.

mecum raucis...resonant arbusta cicadis. Vid. Ecl. VIII, 2.

44. *Nactum ne* R. Voss. *natum* Pal. Dorv. b. c. *notum* D.

45. *Sed te huc lucentes vertito malas* R. As. D. *sed et hic* Voss. Dorv. b. c. — *Lucentes malæ* sunt læves, nitidæ, pulchræ, ut *nitentes genæ* apud Stat. Silv. III, 4, 65: *Liparei nitor Hebri*, Hor. Carm. III, 12, 6: candidas tamen interpretatur Burmannus, quia *niveus color* præcessit.

46. Virgil. Ecl. VII, 10, *requiesce sub umbra*, iisdem verbis, sed hic amatorio sensu dici videtur. Ed.

47. *Leve fluens* P. et Pal. *hic et abundas* Dorv. a. — Virg. Ecl. X, 42, « Hic gelidi fontes, hic mollia prata, Lycori, Hic nemus ».

48. *Fætus* Pal. — *Fetis vitibus*, h. e. uvas ferentibus, ut *gravidis corymbis* dixit Ecl. X, 18.

50. *Fastidia lenta* Dorv. a.

51. *Scythonias* R. D. Voss. *Sytonias* O. — *Sithoniæ nives*, Thraciæ frigora, a Sithonibus, Thraciæ populo. Sic etiam Hor. Carm. III, 26, 10, et Virg. Ecl. X, 66: *Sithoniasque nives hiemis*, etc. unde totus hic locus petitus.

52. *Nerinas* R. Dorv. a. b. et conj. Barth. id. est, salsas, marinas. *Nerines* al. omnes. Auson. Epist. IV, 53, *nodosas vestes animantum Nerinorum*. Vlit. — *Taxi nocentes* etiam Virgilio dicuntur Georg. II, 257, propter noxiam earum naturam. Plin. XVI, 10, s. 20; vid. Ecl. VIII, v. 77.

53. *Salebrosaque gramina* R. Voss. *Sardorum gramina* Ug. Bo. et G. et Pal. — *Sardoa gramina*, i. e. venena, quorum Sardinia maxime ferax dicitur. — Virg. Ecl. VII, 41, « Sardois videar tibi amarior herbis ». — Præcipue volunt intelligi apiastrum, vel apium rusticum, σέλινον ἄγριον, de quo Plin. XX, 11, s. 45, et XXV, 13, s. 109: herbam Sardoniam vocat Solinus. — Pro *vincet* Heins. malebat *junget*.

54. *Marmoricos* R. Dorv. b. *Et juga Marmoricos coget sua* Dorv. a. *perstringet virga leones* D.

« Cantet, amat quod quisque : levant et carmina curas. »

LYCIDAS.

Quisquis amat pueros, ferro præcordia duret,
Nil properet, discatque diu patienter amare,
Prudentesque animos teneris non spernat in annis,
Perferat et fastus : sic olim gaudia sumet,
Si modo sollicitos aliquis Deus audit amantes.
« Cantet, amat quod quisque : levant et carmina curas. »

MOPSUS.

Quid prodest, quod me pagani mater Amyntæ
Ter vittis, ter fronde sacra, ter ture vaporo
Lustravit, cineresque aversa effudit in amnem,
Incendens vivo crepitantes sulphure lauros;

56. *Ferro præcordia duret*, ad duritiem animi et omnem tolerantiam se comparet. Tibull. I, 1, 63, « non tua sunt duro præcordia ferro Vincta, nec in tenero stat tibi corde silex ». — Desunt hic et quinque versus sequentes in R. et Voss.

57. *Lubens patienter* As. — *Patienter amare*. Sic Ovid. Her. XX, 88 : « Quum bene se, quantumque volet satiaverit ira, Ipsa tibi dices: Quam patienter amat ! » Idem, Art. Am. III, 565 : « Ille vetus miles sensim et patienter amabit, Multaque tironi non patienda feret ». Ed.

58. *Prudentes animos*, circumspectos, cunctantes et paullum severos.

59. *Proferat* Dorv. Virg. Ecl. II, 15, *atque superba pati fastidia*, et Æn. III, 326. — *Sumat* D.

62. *Quid prodest*. Virg. Ecl. III, 74, *Quid prodest, quod me ipse animo non spernis, Amynta?* — *Ergo* nihil mihi profuerunt incantamenta, quibus lustrare et purgare me voluit mater Amyntæ. His enim amores tum sopiri, tum arcessi, credebant. Hausta omnia, quæ sequuntur, ex Pharmaceutriis Theocriti et Maronis, item Ciri Virgiliana.

63. *Ter victis* F. 1. V. *vitis* D. Ug. *vittis* P. Heins. *ter fronte vaporem* R. — Virgilius hæc explicet, Ecl. VIII, v. 64 : « Effer aquam et molli cinge hæc altaria vitta, Verbenasque adole pingues, et mascula tura. » Masculum tus, præstantissimum, nec aliud *vaporum*, quod multum vaporem edit. Hinc *cespitem vaporatum* Noster, Ecl. II, 62, vocabat aram, in qua tus adoletur.

64. *Lustravit mireque adversa* Dorv. h. c. Pal. — Lustrantes purgamenta retro et aversi abjiciebant in flumen. Virg. Ecl. VIII, 101, « Fer cineres, Amarylli, foras, rivoque fluenti, Transque caput jace : ne respexeris ».

65. *Crepitantes lauros* vocat, quod igni impositæ crepitum edere solent, e quo omen capiebant; vid. Tib. II, 5, 81. Eodem sensu *fragiles lauros* dicit Virgilius, Ecl. VIII, 82.

Quum sic in Meroen totis miser ignibus arsi?
«Cantet, amat quod quisque: levant et carmina curas.»

LYCIDAS.

Hæc eadem nobis quæ versicoloria fila,
Et mille ignotas, Mycale, circumtulit herbas;
Cantavit, quod luna timet, quo rumpitur anguis,
Quo currunt scopuli, migrant sata, vellitur arbos:
Plus tamen ecce meus, plus est formosus Iolas.
«Cantet, amat quod quisque: levant et carmina curas.»

66. *Meroem* Dorv. *Meroe* emendabat Heins. *totis miser ossibus* G. Barth. quod et probabat Broukhus. ad Tibull. I, 2, 61. — *Totis ignibus*, quantoscumque habet amor. Idem vult, quod Hor. Carm. I, 19, 9: *In me tota ruens Venus;* qui propterea et ture verbenisque mitiorem eam reddere cupit, ut hic Mopsus. Non igitur est, cur, quod e codice suo ingerit Barthius, *totis ossibus*, magni faciamus.

68. *Versicolaria* D. Dorv. a. *varieque coloria* R. P. Vossius; *diversicoloria* vult Vlitius. — Sequor lectionem, quam primariæ et duces reliquarum editiones dederunt, *quæ versicoloria*. Vocabulo *colorius* nescio an, præter sequioris ætatis scriptores, quisquam bonorum auctorum usus sit. — Secundum usum aliorum debebat scribere *versicolora*. Prudent. lib. II contra Symm. v. 56, habet *versicolorus paries*, et in Hamartig. v. 819: *Sic animas cœli de fontibus unicoloras;* et Hymno III, καθήμερ. *multicolora prata*. Antiquis *versicolor* usitatius est, recentioribus *versicolorus*. Ed. — Hoc loco respexit ad Virg. Ecl. VIII, 73: «Terna tibi hæc primum triplici diversa colore Licia circumdo».

69. *Mychale*. Ug. Bo. *Michale* F. 1. V. *Mycale* saga, Centauri mater, nominatur Ovidio Metamorph. lib. XII, 263. Ed. — *Artes* Ug. Bo. A. 2, seq. F. 2.

70. *Tumet* Dorv. a. *colubrina tumet* R. et Voss. *corrumpitur anguis* R. Voss. Virg. in Pharm. Ecl. VIII, 71, *cantando rumpitur anguis*. — Hæc sunt consuetæ teratologiæ magicarum artium, quæ passim celebrantur a poetis tantum non omnibus. Exempla exstant apud Virgil. l. cit. v. 69; Hor. Epod. XVII; Tibull. I, 2; Lucan. VI, 420 seq. Claud. in Ruf. I, 145 seq.

71. *Concurrunt* R. *Quod currunt* Dorv. b. *magice sata vellitur* R. et Voss. Virgil. ibid. v. 99, *satas alio vidi traducere messes*.

72. *Ecce minus* Q. *fastuosus Iolas* B. ex G. — Quamquam hæc magna sunt artis magicæ miracula, nihil tamen effecerunt in me. Major est vis pulchritudinis Iolæ, eaque plus quam magica incantatione me devovet. Optime huc traxit Titius locum Tibulli, I, 5, 43, «Non facit hoc verbis: facie tenerisque lacertis Devovet, et flavis nostra puella comis».

73. *Cantat* hic habent Ug. Bo. F. 2, quum in cæteris *cantet*.

CITERII SIDONII

SYRACUSANI

EPIGRAMMA DE TRIBUS PASTORIBUS *.

ALMO, Theon, Thyrsis, orti sub monte Pelori,

* Breve hoc epigramma, non abs re visum est, Calpurnii Eclogis subjungere, quum quia rerum in carminibus bucolicis obviarum brevem veluti summam complectitur, tum quod poetæ Siculo, Calpurnio, commode adjungi videbatur popularis ejus, poeta Syracusanus, qui eo poematio, quamvis exili, par studium poeseos bucolicæ ostenderet. Ferretius in Mus. lapid. lib. II, p. 119 et 121, id primum in vetustissimo lapide in Sicilia repertum, atque in codicibus Virgilianis ante Bucolica legi memorat. — Invenio etiam Bucolicis præfixum in editione Virgilii, quæ cum Melanchthonis scholiis prodiit Haganoæ, per Jo. Secerium, anno 1531, in-8. Ibi vero versus quintus deest. Etiam hic dicitur in lapide antiquissimo in Sicilia repertum. Ed. — Edidit illud sub eadem inscriptione Vinetus ad calcem Ausonii; legitur deinde in Ausonio Scaligeri, apud Pithœum, Epigr. vet. lib. IV, p. m. 132; Scaligeri Catalect. lib. I, p. 231; denique Petri Burmanni, v. cl., Anthol. Lat. lib. II, ep. 257. Facile assentior Vineto et Scaligero, qui auctorem ejus Citerium eumdem esse putant ac *Citarium Siculum Syracusanum*, quem in professoribus memorat Auson. Ep. XIII. Idem tamen merito distinguitur a Cytherio, ad quem carmen iambicum bene longum scripsit Paulinus Nolanus. Citarium illum Ausonius ut grammaticum Græcum simul et poetam laudat, cujus carminibus a juvene scriptis, ipsa concedat Cei Musa Simonidis. Præterea natum in urbe Sicula, h. e. Syracusis, scribit Burdigalam adiisse, eamque urbem excoluisse studiis, conjugium feminæ nobilis et locupletis nactum, sed sine liberis mortuum esse. De multis, quæ scripsisse videtur, carminibus solum hoc epigramma exstat, quod, bene judicante Burmanno, singularis potius quam elegantis artificii est: nam acumen ejus totum in eo versatur, quod de tribus pastoribus multa, sed omnia terna, et de singulis singula et diversa, brevissime referuntur. Cujus generis alia epigrammata, ut Hadriani Imper. de trium Amazonum pugna, in collectionibus supra allegatis leguntur.

1. *Sub colle Pelori*. Cod. Voss. — Pelorus, promontorium Siciliæ. Er-

Semine disparili, Laurente, Lacone, Sabino,
Vite Sabine, Lacon sulco, sue cognite Laurens.
Thyrsis oves, vitulos Theon egerat, Almo capellas.
Almo puer, pubesque Theon, at Thyrsis ephebus.
Canna Almo, Thyrsis stipula, Theon ore melodus.
Nais amat Thyrsin, Glauce Almona, Nisa Theonem.
Nisa rosas, Glauce violas dat, lilia Nais.

go tres isti pastores patria Siculi.

2. Laurentes et Sabini, gentes Italiæ, Lacones Peloponnesi. His tribus gentibus orti trium pastorum parentes.

3. *Sabine* et *cognite* pro nominativis suis ponuntur. Pro *sue cognite* Scaliger scribendum putat *scrobe cognite*, ut Almo vinitor, Theon arator, Thyrsis fossor intelligatur: nam ridiculum esse, eum subulcum facere, quum ex sequenti versu appareat, pastorem ovium fuisse. Sed fallitur Scalig.: nam hoc versu non de ipsis pastoribus, sed de eorum patribus sermo est. Laurens igitur pater Thyrsidis subulcus, id est, suibus dives dicitur, quamvis ipse sequente versu pastor ovium sit. Defendi etiam *sue cognite* potest ex Ovid. Fast. II, 231, ubi apri in silvis Laurentibus nominantur.

5. *Et Thyrsis* in Ausonio Scaligeri et apud Vinetum et Ferretium est. Scriverius voluit *pubeda Theon*. In Glossis antiquis legitur: *Pubeda, adolescens, juvenis sine pube;* videndus est Grotius ad Martian. Capell. p. 12. Græcis βούπαις dicitur, puer grandior.

6. *Melodes* Cod. Voss. habet, et sic Scriverius.

SEVERI SANCTI,

RHETORIS ET POETÆ CHRISTIANI,

CARMEN DE MORTIBUS BOUM.

ARGUMENTUM.

GRASSANTE per orbem Romanum mortifera pecorum lue, Severus Sanctus ejus describendæ occasionem arripuit eo fine, ut auxilium in calamitate publica a Christo petendum suaderet, eoque religionem Christianam reliquis Deorum cultoribus, passim per pagos et agros degentibus, commendaret. Inducit igitur duo pastores Ægona et Buculum cum tertio adveniente Tityro colloquentes, quorum nomina ideo elegisse videtur, ut altero caprarium, altero bubulcum significaret. Ex his Buculum commemorare facit stragem boum suarum, qui subtristior visus Ægoni, et caussam ægritudinis animi rogatus, ordine enarrat subitas mortes et clades, quæ sibi ex vehementissima lue, tum in tauris singulis, plaustrum vel aratrum trahentibus, tum in universo armento acciderint. Ægone calamitatem Buculi dolente, et mirante simul, hoc fatum vicinos alios invadere, transilire alios, supervenit Tityrus, homo Christianus, hujus cladis immunis, qui interrogatus, quo pacto tantam pestem effugerit, commendat eis, quasi certum remedium, crucis signum et cultum Christi. Nec mora, Buculus cum spe avertendæ ab armento suo luis, amorem Christianæ religionis concipit, et invitatus a Tityro in Urbem properat ad Christum adorandum, comite Ægone. Obiter observo, Tityri nomen et personam ei homini tribui, qui meliore cæteris fortuna utitur, quod exemplo Virgilii etiam Calpurnium Ecloga VIII fecisse, alibi notavimus. Alium quoque fuisse poetam Christianum, qui sub eodem Tityri nomine in carmine bucolico induceret cultorem Christi, dudum monuimus in procemio.

ÆGON, BUCULUS, TITYRUS.

ÆGON.

QUIDNAM solivagus, Bucule, tristia,
Demissis graviter luminibus, gemis?
Cur manant lacrymis largifluis genæ?
Fac, ut norit amans tui.

BUCULUS.

Ægon, quæso, sinas alta silentia
Ægris me penitus condere sensibus:
Nam vulnus reserat, qui mala publicat;
Claudit, qui tacitum premit.

1. *Solivagus*, solus oberrans et hominum consuetudinem vitans. Gloss. et Onomast. μονήρης et φιλέρημος. Mœsti solitudinem amant. Vid. notata ad Calpurn. Ecl. IX, 29, et XI, 12. Cicero de Offic. I, 44, *solivagam* cognitionem dicit, quæ societatem hominum tuendam non spectat, nec usibus publicis accommodata est.

3. Petron. c. 137, « Gurgite sic pleno facies manavit ». Sed Horat. Carm. IV, 1, 34: « Manat rara meas lacryma per genas ».

5. Paullo durius vel pleonastice dictum *silentia condere sensibus*: nam alii solent, *rem silentio condere, tegere*. Similiter tamen Prudentius, præfat. ad libr. in Symm. v. 55: *Subter comprimere clausa silentia*. Clauso, condito, compresso silentio contrarium est, quando silentia *rumpi* dicuntur. Et *condunt oblivia mentem* habet Claudianus, Cons. Olybr. v. 166.

7. *Reserat*, rumpit, et renovat. In quam sententiam Ovid. Trist. IV, 4, 40, « At sine me fati non meminisse mei, Neve retractando nondum coeuntia rumpam Vulnera ». — *Commissa reserare* occurrit in fragmento Petronii, quod propositum est tomo III Poet. minorum, p. 75, v. 6; nostræ vero edit. tomo secundo. ED.

8. Ne dubitari quidem potest, reponendum esse *tacitus*. HEUM. At ego non arbitror. *Tacitum* intelligit vulnus, quod tacetur, non revelatur: *tacitum virus occulto sub vulnere* dixit Calp. Ecl. V, 74; et Claud. Idyll. VI, de Ap. 9, « Indictum neque enim fas est tacitumque relinqui ». — *Tacitus* tamen legere vult Antonius *de Rooy* in Spicileg. crit. cap. 21, p. 155. Juvat

ÆGON.

Contra est, quam loqueris; recta nec autumas.
Nam divisa minus sarcina fit gravis;
Et quidquid tegitur, sævius incoquit.
Prodest sermo doloribus.

BUCULUS.

Scis, Ægon, gregibus quam fuerim potens;
Ut totis pecudes fluminibus vagæ
Complerent etiam concava vallium,
Campos, et juga montium.
Nunc lapsa penitus spes opis est meæ,
Et, longus peperit quæ labor omnibus
Vitæ temporibus, perdita biduo:
Cursus tam citus est malis.

ÆGON.

Hæc jam dira lues serpere dicitur.
Pridem Pannonios, Illyricos quoque
Et Belgas graviter stravit, et impio

locus Ovidii ab eo adductus, Trist. V, 1, 50, « At poteras, inquis, melius mala ferre silendo, Et tacitus casus dissimulare tuos ». Ed.

11. *Sævius incoquit,* urendo pervadit, macerat. Proprie est verbum tinctorum, qui coquendo penitus inficiunt pannos coloribus. Virg. Georg. III, 307, « Vellera mutentur Tyrios incocta rubores ». Persius, II, 74, « incoctum generoso pectus honesto ». Simplici verbo usus est Boethius, lib. II, pros. 4: « Sed hoc est, quod recolentem vehementius coquit ».

12. Ovid. Trist. V, 1, 59: « Est aliquid fatale malum per verba levare ». — Nec alterius mentis est Chrysost. hom. 5, περὶ τοῦ ἀκαταλήπτου: « quasi difflatio quædam malorum per ipsam narrationem ageretur ». Ed.

15. Rescribi oportere *complerint*, vel præmissum τὸ *fuerim* ostendit HEUM.

17. *Nunc lapsæ* edidit Pithœus: at idem in vet. codice legi annotat *lapsa*, et sic reposuit Weitzius, quamvis metro non satis fiat. Quid si scribamus *Nunc lapsa at penitus? Opis meæ* videtur positum pro *opum mearum*.

20. Claudian. in Eutr. II, 568: « Hei mihi, quas urbes ... uno rapuerunt prælia cursu! » — Hoc versu *mali* pro *malis* vult Anton. de Rooy, in Spicil. crit. p. 156, quia *mali* vocabulo morbus pestilens et contagiosus dici solet, de quo mox incipit memorare: *Hæc jam dira lues*, etc. Sic Lucretius VI, 1176: « Nec requies erat ulla mali; defessa jacebant Corpora ». Ed.

Cursu nos quoque nunc petit.
Sed tu, qui solitus nosse salubribus
Succis perniciem pellere noxiam,
Cur non anticipans, quæ metuenda sunt,
Admosti medicas manus?

BUCULUS.

Tanti nulla metus pervia signa sunt,
Sed quod corripit, id morbus et opprimit;
Nec languere sinit, nec patitur moras:
Sic mors ante luem venit.
Plaustris subdideram fortia corpora
Lectorum, studio quo potui, boum;
Queis mentis geminæ consona tinnulo

24. *Cursu nos quoque nunc petit*, ita omnes; sed Corn. Valer. Vonck. in Lect. Lat. lib. II, cap. 5, legere mavult *et impio Morsu nos quoque nunc petit*, atque id quidem quia præcessit versu 20, *Cursus tam citus est malis*. Ed.

25. *Solitus nosse*. Virg. Æn. XII, 396: « Scire potestates herbarum usumque medendi ». Ovid. Fast. III, 827: « Phœbea morbos qui pellitis arte ».

27. *Anticipans*, ante cogitans et præcipiens animo. Virg. Æn. VI, 105: « Omnia præcepi, atque animo mecum ante peregi ».

29. *Pervia*, apparentia, perspectu facilia.

30. *Corripit, id*, insuavis alliteratio. Forte, *quod corripuit morbus, id opprimit*. In eamdem sententiam de lue mortifera Lucanus, VI, 99: « Nec medii dirimunt morbi vitamque necemque, Sed languor cum morte venit ».

33. *Plaustro*, h. e. jugo ad plaustrum, *subdi*, subjungi, subire boves dicuntur, frequenti formula, cujus plura exempla dedit Schefferus de Re Vehic. lib. I, cap. 10, p. 111. — *Fortia corpora* bobus inprimis solent tribui. Ovid. Pont. I, 4, 11: « Cernis ut in duris, et quid bove firmius, arvis Fortia taurorum corpora frangat opus ».

35. Nulli dubitandum, poetam sic scripsisse: « Queis frontes geminæ, consona tinnulo Concentu crepitacula, Ætas consimilis ». Describit enim per frontes geminas, similem formam boum similemque adspectum; eodemque modo inferius v. 82 laudat *taurum frontis arduæ*. HEUM. Ego nihil mutandum puto, aliter tamen explicanda verba, ac Seberus fecit, qui *mentis* trahit ad crepitacula, et sonum intelligit, quo fiat, ut crepitacula vivere ac tantum non mente prædita videantur. — *Mentis* antiqua scriptura est pro *mentes*. Quo vocabulo poetæ nonnunquam abutuntur ad indolem et naturam brutorum designandam. Virg. Georg. III, 266: « furor est insignis equarum, Et mentem Venus ipsa dedit ». Similiter Claud.

Concentu crepitacula;
Ætas consimilis, setaque concolor,
Mansuetudo eadem, robur idem fuit,
Et fatum: medio nam ruit aggere
Par victum parili nece.
Mollito penitus farra dabam solo:
Largis putris erat gleba liquoribus:
Sulcos perfacilis stiva tetenderat;
Nusquam vomer inhæserat.
Lævus bos subito labitur impetu,
Æstas quem domitum viderat altera.

IV, Cons. Hon. 233, e Platonicorum commento, præter mentem illam propriam hominis, *geminas* alias ei tribuit, quas communes cum brutis habet, iram et cupiditatem. Severus igitur bobus hisce *mentes geminas* tribuit, h. e. parem indolem, ut cætera paria, consona crepitacula, ætatem consimilem, etc. — Etiam Vonckius Lect. Lat. loco ad v. 24 citato legendum censet *quis mentes geminæ*. Ed.

36. *Crepitacula* pro tintinnabulis posuit, quæ aptare collo pecorum solebant pastores, non solum, quod eorum sono pecora duci credebant, sed etiam, quo facilius, quo loco oberrarent, deprehendi posset. Vid. Hier. Magius de Tint. cap. 8. Paulinus Natali VI Fel. « Ut præsepia vidit Nuda boum, et nullos dare tintinnabula pulsus, Excussa ut cervice boum crepitare solebant ». Sidon. Apoll. lib. II, epist. 2: « Inter greges tinnibulatos per depasta buceta reboantes ». Etiam insequi jugalis collo tintinnabula visuntur in monumento Columbarii Liviæ, tabula XI.

38. Per mansuetudinem intelligit patientiam jugi et laboris. Propert. II, 3, 47: « Primo taurus detrectat aratra, Post venit assueto mollis ad arva jugo ».

39. Legendum esse videtur, *robur idem fuit. Heu fatum!* HEUM. *Aggerem* hoc loco non sulcum, sed viam stratam et publicam notare, observat Cannegieterus ad Avien. fab. 17, p. 117, et recte. Non enim aratro sed plaustro juncti erant hi boves, commorientes in via publica. Conf. Grat. v. 63. Plura de hoc aggeris significatu dabit Savaro ad Apollin. I, epist. 5, et IV, epist. 2; Castalio ad Rutil. Itin. I, 39; Gronovius Observ. in Eccles. cap. 10, p. 108.

41. *Mollito*, rescisso et subacto. Claud. Cons. Mall. 177: « duras sulcis mollire novales ». Jam de morte boum aratorum incipit.

43. *Sulcos perfaciles* vult legi Vonckius loco citato. Ed.

46. *Æstas* pro anno. Val. Flac. VI, 115: « eum Scythiæ jam tertia viderat æstas ». *Domare* juvencos sic solebant Veteres, ut jugo vinculisque collo impositis pares conjungerent, et sic simul incedere cogerent. Reliqua vide ap. Virg. Georg. III, 166 seqq.

Tristem continuo disjugo conjugem,
Nil jam plus metuens mali.
Dicto sed citius consequitur necem,
Semper qui fuerat sanus et integer;
Tunc longis quatiens ilia pulsibus,
Victum deposuit caput.

ÆGON.

Angor, discrucior, mœreo, lugeo.
Damnis quippe tuis, non secus ac meis,
Pectus conficitur. Sed tamen arbitror
Salvos esse greges tibi.

BUCULUS.

Illuc tendo miser, quo gravor acrius:
Nam solamen erat vel minimum mali,
Si fetura daret posterior mihi,
Quod præsens rapuit lues.
Sed quis vera putet, progeniem quoque
Exstinctam pariter? vidi ego cernuam

47. *Disjugo*, disjungo, jugo exsolvo. Ibi expressit Virgilium, qui Georg. III, 517, de eadem re: « It tristis arator Mœrentem abjungens fraterna morte juvencum ». Similia Ovidius, Met. VII, 538, et Statius, Theb. IX, 82 seq. qui, quem *conjugem* Severus, *consortem laborum* dicit: « Amisso qualis consorte laborum Deserit inceptum media inter jugera sulcum Taurus iners ». *Bovem disjunctum* dixit Horat. Epist. I, 14, 28.

49. *Consequitur necem* dixit, ut Terent. Andr. V, 3, *nancisci malum*.

50. In Pithœana *sanus* non exstat in contextu, sed, vacante ejus loco, appositum est in margine, sicut v. 79 *moriens*. Neque vero video, quid aliud utroque loco scribere auctor potuerit.

51. *Pulsibus*, hoc est, singultibus. Apuleius, lib. IV, « Et assiduis singultibus ilia quatiens mihi etiam lacrymas excussit ». Lucanus, IV, 756: « Pectora rauca gemunt, quæ creber anhelitus urget, Et defecta gravis longe trahit ilia pulsus ».

59. *Fetura* in pecore dicitur, quod in muliere puerperium, tum ipse fetus animalis. Varro L. L. II, 1, 18. Hinc *fetæ* non solum gravidæ, sed et quæ pepererunt. Vid. Calpurn. II, 47; V, 36 et 38. Statius, Theb. X, 229, « Cui fetura gregem pecoroso vere novavit ». Varro etiam feturam humanam appellat, lib. II, 10, 6.

62. *Cernuam*, h. e. demisso capite procidentem in terram, ut supra v. 52, *victum deposuit caput*. Sic Virg. Georg. III, 524: « Ad

Junicem gravidam, vidi animas duas
Uno in corpore perditas.
Hic fontis renuens, graminis immemor,
Errat succiduo bucula poplite,
Nec longum refugit; sed graviter ruit
Leti compede claudicans.
At parte ex alia, qui vitulus modo
Lascivas saliens texuerat vias,
Ut matrem subiit, mox sibi morbido
Pestem traxit ab ubere.
Mater tristifico vulnere saucia,
Ut vidit vituli condita lumina;
Mugitus iterans, ac misere gemens,

terramque fluit, devexo pondere, cervix ».

63. *Junicem gravidam*; at *Junices*, inquit Schol. Persii, ad Sat. II, 47, « dicuntur teneræ ætatis boves, quæ jam cesserunt vitulis, necdum tamen ad summam magnitudinem pervenerunt ». Gloss. *Junix*, δάμαλις. Becmanno in Orig. p. 643, quasi juvenix, vacca juvenis. — *Animæ* pro vita brutorum. Eadem phrasi utitur Ovidius Fast. IV, 666, de sacrificio gravidæ bovis : « Det sacris animas una necata duas ».

65. Imitatur hic Virgilium Georg. III, 498 : « Labitur infelix studiorum atque immemor herbæ Victor equus, fontesque avertitur, et pede terram Crebra ferit ».

66. *Succiduo*, labante, vacillante. Ovid. Met. X, 458 : « poplite succiduo genua intremuere ». Claudian. Rapt. Proserp. III, 153 : « Succidui titubant gressus ».

68. *Leti compede*, ut Hor. Carm. III, 24, 8 : « Non mortis laqueis expedies caput ». — *Mortis catenam* dicit Prudentius Hymn. XI, 47. Ed.

70. *Texuerat vias*. Lascivienti saltu et errore luserat in campo. Ovid. Metam. VII, 320 : « Exsilit agnus, Lascivitque fuga, lactantiaque ubera quærit ». Simili phrasi pyrrhicham, ludum armatum, exprimit Claud. VI Cons. Hon. 622 : « certaque vagandi Textas lege fugas, inconfusosque recursus ». — Eamdemque phrasin de labyrintho usurpaverat Virgil. Æneid. V, 588 : « Ut quondam Creta fertur labyrinthus in alta Parietibus textum cæcis iter, ancipitemque Mille viis habuisse dolum ». Inde sumpsit Pacatus in Panegyr. Theodosii, cap. 38, « Incertum iter ancipiti ambage texebat ». Ed.

71. *Mox ibi* edidit Pithœus. Sed vix dubito hic legendum *sibi*, ut ad oram libri scripserat P. Daniel, et edidit Weitzius.

74. *Condita*, clausa morte. Virgil. Georg. IV, 496 : « conditque natantia lumina somnus ». Male huc Weitzius vocat ritum veterem manu condendi morientium lumina.

75. Mugit vacca dolore et desi-

Lapsa est, et voluit mori.
Tunc tamquam metuens, ne sitis aridas
Fauces opprimeret, sic quoque dum jacet,
Admovit moriens ubera mortuo.
Post mortem pietas viget!
Hinc taurus, solidi vir gregis et pater,
Cervicis validæ, frontis et arduæ,
Lætus dum sibimet plus nimio placet,
Prato concidit herbido.
Quam multis foliis silva cadentibus
Nudatur, gelidis tacta Aquilonibus:
Quam densis fluitant velleribus nives;
Tam crebræ pecudum neces.
Nunc totum tegitur funeribus solum:
Inflantur tumidis corpora ventribus:

derio amissi vituli. Ovid. Rem. Am. 183: « Parte sonant alia silvæ mugitibus altæ, Et queritur vitulum mater abesse suum ». Idem Fast. IV, 459: « Ut vitulo mugit sua mater ab ubere rapto ». Vid. Calpurn. Ecl. IX, 32.

76. *Voluit mori* accipi potest pro *brevi post mortua est*. Nam *velle* alteri verbo adjunctum sæpe eleganter abundare docuit Reinesius et Burmannus ad Petron. cap. 70, et sequioris maxime ævi scriptoribus eam formam usitatam esse ostendit Barthius Advers. XII, 1. Signanter tamen *velle mori* dicunt eos, quos mœrore aut morbo confectos tædium vitæ cepit. Ovid. Met. X, 131, plane ut hic Noster: « Ut sævo morientem vulnere vidit, Velle mori statuit ». Idem Trist. I, 3, 99: *et voluisse mori*. Hanc formulam, alias tantum homini aptam, Severus hic bruto, ut supra, v. 35 et 63, *mentem* et *animam*, applicat, non sine exemplo. Nam et apud Tertullian. Apol. c. 30, *reprobus bos mori optans* dicitur macilentus et morbidus.

81. *Solidi gregis*, totius armenti. Alias grex est ovium, et caper *virque paterque gregis* dicitur Ovid. Art. Am. I, 522.

85. Imitatur Virgilium, Æn. VI, 309, ubi innumeras mortuorum umbras foliis autumno cadentibus comparat: « Quam multa in silvis autumni frigore primo Lapsa cadunt folia ». Pari similitudine in descriptione pestilentiæ utuntur Virgilius Georg. III, 470, et Ovidius Metam. VII, 585.

87. *Densis velleribus*, h. e. lanis, quo sensu et Calpurn. Ecl. II, 78. De nivibus etiam Martial. IV, 3: « Densum tacitarum vellus aquarum Defluit ». Et Virg. Georg. I, 397: « Tenuia nec lanæ per cælum vellera ferri ». — Arnob. lib. II: *plumeas crustulas et nives plumeas*. Ed.

90. *Inflantur*, intumescunt cor-

Albent lividulis lumina nubibus:
Tenso crura rigent pede.
Jam circumvolitant agmina tristium
Dirarumque avium; jamque canum greges
Insistunt laceris visceribus frui;
Heu! cur non etiam meis?

ÆGON.

Quidnam, quæso, quid est, quod vario modo
Fatum triste necis transilit alteros,
Affligitque alios? En tibi Tityrus
Salvo lætus agit grege!

BUCULUS.

Ipsum contueor. Dic age, Tityre,
Quis te subripuit cladibus his Deus?
Ut pestis pecudum, quæ populata sit
Vicinos, tibi nulla sit.

TITYRUS.

Signum, quod perhibent esse crucis Dei,

pora, visceribus intus tabo et sanie diffluentibus.

91. *Albent lumina*, oculorum tristis rigor est, albugine tantum exstante, eademque livore suffusa.— *Nubibus* poetæ fœditatem, tristitiam, ipsamque mortem signant. Apud Claud. Rapt. Pros. I, 81, Plutonis *caput mæstissima nubes asperat.* Virg. Georg. III, 523: « oculos stupor urget inertes ».

93. *Tristes* et *diræ* aves sunt carnivoræ, corvi, vultures. Statius, Theb. IX, 28, vocat *catervas incestarum avium*. Ammianus Marcell. lib. xxxi: « Reliqua peremptorum corpora diræ volucres consumpserunt ».

95. *Insistunt frui*, instant vorando, avideque assidueque fruuntur.

96. *Heu! cur?* Plane ad hanc formam Silius, VIII, 82: « Mors testis, et ille, Heu! cur non idem mihi tunc rogus? »

98. *Alteros* pro *alios*. Virg. Ecl. III, 71: « cras altera mittam ». Vide Festum in *Alter*.

99. *En tibi!* τὸ *tibi* παρέλκει· vid. Calpurn. Ecl. VII, 33.

100. *Salvo grege*, Virg. Ecl. VII, 9, *caper tibi salvus et hædi*. Observo Tityri nomen a Bucolicis plerumque pastori feliciori dari, qui salva habet pecora, amissa invenit, aliorum greges sine detrimento pascit. Apud Virg. Ecl. I, 51, Melibœus ad Tityrum: « Nec mala vicini pecoris contagia lædent ». Conf. Ecl. V, 11; IX, 23, et Calp. III, 97.

103. *Pestis*. Qui pure Latine loquuti sunt, pestem non dicunt hunc morbum, sed pestilentiam. Ed.

Magnis qui colitur solus in urbibus,
Christus, perpetui gloria numinis,
Cujus filius unicus.
Hoc signum, mediis frontibus additum,
Cunctarum pecudum certa salus fuit.
Sic vero Deus hoc nomine præpotens
Salvator vocitatus est.
Fugit continuo sæva lues greges:
Morbis nil licuit. Si tamen hunc Deum
Exorare velis, credere sufficit:
Votum sola fides juvat.
Non ullis madida est ara cruoribus;
Nec morbus pecudum cæde repellitur:
Sed simplex animi purificatio

106. Accommodate hoc dicit tum moribus pastorum, qui agris assueti, quæ in urbibus fiant, tantum fando audiunt, tum vero religionis Christianæ, qui tum erat, statui. Nam Theodosio imperante, eversis, quæ in urbibus erant, templis Deorum, aut in ecclesias conversis, Deorum cultores pagis tantum continebantur, in urbibus solus colebatur Christus. Hinc religio pagana dici cœpit, et *pago deditos, pago implicitos* gentiles vocat Prudent. in Romano, 296, et in Symm. I, 620. Vid. Herald. ad Arnob. lib. I, p. 3, et Rittershus. ad Salvian. de gub. DEI, lib. VI, p. 565.

110. *Pecudum salus.* Seberus ad hæc: *Quid autem crucis signum ad boves, et alia animalia bruta?* μὴ τῶν βοῶν μέλει τῷ Θεῷ; *quod haud inepte huc accommodes ex* 1 *Cor. IX*, 9. *Mera igitur, nec expers magnæ impietatis superstitio est, boum vel pecudum salutem ex articulo redemptionis deducere.*

111. *Sic* interpretor *propterea*, quod Deus ille *hoc nomine*, hac re, nempe salute danda, *præpotens* est, hinc *vocitatus est Salvator*, Ιησοῦς, Σωτήρ. Sed fortasse pro *sic* legendum est *si*, hoc sensu: Si vero Deus Salvator, hoc nomine præpotens, *vocitatus*, h. e. invocatus *est*; fugit continuo, etc. — Plane aliter Vonckius in Lect. Lat. lib. II, p. 134, qui putat inepte verba hujus versus, quasi unius rustici sint, connecti, quum duo loquantur. Igitur sic emendat: BUC. *Sic vero?* TIT. *Deus hoc* (vel *hic*) *numine præpotens Salvator vocitatus est.* Ed.

116. Ut voti tui damneris, juvabit tantum fiduciam in ejus auxilio posuisse.

117. Non huic Deo victimis cruentis sacra fiunt, ut Diis gentilium.

119. Minuc. Fel. c. 32: « Litabilis hostia est bonus animus, et pura mens, et sincera conscientia ». Similia vide apud Lact. Epist. c. 58 et 65, et Inst. Div. epist. c. 2.

Optatis fruitur bonis.

BUCULUS.

Hæc si certa probas, Tityre, nil moror,
Quin veris famuler relligionibus.
Errorem veterem diffugiam libens;
Nam fallax et inanis est.

TITYRUS.

Atqui jam properat mens mea visere
Summi templa Dei; quin age, Bucule,
Non longam pariter congredimur viam,
Christi et numen agnoscimus.

ÆGON.

Et me consiliis jungite prosperis.
Nam cur addubitem, quin homini quoque

122. Etiam Cicero plurali numero dixit *solennes religiones*, orat. pro Mil. c. 27. HEUM. Lactant. IV, 1, 4 : « Deorsum mentes hominum depressæ terrenis ut religionibus, sic etiam bonis, inhærebant ».

123. *Errorem veterem*, h. e. Deorum cultum. Sic Prudent. in Symm. I, 507 : « Talibus edictis urbs informata refugit Errores veteres ». — *Diffugiam* edidit Pith. *defugiam* vult Weitzius. Sed hæc talia, ut diffugere et defugere, diffundere et defundere, distringere et destringere, sæpe permutantur, ut difficilis sit electio. Anthol. Lat. Burm. lib. I, epigr. 85 : « Diffugiens pontum silvas Galatea peragrat ».

127. *Congredi* pro una pariterque ire positum, raro significatu. In aliis tamen similibus crebrius hic obtinet, ut in *conferre*, quando significat una cum alio ferre. Virg. Georg. III, 169 : « coge gradum conferre juvencos ». Statius, Silv. III, 3, 42 : « Ipse tuli, quos nunc tibi confero questus ». Et *conferre legem*, pro simul et eodem tempore ferre, dixit Livius, IV, 4, 9. Eodem pertinet, quod est in lapide antiquo apud Fleetwodum, p. 300, *Supremum fati competiere diem*, h. e. simul petiere.

128. Pithœus, quasi pro emendatione, in ora posuit *numina noscimus*, idque in textum admisit Weitzius. Sed *numen agnoscimus* scribendum putat Outhovius ad Carmen Severi Sancti, pag. 846, et nos id merito retinemus. — Quamquam nec male conjecit Vonckius Lect. Lat. lib. II, p. 134 legendum esse *Christi et numina poscimus*; quomodo Virg. Æn. IV, 50 : « Tu modo posce Deos veniam ». ED.

129. Sic rescribendum autumamus : « Stat me consiliis jungere prosperis ». Stat, hoc est, firmiter decrevi : quo sensu ea vox usurpatur a Cicerone, Nepote et Virgilio. HEUM. — Hoc est quod Cato præscribebat : *Cum bonis ambula*. ED.

Signum prosit idem perpete sæculo,
Quo vis morbida vincitur?

131. *Perpete sæculo*, h. e. vita æterna. Minuc. Fel. c. 11 : « Beatam sibi, ut bonis, et perpetem vitam mortuis pollicentur ». Festus : « Perpetem pro perpetuo dixerunt poetæ ».

132. *Vis morbida* pro morbo, ut supra v. 89 *fatum necis* pro ipsa morte. Aliquoties hac forma utitur Lucretius, ut lib. VI, 1224 : « Extorquebat enim vitam vis morbida membris »; et eodem libro v. 1090 : « aut unde repente Mortiferam possit cladem conflare coorta Morbida vis hominum generi, pecudumque catervis ». Ibid. v. 1152 : « Morbida vis in cor mœstum confluxerat ægris ». Ita apud eumdem *vis flammea* pro flamma ponitur. Et Horatius, Carm. I, 5, « Perrupit Acheronta Herculeus labor », id est, Herculis. Ed.

VESPÆ

JUDICIUM COCI ET PISTORIS

JUDICE VULCANO *.

EX P. PITHOEI POEMAT. VETER. P. 577, EDIT. LUGD.

TER ternæ varias cunctæ quæ traditis artes,
Linquite Pierios colles et scribite mecum.
Ille ego Vespa precor, cui, Divæ, sæpe dedistis

* Est sane hoc carmen ignobilis et vilis argumenti, præterea multis mendis obsitum, sed ingeniosum tamen, multisque ad res antiquas et fabulas allusionibus refertum, ut si emendatius et planius legi possit, fortasse nec injucundum legenti futurum sit. Plebeius in eo sermo aptus personis, neque minus ferendus æquo lectori est, atque ille scurrarum apud Petronium in cœna Trimalchionis. Quem si magni viri dignum putarunt, cui illustrando operam darent, nec me mirabitur aliquis hoc carmen producere et interpretari voluisse, cui et P. Pithœus locum inter poemata vetera concesserit, et Casp. Barthius emendando haud levem operam impenderit. Annotatio ipsa docebit, inesse mendoso huic carmini haud pauca, quæ recte constituta scientiam juvare plurium rerum, et aliorum scriptorum locis lucem afferre possint.

1. Hunc versum sic legit Andr. Rivinus : « Ter-trinæ varias cunctis quæ traditis artes ». Ed.—*Terrenæ*, an potius Tyrrhenæ? Nam Lydii Tyrrheni. An *Ter ternæ*, ut apud Alcimum Ecdicium Avitum, illo versu ad Fuscinam sororem : *Quas sibi ter ternas mentitur fama sorores :* ubi et veteres libri nostri *terrenas* habent : ex quo audacius quidam *divinas* fecerunt. PITHOEUS. Omnino scribendum *Ter ternæ*, quod et in textum admisi, et totum versum sic constituo : « Ter ternæ varias, Musæ, quæ traditis artes ». Musas enim hic appellari, sequens versus declarat. Præter Avitum, Sidonius Apoll. Carm. XVI, 1 : « Phœbum et ter ternas decima cum Pallade Musas » : qui Statium respexit Silv. I, 4, 20. Similiter Hor. Carm. III, 19, 13 : « Qui Musas amat impares, Ternos ter cyathos attonitus petet Vates ». Barthius Advers. lib. LI, c. 10, sic vult legi : « cunctis quæ traditis artes ». Conf. Barth. Advers. XVII, 7.

2. *Scribere* est poema condere, ut de quovis opere generatim dici-

Per multas urbes, populo spectante, favorem.
Scribere majus opus et dulcia carmina quæro:
Nec mel erit solum, * aliquid quoque juris habebit.
  Contendit pistor, cocus est contrarius illi:
His est Vulcanus judex, qui novit utrosque.
Ad causam pistor procedit primus agendam,
Canitiem capiti toti præbente farina:
« Numina per Cereris juro, per Apollinis arcum,
* Moror enim, fateor, et jam vix credere paratus
De cujus manibus semper fit panis, an ullus
Quive sit utilior, audet contendere mecum.
Sunt testes anni, faustæ Janique Kalendæ,

tur, quomodo ab Horatio crebro usurpatur et pro poeta *scriptor*.

4. *Populo spectante*. Ex his apparet Vespam fuisse poetam circulatorem, qui per urbes ludos daret, atque hoc certamen coci et pistoris ludicrum populo ediderit, fortasse etiam comœdias.

5. *Mellis opus*, Rivin. et hoc quoque versu *dulcia crimina*, i. e. controversiam jucundam. Ed. — *Majus opus et dulcia*. In *opus* syllabam longam fecit, propter cæsuram, ut sæpius.

6. *Nec solum mel erit* Riv. Ed. — *Nec mel erit solum*,* *aliquid*. Interserendam puto particulam *ast*, ut versus suis cum legibus conveniat: *solum, ast aliquid*. Quæ facile fefellit librarium latens in *al* sequentis verbi. BARTH. Advers. lib. XXX, c. 4. Idem alio loco lib. LI, c. 10, sic vult scribi: *Nec solum mel erit, aliquid quoque juris* habebit. In *juris* lusit amphibolia: mel referendum ad pistorem, jus ad cocum.

11. *Apollinis arcum*, f. *artem*, alludere ad propriam et eminentissimam Apollinis conjicit Riv. Ed.

12. *Moror enim, fateor*. Emendo: « Rumor enim sat erit: et jam vix cede parato ». Ait superbiens pistor, rumorem de se solum satis futurum, ut vix parato cedere necesse habeat cocus. BARTH. — Legit vero Rivinus, *Miror enim, fateor, et sum vix credere pransus*, i. e. promptus et *paratus*, unde librarium glossema arripuisse conjicit: quod mihi placet. Ed. — Barthius rursus, Advers. lib. LI, c. 10, sic refingit: « Me moror in fatuo, vix et jam credere promptus ». Ego retineo, *moror enim*, a μωρὸς, h. e. stultus sum, quod occurrit apud Suet. in Ner. c. 33. Stultus profecto sum, *fateor*, qui in certamen descendam, atque etiam *paratus* certamini *vix credo, an ullus* alius *mecum contendere audeat*, quum is ego sim, de cujus manibus semper fit panis.

14. *Audet*, Rivin. *Ausit*. — *Audet* positum pro *audeat* est ex sordibus deterioris latinitatis.

15. Nullas non anno toto Kalendas suis munusculis missitandis occupatas ait homo gloriosus, et ne-

Quique meum studium per Saturnalia norunt,
Quorum epulas semper rerum commendo paratu.
Sis memor, o Saturne, tuis quod præsto diebus,
Et me præ studio trepidum tu numine firma.
Aurea cœperunt sub te quoque sæcula farre.
Denique si Cereris non tu pia dona dedisses,
Roderet assidue cocus iste sub ilice glandes.
Nempe opus est cunctis panis, quem nemo recusat,
Quo sine, quas possunt mortales ponere cœnas?
Qui vires tribuit, qui primus poscitur, hic est:
Quem serit agricola, quem maximus educat æther.
Hunc pater Æneas Trojanis vexit ab oris.
Me sine quo tua jura valent, ingrate culmina? *
Provocor ut dicam militonem turoso temptas *

mini non horum par scilicet. Kalendis munuscula petita et oblata testatur Martial. X, 75, et aliis non paucis locis. Fuit tamen quum *fastos* hic corruptos esse suspicarer. BARTH. lib. LI, c. 10. — Ritum in Kalendis Jani tangit Martial. VIII, 33, 11: « Hoc linitur sputo Jani caryota Kalendis, Quam fert cum parvo sordidus asse cliens ». ED.

18. *Sis memor, o Saturne*, sc. ejus studii vel ministerii, *tuis quod præsto diebus*.

20. *Sæcula ferre*. Omnino refinge: *farre*. Ait enim, nisi Saturnus Cereri usum frumenti dedisset, cocum istum adhuc rosurum glandes. BARTH.

21. *Pica dona*. Sine dubio legendum *pia*: nisi forte *pice* scripsit, et respexit Picum, Latinorum, post Saturnum, regem.

27. *Æneas Trojanis vexit ab oris*. Respicere videtur ad adorea liba in litore Laurenti consumpta ab Ænea et sociis. Virg. Æn. VII, 109, sqq.

28. *Ingrate culmina*. Emacula: *Me sine quo tua jura valent, ingrate cylindre? Culindre*, veteri scriptura, quod nomen coquinum est in comœdiis. BARTH. Proclivius esset legere *ingrata culinæ*, et ita Rivinus, sed sequentia vix permittunt.

29. *Militonem turoso temptas*. Desperatus versus. Ego refingam: *Provocor ut dicam miles turone Saperda*. — Pro hac Barthii emendatione, malit Rivinus: *melitoma ne rodere tentas*, non male. ED. — Addit Barthius: « Non est pretium operæ omnia exactius indicare, quid *tiro*, *saperda*. Nec movet, quod saperda prima producta apud Persium, Sat. V, reperiatur, quum hoc genus poetarum minime in talibus sit religiosum. Optime autem hoc loco ista quadrare sentiet, qui carmen ipsum contemplabitur, licet calidius correcta ». — Saperda, qui alias piscis est non pessimi saporis, a Varrone pro homine sapiente et festivo positus apud Nonium, II,

Quem docuit notus Cerealis fingere panes,
Urbe Placentinus: cunctas qui tradidit artes,
Pythagoras populo, nescis, quæ suaserat olim,
Mandere ne vellent mixto cum sanguine carnes?
Si jugulatis oves, quid erit quod vestiat? inquit.
Mactentur vituli, nec erit jam vomeris usus;
Nec segetum fecunda dabit sua munera tellus.
Et temere facio, si te, coce, comparo nobis,
Quum possim numen quodcumque potest superorum.
Jupiter ipse tonat: tono, quum molo, sic ego pistor.
Mars subigit bello multas cum sanguine gentes;
Pistor ego macto flavas sine sanguine messes.
Tympana habet Cybele; sunt et mihi tympana cribri.
Thyrsiger en Satyros, facio et saturos ego plures.

823. Sed hoc loco non sapit mihi *Saperda*. Suspicor sic scriptum fuisse: *Provocor, ut dicam, Milonem tu Thraso tentas:* Milo viri fortis exemplum est, Thraso gloriosi magis, quam fortis. Nihil convenientius. Quamquam et hoc admitti pro Vespæ scriptura potest: *militonem tu tyro tentas,* vel *temnis,* ut affectata rusticitate loquendi *militonem* pro milite dixerit, ut infra, v. 82, *Titionem* pro Tityo. Acumen in eo est, quod pistor se militem dicit a Cereali, noto militum duce, doctum.

30. Lusit nominibus propriis, *Cerealis*, propter Cererem s. frumentum, urbis *Placentiæ*, propter placentas, opificium pistorum. Notus Cerealis, dux militum Vespasiani, e Tacito, Hist. III, 59, et noti Præfecti Cereales Romæ.

31. Post *Placentinus* majus interpunctum pono, ut sequentia referantur ad Pythagoram. Fallitur Barthius, Advers. lib. LI, c. 10, qui Cerealem hoc versu indicari putat eorum temporum pistorem fuisse, Placentinum municipem. — Plane appositus locus est Plauti in Captivis, act. I, sc. 2, v. 57, quem Vespa omnino respexisse videtur, ubi Parasito quasi duci hi milites accensentur, *pistorienses, panicei, placentini, turdetani, ficedulenses.* Pistorienses a *Pistorio* oppido Italiæ denominati, panicei a *Pana* urbe Samnitium, placentini ab urbe *Placentia*, turdetani a *Turdetania* sive Bætica, regione Hispaniæ: etiam *Ficedulæ* vicus Romanus. Ed.

34. *Si jugulatis oves*. Sumpsit hæc ab Ovidio, apud quem Pythagoras Metam. XV, 470: *Bos aret, aut mortem senioribus imputet annis: Horriferum contra Borean ovis arma ministret.* Ed.

37. Scribe: *Attemere facio.* Nam se ipsum reprehendit pistor, quum dignitatem suam alterius comparare vilitati velit. BARTH. Advers. lib. LI, c. 10. — *Comparo nobis;* dat *comparo mecum* Rivinus. Ed.

43. Emacula: *Tursiger et Satyros, facio et saturos ego plures.* Thyrsi-

Illum præcedunt Panes, facio mihi panes.
Quidve etiam manibus nostris non dulce paratur?
Nos facimus populos studiose compto placentas, *
Nos adipata damus, nos grata Canopica vobis,
Crustula nos Jano, sponsæ mustacia mitto.
Noverunt omnes pistorum dulcia facta;
Noverunt multi crudelia facta coquorum.
Tu facis in tenebris miserum prandere Thyestem:
Nescius ut Tereus cœnet, facis improbe, natum:
Tu facis in lucis ut cantet tristis aedon,
Mœstaque sub tecto sua murmuret acta chelidon.
Talia si nunquam feci, nec talia suasi,
Ordine primus ero dignus quem palma sequatur.»
  Conticuit pistor: cœpit cocus ordine fari,
Ora niger, studio faciem mutante favilla.

ger Bacchus, cujus comitatum e Satyris, Silenis, Nymphis componit lib. X Strabo, ut Nonnum et poetas cæteros silentio prætercam. BARTH. lib. XXX, c. 4. In edito est *Ursit ten Satyros*. Scribo igitur *Thyrsiger en Satyros*.

46. Legendum arbitror *compoplacentas* et *populis*. Κομπὸς Græcis turgens, tumidus, unde cupediarii composuerint hoc genus placentæ. BARTH. Adv. lib. XXX, c. 4. Legendum est : *populo studiose coptoplacentas*, ut vidit Heinsius ad Petron. c. 40, ubi occurrunt *porcelli ex coptoplacentis facti*, et apud Athenæum, lib. XIV, c. 19, inter placentas Romanorum refertur κοπτοπλακοῦς a κόπτω, cædo, ferio. Etiam *copta* placentæ genus legitur apud Martial. XIV, 68.

47. *Adipatum* Charisius I, p. 73, quodvis opus pistorium dici ait, quod adipe conficitur. Habet et Juven. VI, 631. — *Canopica* alias non invenio. Sed genus crustuli fuisse necesse est, quod ab urbe Ægypti, boni tritici feracissima, ut alia edulia Alexandrinà apud Apicium, nomen accepit.

48. *Crustula nos Jano.* Quid si *Caio?* notum omnes sponsos Caiorum nomine appellatos, boni ominis ergo. BARTH. lib. XXX, c. 4.—Vocabulo numeri singularis alterum pluralis potentiæ conjungi etiam a probatis scriptoribus, ibid. c. 3, demonstrat. — *Crustula* sunt cupediæ operis pistorii. Hor. Serm. I, 1, 25: «Pueris dant crustula blandi Doctores».

51. *Prandere vertem* in edito est. Sed recte Barthius, lib. LI, c. 10, Vera lectio est, inquit, *Tu facis in tenebris miserum prandere Tuestem*, h. e. Thyestem. Nam Sol ad parricidales illas epulas sese abscondisse canitur a poetis.

58. *Faciem mutante favilla*. Sic plane Martialis, X, 56, 2: «Quis jussit fieri te, Theopompe, cocum?

« Si verbis pistor damnavit jura cocorum,
Qui semper multis dicit se vendere fumum,
Illi ne credas, aliquid quia fingere novit.
Stat qui sub saxo quasi Sisyphus atque laborat,
De nuce qui tantum, de melle et polline fingit
Has quas jactat opes: nobis quæ copia dicam.
Silva feras tribuit, pisces mare et aura volucres:
Dat vinum Bromius, Pallas mihi præstat olivam,
Datque sues Calydon; sepe ego condicio dammas,
Sæpe etiam perdix jacet, et Junonius ales,
Gemmantem pinnis solitus producere caudam.
Certe quem extollit, quem laudat sæpius ille,
Quis me non laudet sternentem pisce patellas,
Quum positus madeat deceptus ab æquore rhombus?
Si similem Superis, ego me magis esse docebo.

Hanc aliquis faciem nigra violare culina Sustinet? has uncto polluit igne comas? » Ed.

60. *Vendere fumum* est pervetus gnome de iis, qui inania jactando alios decipiunt. Vid. Lamprid. in Alex. Sev. c. 36, ubi Turinus quidam fumi venditor fumo punitur.— Usurpat phrasim etiam Martialis IV, 5, 7: « Vendere nec vanos circa Palatia fumos ». Ed. — Quin *fumare* etiam dicebant Latini, ut Græci καπνίζειν, mendacia et vana loqui. In Glossis est: « Scurra, qui fumat: circulator, qui fumat ». Pistor sæpe dixerat, se fumum vendere, alio sensu, quod panes igne et fumo facto coquendos venderet. Coquus ejus dictum detorquet ad notandam ejus fallaciam. — Similiter Apuleius in Apolog. p. 311, Elmenh. « Est quidem Crassus iste summus helluo, et omnis fumi non imperitus ». Ed.

61. *Quia fingere novit.* Ἀμφιλογία est in voce *fingere*, quod comminisci aliquid et mentiri notat pariter et est etiam pistorum, opere dulciario aut aliter multa mira fingentium. BARTH. lib. LI, c. 13.

62. *Sub saxo*, respicit ad molam trusatilem pistorum, quæ describitur in Moreto.

67. Barthius l. c. scribendum putat, *ego sæpeque condio dammas*. — Rivinus vero vult legi: *sæpe et venatio damas*, nisi quis præferat *Candavia*, qui est mons Epiri saltibus vastis nobilis: quarum alterutra lectionum magis quam Barthiana mihi arridet. Ed.

70. Trajiciendum hunc versum et postponendum sequenti putat Barthius, ut ab rhombo æquore destituto, et felicitate quadam peculiari ipsi tributa, ars coci commendari dicatur. Juven. Sat. IV, 68: « Et tua servatum consume in sæcula rhombum. Ipse capi voluit ». Mihi item hic versus sua sede exturbatus vide-

Est Bromio Pentheus, est et mihi de bove penteus.
Uritur Alcides flammis, comburor ad ollas.
Sicut Neptuno fervent in cacavos* fluctus,
Novit Apollo suas studiose tangere chordas,
Et mihi per digitos texuntur quam bene chordæ.
Et seco sic gallos quasi Berecynthia galles.
Partes quas tollet... qui cœnat apud me,
Unguellam Hydippi, sycotum pono Promethei.

tur; sed ponendus potius est post v. 72, et sic legendus: « Certe quum extollit, quum laudat sæpius ille Se similem Superis, etc. »

74. *Mihi de bove penteus*. Laceravit Bacchus Pentheum: se quoque boves suos ait instar talis Penthei posse concidere. BARTH. Miror Barthium non vidisse, hic scribendum potius esse, *est et mihi de bove pantex*. Pantices significant ventriculum bovis et intestina pelliculata, sive, ut Scalig. ad Catalecta, p. 230, vult, farcimina, quæ coci conficere ex intestinis solent. Martialis VI, 64, 19: « Quod cum panticibus laxis et cum pede grandi, etc. » Singulari *pantice* usus est Tibullus Carm. in Priap. et nominativus *pantex* in Glossis reperitur.

76. *In cacavos fluctus*. Non dubium de vase quopiam loqui Poetam. Nec est ut longe accersas: mihi vix dubium trajectionem item nocuisse. Scribam: « Sicut Neptuno, fervet mihi fluctus aheno ». BARTH. l. c. Forte sic: « fervent cacabo mihi fluctus », vel « fervent mihi cacaba fluctu ».—Tertull. adv. Psych. cap. 17: *Apud te agape in cacabis fervet*. Sed ibi legit Rivinus: *Sicut Neptuno, fervent ita concava, fluctus*, haud quidem sensui et codicum scripturæ inconvenienter. ED.

78. *Texuntur chordæ*. Cum chordis, h. e. intestinis animantium negotium cocis est.

79. Legendum: « Exseco sic gallos, quasi Berecynthia Gallos ». — Mavult Rivinus metri gratia: « Quasi quum Berecynthia Gallos ». ED.

80. Versus hiulcus, non facile restituendus nisi ope codicis. Forsan excidit *sibimet*.— Hunc versum edidit integrum, ex conjectura, Rivinus: « Partes quas tollet, referam, qui cœnat apud me ». ED.

81. *Unguellam Hydippi*. Fortasse *Unguillam Hippolyto*, hoc est, unguentum. Riv. Ungellæ vel ungulæ suum et pedes in cibis Romanorum fuerunt, et memorantur Apicio, lib. VII, 1. Tribuuntur Hydippo, quisquis ille fuerit, quia ejus nomen ab ὗς, *sus*, descendere videtur. Pro *Hydippi* tamen *Œdipodæ* corrigebat Heinsius, ut annotavit Burmannus vir cl. ad Anthol. lib. V, 166. Sic fuerit OEdipus hic nominatus propter solum vocabulum, quod a pedibus tulit.—Hujus etiam sententiæ est Salmasius ad Spartiani Hadrianum, cap. 26, ubi *Idipi* positum ait pro *OEdipi*, et pluribus exemplis confirmat, in vocabulis origine Græc. sæpe pro *æ* positum *i*, ut *aulidus* pro aulœdus, *tragidus* pro tragœdus. Et adducit vetus epigr. de Sphinge: « Hæc fecit thalamos Idipum conscendere matris ». ED.

Pentheo pono caput, ficatum do Titioni.
Solus aqualiculum reddi sibi Tantalus orat:
Cervinam Actæon tollit, Meleager aprinam,
Agninam Pelias, taurinam lingulus Ajax.

— *Sycotum*, Latinis *ficatum*, est jecur suis fico saginatæ, de quo loquitur Apicius, lib. VII, c. 3. — Et hic addantur verba Th. Reinesii, Var. Lect. lib. III, cap. 4, p. 394: « Inventum M. Apicii fico arida saginare sues; quibus jecur in immensum inde crescit, ut de anseribus fartilibus testatur Plin. lib. XXVIII, c. 51. Ab isto pastu nomen omni jecori, unde Latini *ficatum* et *sycotum*; Vespa in carmine, quo cocum de artis præstantia cum pistore contendeutem introducit, *Sycotum pono Promethei*; post Græci ἀπὸ σύκων, συκωτὸν, σικότιον, σικότι appellarunt ». Ed.

82. *Titioni* pro Tityo dixit, affectata imperitia, tamquam coci, — videlicet melius *titionem* quam *Tityum* cognoscentis. Ed. — Tribuit Tityo ficatum, ut Prometheo, quia utriusque jecur ab aquila apud inferos depasci dicebatur.

83. *Aqualiculum* Tantalo reddit, qui inedia prorsus sit defectus. Nam pro enormi ventre eum usurpant scriptores. Persius: *Pinguis aqualiculus propenso sesquipede exstat.* BARTH.

85. *Agninam* adsignat Peliæ, quod is, in agnum reducto vervece vetere, a filiabus necatus sit, velut a Medea juventuti suæ et viginti ætati restituendus. BARTH. Vid. Ovid. Metam. VII, 310 seqq. — *Lingulum* Ajacem ob impudentiam et imprudentiam, quidvis pro lubitu virium confidentia effutientem vocat. *Lingulaca*, mulier argutatrix, loquacula, linguæ intemperans et immodica, apud Festum. B. *Lingulus Ajax* omnino videtur quasi *Ajax Locutius*, pro linguoso, rixoso, dicaci poni, sed apud alios non legitur. Ajacis rixatio cum Ulysse nota est. — A celebri illa contentione Ajacis cum Ulysse ductum est proverbium, ut quisque contentiosus et dicax homo *Ajax* diceretur. Et quoniam hic frequentissime a poetis signari ab usu clypei, e septem taurorum coriis confecti, solet, hinc taurinam carnem ei dari a Vespa arbitror. Fit hoc ab ipso Ovidio, ubi controversiam Ajacis cum Ulysse super armis Achillis narrare ingreditur, Metam. XIII, 1: « Consedere duces; et, vulgi stante corona, Surgit ad hos clypei dominus septemplicis Ajax ». — Ad hæc alludit Juvenalis Sat. VII, 115, caussidicum nomine Ajacis designans: « Consedere duces: surgis tu pallidus Ajax ». Immo, quod magis appositum ad Vespam illustrandum est, Claudianus hominem inter epulas dicacem et gloriosum simul ac gulosum sic appellat, lib. II in Eutrop. v. 380 seqq. « Acer in absentes linguæ, jactator, abundans Corporis, exiguusque animi .... Tunc Ajax erat Eutropii lateque fremebat, Non septem vasto quatiens umbone juvencos; Sed, quam perpetuis dapibus pigroque sedili, Inter anus interque colos oneraverat, alvum ». Plura de talibus heroibus cœnarum congessit Gebhardus in Crepund. lib. II, c. 15, p. 94. Ed.

Orpheu, tu tollis chordas; Leandre, lacertos.
Me sterilem Niobe, linguam Philomela rogat me.
Pluma Philocteta meruit, rogat Icarus alas.
Bulbula Pasiphae, Europe bubula poscit:
Auratam Danaæ, cygnum bene condio Ledæ. »
Jam finem pugnæ faciat sententia nobis,
Utque cocus præsit: vocem sic Mulciber infit:
« Es coce suavisa, dulcis sed tu quoque pistor.

86. *Orpheu, tu tollis chordas;* vid. not. ad vers. 78 supra.

87. Forte *Me cerebrum Niobe,* Riv. — Quæ pars animantis, aut quod ferculum esse possit *sterilis*, ego non possum assequi aut expendere. — *Hystera* Græcis matrix seu vulva est, quam utique non dubito Niobæ Vespam tribuere, quæ scilicet alba scropha fuerit fecundior, ut a Satirico dicitur. Scribe ergo : *Hysteriam Niobe.* BARTH. Nulla opus est correctione. *Steriles* vulvas, de sue virgine, in eduliis laudat Apicius lib. VII, 1; quamquam multi gulæ proceres maternam, hoc est, suis gravidæ, vulvam præferebant. Martial. XIII, 56 : « Te fortasse magis capiet de virgine porca, Me materna gravi de sue vulva capit ». — Sic apud Petronium, cap. 35 in repositorio cœnæ Trimalchionis super signo Virginis *Stericula* imposita fuisse dicitur, qua recte intelligitur virginis porcæ matrix. Ed.

88. *Plumam* Philoctetæ se daturum ait ob sagittandi peritiam, ut is videlicet pinnas inde sagittis suis aptet. BARTH. Lege : *Pluma Philocteten meruit.* — Melius ego cum Rivino : *Pluma Philocteten amicit.* Ed.

89. Pasiphaen tauro consuevisse, Europam tauro vectam esse, notissimæ sunt fabulæ; quare bubulam utrique Vespa noster adsignatam voluit. Sic enim legendum arbitror : *Bubula Pasiphae, Europe bubula poscit.* BARTH. Sed idem aliter senserat cap. 7. Forte est, inquit, ut scripserit poeta non ineptissimus *Burbula Pasiphae.* Sunt enim intestina Barbaris eo nomine appellata. Glossariolum minutum vetus : *Burbalia, intestina*, Barth. l. c. c. 7. Ego legendum arbitror : *Bubula Pasiphaen, Europen bubula pascit.*

90. *Aurata* est piscis, quem Græci, a superciliis aureis Χρυσόφρυν appellarunt, cujus meminit Plin. IX, 16; Ælian. XIII, 28; Ovid. Halieut. v. 135. Cur aurata Danaæ tribuatur, notum est ex fabula.

91. Hos versus ita legendos censet Barthius : « Jam finem pugnæ faciat sententia; uterque Ut nobis prosit, vocem sic Mulciber infit ». Sed mutatione non opus, si pro ultimis coci verbis accipiantur, qui optat, ut perorata jam caussa sententia judicis finem imponat pugnæ, faciatque, ut cocus præsit. Tum vero Mulciber *vocem infit*, h. e. dicere incipit. Rectius solet Virgilius, *his vocibus infit*, vel *ita farier infit.* Æn. V, 708. — Ita sentit Rivin. et versu sequenti rescribere suadet : *Verum sic Mulciber infit*, quod mihi probatur. Ed.

93. Editum est *suavisa.* Barthius vult *Es coce sat suavis.* — *Es coce*,

Æquales dimitto Deus, qui vos bene novi;
Consentite vobis: sine rixa vivere dulce est, *
Ne frigus faciam, si me subduxero vobis. »

suavis homo, Riv. Ed.—Mihi videtur Vespa vocem *suavisator* finxisse.

95. *Consentite bonis* vult Barthius. Sed sententiæ et loco non bene hoc congruit. Ad concordiam enim invicem colendam pistorem et cocum hortatur, quo respectu necessaria videtur, quamvis vitiosa, lectio, *consentite vobis*. Syllabarum quantitatem negligere solet Vespa. Potuisset tamen eodem sensu: *Conveniat vobis*. Non multum abludit sententia judicis apud Calpurn. Ecl. II, 99: « Este pares, et ab hoc concordes vivite ». — Re autem accuratius perpensa, hæc sententia rejicienda videtur, legendumque, ratione sensus et quantitatis habita, *Consentite boni*, i. e. benevoli et placidi. Ed.

96. Ambiguum est illud ultimo versu *frigus*, quod simul culinæ et pistrini vastationem innuit, et artium contemptum non admodum seriarum: frigus enim contemptum quempiam rei et a pristino vigore remissionem indicat. BARTH.

BEDÆ VENERABILIS

ECLOGA*.

CONFLICTUS VERIS ET HIEMIS,

SIVE CUCULUS.

VER, HIEMS, PALÆMON.

CONVENIUNT subito cuncti de montibus altis
Pastores pecudum vernali luce sub umbra
Arborea, pariter lætas celebrare Camenas.
Adfuit et juvenis Daphnis, seniorque Palæmon.
Omnes hi cuculo laudes cantare parabant.
Ver quoque florigero succinctus stemmate venit;

* Reddo hanc Eclogam ex editione Goldasti, in Ovidii Eroticis, Francof. 1610, p. 190, quæ mihi aliis castigatior visa est; sed collatis variationibus, quas P. Burmannus v. cl. in Anthol. Lat. tom. II, p. 356, e MS Pithœano, codice Colbertino, Vossiano, Leidensi dedit, constituam ipse affectis in locis, quæ mihi optima videbitur, lectionem.

1. *Conveniunt.* Calpurn. Ecl. II, 12: « Convenit umbrosa quicumque sub ilice lentas Pascit oves ».

2. *Vernali luce.* Mos fuisse videtur ejus ætatis et gentis, in qua vivebat auctor, ut pastores et agrestes, vere ineunte, convenirent in silvis, et primum cuculi cantum observarent; quo audito, salutare hunc veris nuntium carminibus, non secus ac pueri in fabula Gellerti, et festos agere dies solerent. Si præ cuculi cantu lusciniam potius admirari isti homines novissent, fortasse poeta, qui ejus cantum celebraret, ex iis melior exstitisset, quam hic Beda, qui propter cuculum suum, non, ut apud Græcos mos erat, ἀηδὼν Μουσῶν, sed cuculus ipse suo jure appellari meretur.

3. *Arboreas* habet codex Colbert. et ed. Francof. minus recte. Quartus versus in Colbert. desideratur.

5. *Cantare parati* legit Pith. cum Voss. et Leid. *parabant* Colb. et ed. Franc. *solebant* Voss.

6. *Stegmate venit* Voss. *scemate* Leid. forte *pegmate*. Sed *stemma* Græco vocabulo dicere potuit pro corona. BURM.

Frigida venit Hiems rigidis hirsuta capillis.
His certamen erat cuculi de carmine grande.
Ver prior adlusit ternos modulamine versus :

VER.

Opto meus veniat cuculus, carissimus ales.
Omnibus iste solet fieri gratissimus hospes
In tectis, modulans rutilo bona carmina rostro.

Tum glacialis Hiems respondit voce severa :

HIEMS.

Non veniat cuculus, nigris sed dormiat antris;
Iste famem secum semper portare suescit.

VER.

Opto meus veniat cuculus cum germine læto,
Frigora depellat, Phœbo comes almus in ævum;
Phœbus amat cuculum crescentem luce serena.

HIEMS.

Non veniat cuculus, generat quia forte labores,
Prælia congeminat, requiem disjungit amatam,
Omnia disturbat, pelagi terræque laborant.

VER.

Quid tu, tarda hiems, cuculo convicia cantas?

7. *Hirsuta capillis.* Exprimit versum Ovidii Metam. II, 30 : *Et glacialis hiems, canos hirsuta capillos.* Ed.

8. Alludit ad versum Virgilii Ecl. VII, 16 : « Et certamen erat Corydon cum Thyrside magnum »; et conf. Calpurn. Ecl. II, 9. Unde apparet, voluisse Auctorem carmina veterum bulicorum amœbæa imitari.

9. *Ternos* etiam cod. Colb. cæteri *terno modulamine.*—*Adlusit* est incepit, h. e. aggressus est ludere; quomodo *adfectum* aliquando dicitur, quod inchoatum est.

10. *Gratissimus ales* Pith. et Voss. sed *carissimus*, quod Colb. et edit. Franc. habet, rectum : nam *gratissimus hospes* sequitur. BURM.

13. *Voce serena* Colb. et ed. Francof. *severa* cod. Leid. quod mihi longe melius videtur.

16. *Gramine læto* Voss.

18. *Crescentem ;* sic Voss. Male præfert *crescenti* cod. Colb. et edit. Francof. sed pro *luce serena* in cod Voss. *severa*. BURM.

19. *Quia*. Præfer. *qui* Voss. et Colb

20. *Disjungit amatam;* at *disrumpit* cod. Leid. *amaram* male in Colb.

22. *Convicia captas* Voss.

Qui torpore gravis, tenebrosis tectus in antris,
Post epulas Veneris, post stulti pocula Bacchi.

HIEMS.

Sunt mihi divitiæ, sunt et convivia læta,
Est requies dulcis, calidus est ignis in æde.
Hæc cuculus nescit; sed perfidus ille laborat.

VER.

Ore refert flores cuculus, et mella ministrat,
Ædificatque domus, placidas et navigat undas,
Et generat soboles, lætos et vestiet agros.

HIEMS.

Hæc inimica mihi sunt, quæ tibi læta videntur.
Sed placet optatas gazas numerare per arcas,
Et gaudere cibis simul et requiescere semper.

VER.

Quis tibi, tarda Hiems, semper dormire parata,
Divitias cumulat, gazas vel congregat ullas,
Si Ver vel Æstas ante tibi nulla laborat?

23. *Torpore gravis*, scil. *es*, edidit Burm. recte; *gravi* cod. Colbert. et edit. Francof.

24. *Post epulas Veneris*, sic edit. Francof. alii *veniens*—Versum excidisse, qui hunc exceperit, suspicatur Burmannus, vir clarus. Sed numerus versuum ternarius, qui perpetuo observatur, quartum non admittit.

26. Pro *est ignis* Voss. habet *sit et ignis;* unde *sed et ignis* legebat Heins. BURM.

28. *Ore feret flores.* Legendum cum Heinsio *Ore refert flores*, quod firmatur a cod. Colbert. *et vina ministrat* descripserat Pithœus, *vel mella* cod. Voss. *et mella* Colbert. edit. cum Francof. BURM.

32. *Numerare paratas*, cod. Colbert. Sed mox v. 34 redit *parata*. Ed.

36. Sic versus hic mendosus in edit. Francof. legitur. *Si Ver vel æstas ante te nulla laborant*, Voss. Leid. et apographum Pithœi: castigatius in cod. Colbert. *Si Ver aut æstas tibi nulla vel ante laborat*. Quia nulla hic autumni mentio, possis ex emendatione Burmanni legere: *Si Ver, Autumnus, Æstas tibi nulla laborat;* nam *autumnus* ultima longa, sequente licet vocali, hic non obstat, ut v. 42, *cuculus alimonia præstet;* et v. 26 sup., *calidus est ignis in æde;* dein *tibi nulla laborant.*, ut v. seq. *mihi multa laborant.* Sed sufficiebat haud dubie Ver et Æstatem solam hoc loco nominare, ideoque sic refingendum versum puto: *Si tibi Ver nullum, nulla Æstas ante laborat.*

HIEMS.

Vera refers: illi, quoniam mihi multa laborant,
Sunt etiam servi nostra ditione subacti,
Jam mihi servantes domino, quæcumque laborant.

VER.

Non illis dominus, sed pauper inopsque superbis,
Nec te jam poteris per te tu pascere tantum,
Ni tibi, qui veniet, cuculus alimonia præstet.
Tum respondit ovans sublimi e sede Palæmon,
Et Daphnis pariter, pastorum et turba piorum.

PALÆMON.

Desine plura, Hiems, rerum tu prodigus, atrox:
Et veniat cuculus pastorum dulcis amicus.
Collibus in nostris erumpant germina læta,
Pascua sint pecori, requies et dulcis in arvis,
Et virides rami præstent umbracula fessis;
Uberibus plenis veniantque ad mulctra capellæ,
Et volucres varia Phœbum sub voce salutent.

37. *Vera refers.* Hic versus deest in cod. Voss. *illi nunquam mihi* cod. Colb.

38. MS Pithœi, Voss. et Leid. hunc versum sequenti postponunt, male: edit. Francof. cum cod. Colb. conspirat.

39. *Nam mihi* scribunt, qui hunc versum ante priorem posuerunt. Leidensis in hoc versu desinit.

40. *Superbis.* Male hic ed. Francof. et cod. Colbert. *superbus.*

42. *Veniat* Voss. *quis veniat* Colb.

45. *Desine plura, Hiems.* Sic cod. Colb. cum edit. Francof. neglecta elisione, ut supra v. 22 et 34; sed sequitur *rerum tu prodigus:* quare malim *Desine plura amens, rerum tu prodigus auctor.* BURM. Nolim ego movere *Hiems:* nam appellatio Hiemis, quam hic alloquitur Palæmon, necessaria est; et nihil officit sequens *prodigus*, quia Hiems ut persona virilis tractatur, sicut et Ver, v. 6. Quapropter nec illud probo, quod cl. Burm. e MS Pithœi dedit: *Desine plura tuens.* Perplacet vero *prodigus auctor*, dignum, quod in contextum reciperetur, si codices addicerent.

47. *Gramina læta* cod. Voss.

48. *Sint pecori* Burmannus dedit: *sunt* Voss. *sit* Colb. et ed. Francof.

49. *Et virides rami*, sic cod. Voss. et Colb. *et dulces rami* edit. Francof. Hunc versum MS Pithœi cum eoque Burm. omittit: codex Voss. hunc et sequentem in unum contrahit: « Et virides rami, venient ad mulctra capellæ ».

Quapropter citius cuculus nunc ecce venito,
Tu jam dulcis amor, cunctis gratissimus hospes;
Omnia te exspectant, pelagus tellusque polusque:
Salve, dulce decus, cuculus, per sæcula salve.

52. *Cuculus citius*, sic et cod. Voss. et Pith. *citius cuculus* cod. Colb.

53. *Tum jam dulcis amor*. Sic cod. Colbert. — *Gratissimus hospes*. Cod. Voss. *Ales* Vid. v. 10 et seq.

54. *Pelagi tellusque salutant*, cod. Colb. ut supra v. 21, *pelagi terræque laborant*. BURM. — Ad hoc carmen præmonet Burmannus se lubens hoc omissurum esse, nisi Pithœus id suæ editioni adjungendum adscripsisset exemplari Bibliothecæ Reg. Paris. sub Bedæ tamquam auctoris nomine, et in titulo VIRGILII DE CONTENTIONE VERIS ET HIEMIS, ut passim similibus versibus Virgilii nomen præfixerunt nugatoriæ librariorum manus. Non meliori jure legitur inter carmina Ovidii, sed supposititia, quæ edita sunt Francof. 1610. Hoc idem carmen ex MS codice Bibliothecæ Colbertinæ, sub titulo MILONIS SANCTI AMANDI ELNONENSIS MONACHI CONFLICTUS VERIS ET HIEMIS edidit Casimirus Oudinus de scriptor. Eccles. tomo II, p. 326. De cæteris videndum est Proœmium quod ad Bedæ Eclogam supre affixum est. ED.

A. SEPTIMII SERENI

MORETUM

EJUSDEM FRAGMENTA

OPUSCULORUM RURALIUM

INCERTI COPA

AUSONII CUPIDO CRUCI AFFIXUS

CASSII PARMENSIS ORPHEUS

PROOEMIUM

DE A. SEPTIMII SERENI

ET CÆTERIS

QUÆ NUNC PROFERUNTUR IDYLLIIS.

De Idylliorum nomine, et quanam ratione ductus hæc, quæ hoc volumine prodire jubeo, subjungenda Bucolicis hactenus tractatis putaverim, dixi in Præfatione hujus tomi (1). Nunc agendum de eorum auctoribus et argumentis est. Primam hic merito operam dico A. Septimio Sereno, qui inter veteres poetas, rei rusticæ scriptores, præcipuum nomen habet, et Musam suam ruris deliciis laudandis et describendis totam dicasse videtur. Hunc autem tam parum cognitum habuerunt quidam eruditi, ut non solum de ætate ejus valde ambigerent, sed etiam, quum eum viderent a Veteribus mox Sereni, mox Septimii nomine citari, utrumque divellerent, et diversos poetas censerent. Petr. Crinitus et H. Stephanus alium poetam A. Serenum, alium Q. Septimium faciunt: Gyraldus tertium adjicit, poetam Phaliscum. Sed conjunctis nominibus Septimium Serenum appellant Marius Victorinus (2), et Sidonius Apollinaris, Epist. ad Polem. p. 372, edit. Sirmond. et quem Terentianus toties

(1) Vid. Præfat. ad secundam partem tomi I hujusce edit. Ed.

(2) Art. Gramm. lib. III, pag. 2578, edit. Putsch. Conf. Sirmondus notis ad Sidon. p. 145.

vocat Septimium, hunc idem et alii, iisdem locis allegandis, Serenum dicunt. Auli prænomen fere obtinet apud scriptores. Unde illud petitum, et qua auctoritate ei tributum sit, equidem nondum inveni; sed tamen qui Q. Septimium nominare voluerunt, omnino errore inducti sunt, atque hoc nomen vel a Q. Sereno Sammonico, rei medicæ scriptore, vel a Q. Septimio historico, qui Dictyn Cretensem latine vertit, in Nostrum transtulisse videntur. Poeta Phaliscus aliquando nominatur a Terentiano, de Metris, pag. 2423, Putsch. et quidem propter Phalisca, quæ idem testatur ab eo scripta esse, ibid. pag. 2427, et quibus villarum suarum, quas in Faliscis habebat, amœnitatem descripsisse videtur. In iis Phaliscis usus est novo genere carminum ab se invento, quod tribus dactylis et pyrrhichio constat, et propterea a grammaticis, Servio in Centimetro, p. 1824, Putsch. et Victorino (1) metrum Faliscum nuncupatur. Ipsum Serenum patria Faliscum fuisse contendit Jos. Scaliger (2), et propterea Crinitum castigat, qui Afrum putaverit. Mihi vero haud ita exploratum hoc videtur, ut certo affirmari possit.

De ætate Septimii Sereni conjicere licet e testimoniis Terentiani Mauri, qui de eo ita loquitur, ut proximum sibi ætate indicet, pag. 2424, edit. Putsch.

Dulcia Septimius qui scripsit opuscula nuper,

et versu præcedente *veteres poetas* ab eo distinguit; tum alio loco Septimium inter novellos et juniores scriptores refert, pag. 2427 :

(1) Art. Grammat. pag. 2578, Putsch. Hinc falluntur, qui Serenum dictum esse Faliscum putant a genere carminis Falisco, quo ipse maxime delectatus sit; a qua sententia non alienus videtur P. Burmannus ad Anthol. Lat. lib. I, ep. 27.

(2) In Comment. ad Moretum. Append. Virgil. p. 158. Idem conjicit Jac. Nicol. Loensis, Miscell. Epiphyll. lib. IV, cap. 5, tomi V Supplem. Facis Gruter.

Nemo tamen culpet, si sumo exempla novella;
Nam melius nostri servarunt metra minores:
Septimius, docuit quo ruris opuscula libro, etc.

Terentianus autem Maurus, qui supparem se ætate Septimio profitetur, æqualis fuit Valerii Martialis, si quidem admittimus, quod Vossius de poetis Latinis, et Fabricius, Bibl. Lat. tom. I, pag. 795, probabile judicant, Terentianum, libelli de Metris auctorem, esse illum Syenes in Ægypto Præfectum, quem Martialis, lib. I, ep. 87, laudat; unde haud infirma ratione colligitur, Septimium Serenum ad Vespasianorum ætatem referendum esse.

De vita et rebus Septimii nihil amplius ex paucis illis, quæ supersunt, testimoniis et fragmentis potest colligi, nisi adoptare sententiam, quæ doctis viris haud paucis, præsertim Lil. Gyraldo de Poet. hist. Dial. X, pag. 500, et J. Frid. Gronovio, Observat. lib. III, cap. 16, placuit, velimus, poetam nostrum esse illum Septimium Severum, ad quem carmen lyricum exstat Papinii Statii, Silv. lib. IV, 5, ibique Serenum legendum esse; et sane plurima sunt Sereni, quæ in Septimium illum Statianum cadant. Ætas primo utriusque convenit, et ambo Domitiani temporibus floruerunt. Serenus lyricis poetis accensetur a Terentiano, l. c. p. 2427; Servio ad Virg. Æn. II, 15; Hieronymo, Epistola ad Paulinum Presb. et talem fuisse Septimium suum declarat Statius in fine allegati carminis. Sidonius, Carm. IX ad Felicem, p. 360, edit. Sirm. Septimium Serenum cum Stella poeta et Martiali conjungit, haud dubie, quod eos æquales et familiares inter se fuisse ex ipsorum poematibus norat. Sed de Sereno hoc vix scire potuit, nisi eum a Statio in Silvis, ut Stellam, inter familiares celebratum credidit. Septimio suo Statius Africam attribuit patriam, l. c. versau 9. Conf. v. 38 et 45.

Tene in remotis Syrtibus avia
Leptis creavit?

Inde est fortasse, quod poeta noster a quibusdam Afer est

habitus; neque adversatur huic opinioni, quod a Terentiano poeta Faliscus appellatur: nam de Septimio tradit Statius, eum puerum admodum in Italiam reductum adultumque inter filios Senatorum operam dedisse foro et eloquentiæ, sæpius tamen rusticatum esse, nunc in paternis sedibus et solo Veiente, nunc in aliis, quæ in Hernicis et Sabinis habuerit, prædiis. Veientibus autem proximi Falisci sunt: unde et Falisco poetæ hæc conveniunt, qui natus quidem Lepti Africæ, sed origine paterna Faliscus, vitam in patriis prædiis ut plurimum egerit, et rusticationis suæ delicias singulari carmine, quod inscripsit Falisca, celebrarit.

Carmina sua Serenus vario metrorum genere, quod e fragmentis patet, conscripsit, præcipue lyrico: unde et lyricis poetis adnumeratus est. Primarium ejus librum, qui sæpissime a grammaticis laudari solet, *Opuscula ruralia* vocat Nonius Marcellus, in cap. 5, n. 35, coll. cap. 3, n. 134; *Opuscula ruris* Terentianus, pag. 2427; alii simpliciter Opuscula. In plures libros divisum hoc opus fuisse indicat Nonius, qui Opusculorum librum I citat, cap. 14, n. 15. Nomen ipsum significat, constitisse illud minutis carminibus, quæ singula rusticationis opera, ut arationum, hortorum, vinearum, pastionum, admistis etiam deliciis ruris et rebus amatoriis, vario metri genere et perjucunde describerent. Inde enim *dulcia Opuscula* Septimii vocat Terentianus.

Alium Sereni librum, *Falisca* inscriptum, memorant Grammatici. Id singulare opus, an pars Opusculorum fuerit, non constat. Certe singulari metri genere compositum fuisse videtur, quod deinceps Grammatici ab hoc opere Faliscum vocarent. Hoc ipsum enim allegatis Faliscis demonstrat Terentianus, pag. 2427:

> Talia docta Falisca legimus;
> Nam tibi notius hoc genus erit,
> Carmine si quid ab hoc posuero.

Serenum autem auctorem ejus carminis non solum Teren-

tianus paullo ante citat, sed Servius etiam Honoratus testatur in Centimetro, pag. 1828, ed. Putsch. qui *Faliscum*, inquit, *constat tribus dactylis et pyrrhichio, ut est hoc :*

Docta Falisca, Serene, dederas (1).

Docta vocat Falisca Terentianus, ut Opuscula ejus *dulcia*. Id fieri propter artem exquisitam et operosius metrum puto, quandoquidem et Catullum opinor toties doctum appellatum esse, quod multum artificium poeticum varietate metri in carminibus suis ostendisset. Falisca autem Serenus sua carmina inscripsit, quod in iis delicias prædiorum, quæ in Faliscis habebat, descripserat. Et Faliscos populorum Etruriæ præcipue studiosos rei rusticæ, pecuariæ et venaticæ fuisse, ex antiquis scriptoribus constat.

Serenum etiam hymnos Deorum composuisse Jac. Nicol. Loensis existimat, Epiphyll. l. c. pag. 452, eorumque exemplum in fragmento, quo Janus anceps celebratur, sibi videtur reperisse. Ego vero non video, cur illud pro fragmento Opusculorum haberi nequeat, e quibus ipse Terentianus adducit, pag. 2424, Putsch.

Dulcia Septimius qui scripsit opuscula nuper,
Ancipitem tali cantavit carmine Janum.

Fortasse id ipsum principium Opusculorum ruralium fuit, et Serenus initio Deos agricolarum præsides invocavit, sicut Varro sub ingressu operis sui fecit. Et Romani in pre-

(1) Sic scilicet hunc versum legendum arbitror, quem Servius aut ipse composuit, ut metri rationem simul et auctorem monstraret, aut ab alio grammatico eumdem in finem compositum adduxit. Putschius edidit *Docta Falisca, Pheronyme, paras*. Sed Serenum hic nominari aliorum codicum auctoritate constat. David Ruhnkenius, v. cel. in notis ad Mallium Theod. de Metris, quem Jac. Frid. Heusingerus edidit, Cap. IV, 4, ex codice Vossiano qui est in bibliotheca Leidensi, sic emendavit : *Docta Falisca, Serene, reparas*. In qua lectione mihi obscurum videtur, cur *reparet* Falisca Serenus. Nic. Loensis l. c. sic allegat hunc versum : *Docta Falisca, Serene, dabis*. Sic autem una syllaba deest pyrrhichio. Itaque collatis variantibus sic putavi legendum, uti scripsi.

cibus ad Deos fundendis primum omnium compellare Janum solebant. Fortasse Serenus alio loco libelli sui sacrum quoddam agricolarum annuum, ubi Janum quoque precari mos erat, descripsit, quemadmodum Cato præcipit de Re Rust. cap. 134, ante messem Cereri porcam immolandam, et prius quam id fiat, Jano Jovique supplicandum ea precum formula, quam ipse præscribit.

Fragmenta Opusculorum Sereni ruralium hoc volumine e variis scriptoribus collecta et explicata dabo, ita tamen, ut iis eruditum et politum, ut Scaliger vocat, Idyllium præmittam, quod Moretum inscribitur, et ad easdem Opusculorum reliquias, licet alias Virgilio auctori tributum, a multis referri solet. Primus illud Septimio Sereno adscribendum censuit Jos. Scaliger in notis ad Append. Virg. pag. 158; Casp. Barthius passim in commentariis ad Statium et Claudianum, item in Adversariis, quasi Sereni opus, citavit; Jo. Weitzius denique et Andr. Rivinus Moretum sub Septimii Sereni, tamquam non dubii auctoris, nomine edidit. Præcipua ratio, ob quam ita statuerent docti viri, ab argumento carminis est, quod partem aliquam vitæ rusticæ, seu primum opus diei, quod rusticus agit diluculo, exsequitur, atque adeo pars Opusculorum Sereni ruralium videri potest. Adversari quidem huic opinioni quodammodo videtur, quod hexametro versu scriptum est, Sereni vero Opuscula lyrico carmine exarata dicuntur; hoc tamen non satis caussæ mihi visum est, cur receptam a multis sententiam de auctore Sereno desererem. Nam Virgilii non esse, diversitas styli evincit, et quamquam certum est, Opuscula Sereni magnam partem e lyricis carminibus fuisse composita, quod plurima eorum fragmenta testantur, inde tamen, nullum aliud, heroici aut elegiaci generis, admissum in iis fuisse, quis tuto contendat? quis bucolicum plane exclusum credat, quod in re rustica præcipue usurpatum? Variatione potius omnium metrorum, quorum singula singulis opus-

culis componendis adhibuit, effecisse Septimium puto, ut dulcia et amœna ejus Opuscula dicerentur. Quo pacto sicut initio Opusculorum aptissimum fuit hexametrum genus, natura sua cæteris metris prius et facilius, ita vix dubium est, quin idem metrum auctor aptissimum putaverit, quo primam partem diurni et rustici operis, ut in Moreto fit, describeret. Et sane insunt quædam in fragmentis Sereni, quæ alias hexametri generis reliquias referre videantur. Fortasse et hoc Septimium, qui Afer patria fuit, Moreti auctorem ostendat, quod Simulum rusticum, et Cybalen, ejus famulam, habitu et figura corporis Afrum genus referentes, inducit, quales fortasse plures Septimius ex Africa in villas suas adduxerat. Et qualem fuisse Cybalen Afram, *labro tumentem*, in Moreto dicit, tali forma alium hominem in Opusculis produxisse videtur, ut ex verbis fragmenti XV patet: *labiumque insigne revellit.*

Quoniam Virgilio a plerisque tributum Moretum est, hinc in multis Virgilii exemplaribus, quibus Catalecta adjuncta sunt, et in Appendice Virgilii Scaligerana, tum in aliis poematum collectionibus, ut in Pithœi Epigr. et Poemat. vet. inter epistolia, dialogos, oratiunculas et poematia, ex utriusque linguæ scriptoribus ab Henr. Stephano collecta et edita anno 1577, in-8, pag. 114, Latinorum, tum in Andr. Rivini collect. carminum de re herbaria et hortensi, Lips. 1655, sæpius editum est. Seorsum vero cum Jo. Ruellii scholiis per Hub. Sussannæum collectis prodiit Paris. 1542, in-12; cum commentar. Jod. Willichii junctum Vomani hortulo et Ausonii Rosis, Basil. 1545, in-8; cum commentario Frid. Taubmanni, Vitemb. 1626, in-4; denique cum notis Jo. Weitzii ad calcem Copæ Virgilii, Francof. 1642, in-8, ubi tamen textus Moreti non editur. Nonnulla in Moretum annotavit Casp. Barthius, Advers. lib. IX, 16, et XXXV, 8. Accuratissime castigatum et illustratum est nuper ab Heynio, viro ill. tomo IV Oper. Virgil. qui de inscriptione poematis præclare inter alia monuit, latius patere argumen-

tum hujus Idyllii, quam significare nomen Moreti videatur. Moretum quidem rusticus, qui inducitur, Simulus narratur conficere, quod edulii rustici genus est ex allio, apio, ruta, coriandro, bulbo, additis caseo, oleo et aceto, iisque contritis et commixtis comparatum. Sed ante hujus opsonii confectionem, copiose refert poeta, quomodo panem sibi in eum diem paraverit Simulus. Nam sub gallicinium surgit, hesterni ignis cineres in foco suscitat, lumen accendit, cellam penuariam recludit, frumentum de acervo tollit, post mola frangit, farinamque cribratam et aqua tepente subactam format in panem, quem Cybale, famula et custos domus, foco accenso coquit. Hæc omnia mira venustate et lepore, simplici nec quæsito verborum ornatu, et lucido rerum ordine narrantur, minimis etiam totius actionis partibus acute eleganterque expressis, ut ingenium artificiumque insignis poetæ, qui tenuissimæ humillimæque rei copiam et ornatum præstare possit, haud difficulter appareat. Sub finem poematis Simulus, parato sibi pane et opsonio ejus diei, boves in agrum educit ad arandum. Quamobrem plane sentio cum Heynio v. cl. describi hoc poemate primam diei partem vitæ rusticæ, esseque hoc principium majoris operis, quo totum diurnum opus expositum fuerit, aut, quod probabilius mihi videtur, successisse plura Idyllia ejus argumenti, quæ cæteras rustici operis partes, alio fortasse metri genere, exsequerentur. De *Moreti* nomine ejusque etymo multa variaque tradiderunt docti viri, Turnebus, Scaliger, Taubmannus, Weitzius. Moretum dicitur omne *intritum*, Græcis τρίμμα, sicut et glossarium interpretatur. Scaliger a græco μυσωτὸν vel μυττωτὸν venire contendit, unde μυττωτεύειν, quod Aristophanis interpres exponit συγκόπτειν, ἐπικραίνειν, δριμύσσειν, h. e. acri humore inficere. Convenit hoc quidem moreto, quod ex acribus herbis conficiebatur, sed formatio tamen nominis, ut ipse Scaliger fatetur, plurium literarum mutationem duriorem atque insolentiorem requirit. Hinc fere malim cum Hospiniano, de Orig.

Fest. lib. II, c. 14, p. 146, et Martinio, Lex. philol. v. *Moretum*, derivare a μορεῖν, quod affligi et laborare, quin et dividere, comminuere, abradere significat. Hesychius, μορῆσαι, μερίσαι, διελεῖν, ἀλθεῖν· ubi pro extremo lego ἀλκεῖν. Inde analogice verbale μορητόν, *divisum*, *contusum*, *comminutum*, ut *insicium* ab insecando. In moreto certe apparent ejus verbi significationes, quod ex herbis, non sectis modo et divisis, sed et pistillo operose tritis, mixtis et coactis in mortario conficitur. Unde et Hesychius, μορόεντα, μετὰ πολλοῦ καμάτου πεπονημένα· nec obscure ad hoc etymon alludere auctor Moreti versu 116 videtur. Etiam *moretarium alliatum* dici monet Donatus ad Terent. Phorm. Act. II, sc. 2. Eodem nomine pilam, qua tunderentur herbæ, moretarium vel mortarium dixerunt, item quod subigitur ex calce, aut arena, aut marmorato. Alliatum, quod Plautus Mostell. sc. 1 vocat, non aliud, quam moretum est. Allium enim herbarum, e quibus confici solebat, præcipuum et usitatissimum. In cæteris quidem variatum est, semper tamen addito caseo. Unde Ovidius, Fast. IV, 371, moretum vocat *caseum elisæ herbæ mixtum.* Idem antiquissimum hoc cibi genus, quo homines uterentur, fuisse docet, et propterea in sacris Cybeles, vetustissimæ Deum, moretum appositum. Quum vetustiorum et rudium hominum mores plerique apud rusticos et pastores remanserint, hinc moretum etiam messorum cibus est apud Virgil. Ecl. II, 10; conf. Horat. Epod. III, 4. Exquisitioris lautiorisque moreti paratum docet Columella lib. XII, cap. 57, et Apicius de Re culin. lib. I, c. 35; quale etiam illud fuisse videtur, quod Suevius, antiquus poeta descripsit singulari Idyllio, cujus fragmentum servavit Macrobius Saturn. lib. II, cap. 14: nam ex eo intelligitur Persicam nucem ei moreto additam esse, quæ olim nux mollusca vocabatur.

Contextum hujus Idyllii, unaque sequentis, quod Copa inscribitur, ad exemplar Scaligeranum recensui, collatis aliis exemplaribus, sigillatim manuscripto, quod in biblio-

theca Academiæ Helmstad. exstat, recente illo quidem, et paullo ante ortum typographiæ exarato, non contemnendo tamen, et interdum satis bonas lectiones exhibente. Equidem meas in Moretum et Copam annotationes ante scripseram, quam Heynii v. ill. in eadem poematia curæ tomo IV Oper. Virg. prodirent. Repetita tamen earum recensione non neglexi addere nonnulla vel retractâre, ubi virum eruditissimum intelligebam me meliora vidisse. (Vid. Volum. quintum nostræ Edit. Virgil. pag. 183, 193 et 209. Ed.)

Quod fragmenta Sereni sequitur carmen, Copa inscriptum, poterat a doctis viris eodem jure, quo Moretum, Septimio Sereno tribui, siquidem ratio ejus rei luculente adeo in hoc, ut in Moreto, fuisset perspecta. Habet enim æque ac Moretum narrationem rei ad vitam rusticam et ruris voluptates pertinentis, et si Serenus opusculis suis universas vitæ rusticæ partes, et quæcumque rure observari solent negotia, mores et ritus, persequi voluit, haud negligere in iis cauponarum voluptates potuit, quum tabernæ cauponariæ, qualis hoc carmine describitur, non solum ad vias publicas et ripas fluviorum, sed etiam, quod ex Martialis lib. III, ep. 58, 24, patet, in prædiis nobiliorum, tamquam pars villarum, institutæ essent, in quibus se et peregrini viatores et ipsa villarum turba, vernæ et coloni oblectarent. Enimvero carmen hoc nostrum eam partem ruris et villarum exsequitur, quo copa inducitur, saltatione, cantu et blanditiis juventutem rusticam ad cauponarias voluptates invitans. Ob quam descriptionem idem poema merito ad Idyllia refertur. Copa est mulier cauponam exercens, Græcis καπηλὶς, quæ et cupa et caupona dicitur, sicut caupo, κάπηλος, copo et cupo. Quæ de copis et cauponibus ex antiquitate notanda sunt, copiose enarrarunt Turnebus Advers. XII, 3, XXIV, 6; Scaliger ad Copam et ad Varr. de L. L. p. 61; Torrentius et Casaubonus ad Sueton. Ner. c. 27; Weitzius ad Copam; Grævius ad Cicer. orat. in Pis. 27, et

Lampius de Cymbalis, lib. II, c. 23. Quæ hoc carmine copa inducitur, simul crotalistria vel fidicina et saltatrix est, e gente Syrorum, quæ videtur a tabernæ vel villæ domino propter artem, quam callebat, empta in cauponam: nam in tabernis et πανδοχείοις, quæ fere publicarum libidinum stabula erant, haberi solebant hujus generis feminæ, alias Ambubajarum nomine notæ, ut arte sua exercenda hospites et viatores quam plurimos attraherent; videturque Septimius, qui in Moreto aratorem vel villicum Simulum, genere Afrum, et in Copa Syram mulierem produxit, egregie designasse morem Romanorum, qui in agris suis constituere Afros homines solebant, eo quod Africa frumenti ferax bonos etiam præstabat aratores; in cauponis vero, ubi quæstus omnis ex hospitum frequentia est, Syras mulieres, quæ cantu et fidibus peregrinos scirent adlicere et delectare. Erat quoque mulierum istarum cauponam exercentium mos, adstare tabernæ foribus, et quæsitis illecebris prætereuntes ad se invitare. Quem morem inprimis respicit Suetonius, de Nerone cap. 27 narrans: *Quoties Ostiam Tiberi deflueret, aut Baianum sinum prætemavigaret, dispositæ per litora et ripas diversoriæ tabernæ parabantur, insignes ganea et matronarum institorio, copas imitantium, atque hinc inde hortantium, ut adpelleret* (1). Hinc *tabernarias blanditias* dixit Apuleius, Apolog. pag. 329, Elmenh. quæ sane hoc carmine venustissime exprimuntur. Neque aliud videtur poetæ propositum fuisse, quam ut morem ganearum et coparum, a Suetonio memoratum, pingeret, et copæ adeo, hospites in cauponam suam invitantis, hortamina et blanditias imitaretur. Unde prioribus quatuor versibus copam ipsam saltantem et crotalum quatientem a poeta describi arbitror, in reliquo carmine copæ hortantis verba referri.

Editiones hujus poematis varias enumerare nihil necesse est, quum eamdem fere sortem hoc poema eumdemque lo-

(1) Vide, quæ præterea hanc in rem annotavit Casaubonus ad Theophr. Charact. cap. 6, et cap. 28, et ad Sueton. l. c.

cum, ac superius Moretum, inter Catalecta Virgilii et in aliis minorum carminum collectionibus meruerit. Præter hæc inter epigrammata Virgilii ethica a Jod. Willichio illustrata, Basil. 1548, inter Errones Venereos ad calcem Petronii, et seorsum cum commentario Jo. Weitzii, Francof. 1642, prodiit; novissime a Petro Burmanno ad finem libri III Anthol. Lat. et a C. G. Heynio, tomo V Oper. Virgil. nostræ Edit. l. c. recensitum et illustratum est (1).

Inter Idyllia etiam huc referre placuit Ausonii Cupidinem cruci affixum, quum propter amœnitatem et præstantiam hujus carminis singularem, ob quam dudum ab aliis vel separatim edi et illustrari, vel præcipuo loco inter Idyllia Latinæ vetustatis censeri meruit, tum quod de Ausonio inprimis bene mereri, plura ejus et præstantiora carmina repetendo, volebamus, quum integra ejus opera vix nactura novam editionem videantur. Argumentum hujus Idyllii, ut ipse auctor in præmissa epistola ad Gregorium memorat, exprimit picturam tabulæ, quæ Treviris in triclinio Æoli, sive, ut alii codices habent, Zoili, in ipso, ut credibile est, palatio Cæsarum conspiciebatur, quaque visebantur Heroides mythicæ antiquitatis, infelicem amorem expertæ, hujus caussa vindicandi Cupidinem in myrto, tamquam cruce, suspensum plectere. Acta hæc fabula fingitur apud inferos in campis lugentibus, quos Virgil. Æn. VI, 440 seqq. describit, ubi animæ duro amore excruciatæ deductæque ad mortem agunt. Unde totum hunc locum Maronis carmine suo respicit Ausonius, quandoquidem et mulierum amore perditarum eadem, quæ Maro, et plura exempla recenset. Olim jam hoc poema separatim edidit, et farragini Eclogarum veterum post Calpurnium et Nemesianum inseruit Jo.

(1) Recentius etiam Copam eleganti carmine Germanico reddidit Jo. Henr. Vossius, v. cl. in *Musen-Almanach für* 1791, pag. 151 seq. Idem in *Musen-Almanach für* 1792, p. 24 seq. Moretum vertit Germanicis versibus, inscribens: *Das Mörsergericht nach Virgil.* Ed.

Oporinus, Basil. 1546, hac præcipue, ut videtur, caussa motus, quod Ausonius ipse, in præfatione ei carmini præmissa, Eclogam nominasset (1). Ob argumentum deinceps ab aliis inter amatoria carmina editum est, ut a Petro Scriverio, qui in collectione variorum opusculorum, quam Baudii Amores inscripsit, cum Pervigilio Veneris et Ausonii Centone nuptiali, variorum notis illustratum dedit, Lugd. Bat. 1638, in-12. Inter Errones Venereos ad calcem Petronii cum variorum animadversionibus exhibuerunt Simon *Abbes Gabema*, Traj. ad Rhen. 1654, in-8, et Mich. Hadrianides Amstel. 1669, in-8. Denique Pervigilio Veneris cum virorum doctorum commentariis seorsum edito additus est Ausonii Cupido cruci affixus, itidem variorum notis, et in his anonymi cujusdam, illustratus Hagæ Com. 1712, in-8. Taceo alias, et quidem ipsorum Ausonii Operum, editiones præstantiores, in quibus hoc Idyllium castigatum explicatumque est. Nobis contextum ejus recensere ad Tollii exemplar visum est (2).

Eamdem ob rationem, quam in præfatione adduximus, Idylliis Veterum accensemus C. Cassii Parmensis Orpheum: nam in eo carmine princeps ille lyricen, cantu silvas et scopulos trahens et animalia fera demulcens, quasi sub obtutum ponitur, et quo studio quibusque curis ad tantam carminis perfectionem pervenerit, breviter demonstratur. Idyllii etiam nomen ei adserit vetus appellatio, qua vocari vel inscribi Cassii istius poemata solebant. Horatius opuscula appellat, Epist. I, IV, 3; opusculorum autem non alia quam Idylliorum

(1) Sicut etiam Ausonii Idyllium *de ambiguitate vitæ*, cum versione Græca Frid. Jamotii, inter *Bucolica antiqua* post Theocritum, Simmiam, Moschum et Bionem editum est annis 1569 et 1600, in-12. Ed.

(2) Ausonii Cupidini cruciato plane simile, vel potius ejus imitatio est carmen cujusdam Modestini de Amore, quod ex Divionensi codice et schedis Salmasianis produxit Burmannus Anthol. Lat. lib. I, ep. 31, et nos huic Minorum Poetarum nostræ editioni inserendum censuimus hujus tomi pag. 665. Ed.

significatio est (1). Quamquam hoc Idyllium quibusdam eruditis minus genuinum visum est, tamen ad formam veteris Idyllii et modum, qui olim opusculorum Cassii Parmensis fuisse videtur, sic satis aptum et compositum est: nam veteres scholiastæ Horatii pleraque ejus carmina brevia fuisse indicant, quum Acro ad loc. cit. epigrammata ejus laudet, et Cruquianus commentator ad Sat. I, x, 62, versus ejus parvi momenti fuisse scribat. Primus illud poemation edidit Achilles Statius ad Sueton. de claris Rhet. cap. ult. qui in Bruttiis inventum indeque sibi missum a Sertorio Quadrimano ait. Sed ipsum Ach. Statium illud confinxisse, plerique eruditorum crediderunt, quorum judicia videri possunt a P. Burmanno ad Anthol. Lat. lib. I, ep. 135, allata. Protulit etiam velut repertum a Petro Victorio Georg. Fabricius ad Senecæ Herc. OEtæum, v. 1034; Lambinus ad Horat. Serm. I, x, 62, et Pithœus inter Epigramm. vet. lib. IV, p. 156. Sigillatim prodire jussit et peculiari commentario illustravit Nathan. Chytræus, Francof. apud Wechelium, 1585, in-8, quocum etiam Fabricius in Bibl. Lat. id prodiisse dicit ad calcem Galatei, quem Italice scripsit Joannes Casa, et Chytræus Latine edidit Francof. 1575, et Rostoch. 1579, et Francof. apud Wechel. 1619, in-8; ego vero in Galatei editione, certe ea, quæ Hanoviæ 1603 prodiit, non inveni. Cum Græca metaphrasi Matthiæ Bergii suis notis ad Phædrum inseruit Conr. Rittershusius ad prolog. lib. III. Recentissime id P. Burmannus produxit loco allegato Antho-

(1) Præter opuscula etiam epistolæ quædam Cassii Parmensis a Veteribus memorantur, ut illa quæ ad M. Antonium scripta est, apud Plin. lib. XXXI, c. 2, § 8, item alia incerta, cujus Suetonius meminit in Aug. cap. 4. Ingenium ejus Horatius dicit *rapido ferventius amni*, et famam fuisse eum capsis librisque propriis ambustum esse, Sat. I, x, 62. Unde apparet, promptum assiduumque eum scriptorem fuisse. Epistolam Cassii Severi ad Mæcenatem, item aliam de Dolabella citat Sosip. Charisius, lib. I Instit. Grammat. p. 80 et 99, ed. Putsch. sed hic Cassius Severus orator est, qui extremis Augusti temporibus floruit, et in exsilio mortuus est, cum Cassio Parmensi non confundendus. Ed.

logiæ Lat. Argumentum et summa Idyllii huc redit, ut summæ assiduæque industriæ ad laudem et gloriam contendentis exemplum in Orpheo ostendatur, qui quum ingenio suo ad canendi artem pulsandæque citharæ studium raperetur, et per pueritiam multa in eo genere tentasset, sed inter dura rudimenta sæpe contemptus ab æqualibus esset, mox pudore suffusus et majore æmulandi studio accensus, parentum suorum sedula auscultatione, et diligentiore exercitatione eam tandem vim artis assequutus est, ut movere silvas cantu, trahere rupes, mulcere feras, ipsosque Manes delinire posset. Plane ad eum modum, sed copiosius, id studium Orphei narratur in libello, qui Ciceroni suppositus est, et *Orpheus, sive de adolescente studioso*, inscribitur, editus postremo a Frider. Monavio, Elbingæ 1643, in-8. Quod si probabilius omnino videri debet, Orpheum Ciceronis ex Orpheo Cassii, quam hunc ex isto, expressum esse, si quidem iste copiosior quasi paraphrasin hujus exhibet, et in gaza D. Marci Veneta repertus a Squarcia, primo editore, dicitur; inde non contemnenda conjectura efficitur, Idyllium hoc si non ab ipso Cassio, certe a multo antiquiore auctore, quam Achilles Statius fuerit, qui illud commentus esse dicitur, profectum esse. Aliud simile Palladii poematium, quod Allegoria Orphei inscribitur, alio hujus operis loco proferemus (1).

(1) Distinguendum etiam ab hoc Cassii poemate illud Lucani de Orpheo, quod ab eo scriptum vetustus auctor vitæ Lucani, et Statius, Silv. II, 7, 57, his versibus testatur: *Et sedes reserabis inferorum, Ingratus Nero dulcibus theatris Et noster tibi præferetur Orpheus.* In eo poemate Lucanus magno cum ingenii plausu descripserat Orphea, qualis ad inferos Eurydicen repetitum profectus et reversus fuerat. E Lucani Orpheo quosdam versus servavit Servius ad Virgil. Georg. IV, 493: *Gaudent a luce relictam Eurydicen, iterum sperantes Orphea Manes.* Ed.

I.

A. SEPTIMII SERENI

MORETUM.

Jam nox hibernas bis quinque peregerat horas,
Excubitorque diem cantu prædixerat ales,
Simulus exigui cultor quum rusticus agri,
Tristia venturæ metuens jejunia lucis,
Membra levat sensim vili demissa grabato,

2. *Excubitor ales*, dictus a vigiliis castreusibus, quæ et agi ad cantum gallorum solebant. Plinius, lib. X, s. 24. *Lucis aves* Martiali; *ales diei nuntius* Prudentio. Theognis v. 862: ἀλεκτρυόνων φθόγγος ἐγειρομένων. — *Prædixerat*. Eo loco legendum notaverat *prævenerat* Jo. Christoph. Wolfius, cujus observata ad marginem collectionis vet. poemat. Pithœanæ scripta mecum vir doctus communicavit. Ed.

3. *Simulus*, nomen indidit rustico suo Septimius a forma et vitæ genere; Simulus a *simus*, qui est depressis naribus. Ita vero fingere solebant personam rusticorum hominum, immo Deorum, ut Sileni, Satyri, Panos. — Non vero *Panos* ut ibi Wernsd. nam Pano curvum et aduncum esse nasum testatur Heynius *Antiquar. Aufs.* P. II, p. 68. Cæterum Pollux Onomast. IV, 147, τὸ σιμὸν vel ῥίνα σιμὴν characteristicam formam esse dicit corporum rusticorum. Ed. — Sic villicus vocatur Simus in cantico Atellanæ apud Suet. Galb. 13: *Venit io Simus a villa*. Silenus simis naribus apud Calpurn. X, 34; atque Simulo huic simus vultus infra v. 107.—*Cultor agri* recte ex veteri membrana Scaliger restituit; alii *horti*: colonum pauperem, non olitorem tantum, fuisse, facile versus ultimus docet.

5. *Membra levat sensim*. Lentitudinem hominis rustici, obtusis sensibus et tardo ingressu, *sensim* exprimit. — *Grabatus* vilior humiliorque aliis lectus, pauperiorum hominum, immo servorum. Videatur Mart. VI, 39; IV, 53; XII, 32.— *Demissa* dicit, quod humilis grabatus esset, *cubile humi positum*, ut Seneca appellat. Χαμευνὴν Græci dixere. — Torum ex herbis et ulvis factum; v. Ovid. Met. VIII, 658. Ed.

Sollicitaque manu tenebras explorat inertes,
Vestigatque focum, læsus quem denique sensit.
Parvulus exusto remanebat stipite fumus,
Et cinis obductæ celabat lumina prunæ:
Admovet his pronam, submissa fronte, lucernam,
Et producit acu stupas humore carentes,
Excitat et crebris languentem flatibus ignem.
Tandem concepto tenebræ fulgore recedunt;
Oppositaque manu lumen defendit ab aura,
Et reserat clausa, quæ prævidet, ostia clavi.

6. *Inertes*, quæ tuto moveri, incedere, aut opus facere non permittunt. Sic *undæ inertes*, *æquora inertia*, quæ navigationem impediunt, Lucano, V, 448; VI, 107. Ovidius, Met. X, 455: *Altera* (manus) *motu Cæcum iter explorat;* et Tibullus, II, 1, 77: « Et pedibus prætentat iter, suspensa timore, Explorat cæcas cui manus ante vias ». Ed.

7. *Læsus*, sc. offenso pede ad focum. — *Sentit* MS Helmst.

8. *Remanebat fumus*. Scaligero placet *fomes;* sed vulgatum præfero. Fumus est index latentis in cinere ignis, quem rusticus requirit. Nec *emanabat*, quod Barthius vult, aptius puto, quam *remanebat*, quod hesterni ignis reliquias exprimit.— Ovid. Fast. V, 506: « Ignis in hesterno stipite parvus erat ». Ed.

10. *Submissa fronte* accipit Barthius de fronte lucernæ, scil. eminente ejus apice, cui inditus est funiculus. Sed *pronam* quum dixisset, quid opus erat addere *submissa fronte*. Hoc igitur de fronte viri in focum se inclinantis, ut ignem admoveat, capiendum.

11. Acu adhibita paullo longius protrudit stuppam lucernæ, cujus humor hesterna lucubratione consumptus erat, ut prunæ admota, ignem conciperet. Plane aliter hæc exponit Scaliger: stupas aridas produxit in acum ad lucubrum, et *acum* dici h. l. putat pro acia, seu filo ex carpta lana vel stupa ducto ad excipiendum ignem, ut sunt sulfurata. Sed hæc doctius et argutius disputantur, quam res poscat. Sic tamen et Dalechampius explicat ad Plin. XVI, 40.

14. *Lumen defendit*. Similiter Silius Ital. lib. VI, 76: « Procedit, renovata focis et paupere Vesta Lumina prætendens ». Ed.

15. *Et reserat clausa*. Mendosum esse hunc versum, varietas lectionis a Scaligero relata, ostendit. Ex ea emendare conatur *et reserat calæ*, mox aliter, *et reserat casulæ*, quod etiam Salmasius amplectitur in Exercit. Plin. p. 656. Quoniam vero in quadam membrana Pithœi, quam Scaliger allegat, lectum est: *Et reserat clave, quæ pervidet ostia clavis*, et tres membranæ veteres habuerunt *qua pervidet*, hinc ita constituendum versum arbitror, « Et reserat cellæ, qua pervidet, ostia clave »; et sic postea reperi Wolfium censuisse legendum. Facit huc

Fusus erat terra frumenti pauper acervus;
Hinc sibi depromit, quantum mensura petebat,
Quæ bis in octonas excurrit pondere libras.
Inde abit adsistitque molæ; parvaque tabella,
Quam fixam paries illos servabat in usus,
Lumina fida locat; geminos tunc veste lacertos
Liberat, et cinctus villosæ tegmine capræ
Perverrit cauda silices gremiumque molarum.
Advocat inde manus operi, partitus utrimque:

locus Heliod. lib. VII: Καὶ διακύψας διὰ τῶν ὀπῶν καθ' ἃς διῴνοιχτο τῶν κλείθρων ἡ ἅλυσις. Ed.—Tenet Simulus lumen accensum, quod quum ab aura manu defendit, qua pervidere et prospicere per objectas tenebras et obtectum lumen potest, ostium cellæ alicujus reserat clavi: neque enim hic ipsius casulæ, in qua habitabat, ostium potest intelligi, sed distinctæ a cubiculo et foco, a quo digressus erat, cellæ sive penuarii, unde frumentum capere volebat.

17. *Quantum mensura petebat*, vetustæ edd. cum Scaligero; alii cum MS Helmst. *patebat*. Nec hoc contemnendum. Videtur habuisse propriam et suis aptam usibus mensuram, non exactam ad modum et pondus publicum.

18. *In octavas* vet. edd. et *occurrit* MS Helmst. Scripta lectio Scaligeri: *Quæ bifido octonas*. Intelligo, mensuram illam sedecim libras frumenti cepisse. Accedebat igitur ad modium, qui sedecim heminas, vel viginti libras ponderales frumenti capiebat.

19. *Adsistitque molæ;* molam intelligit trusatilem, quam et inter supellectilem rusticam refert Cato, de R. R. cap. 10. Eam trudere pauperrimorum fere hominum erat, ut videre est ex hoc Calpurn. III, 85: « Vilia frangentem manualibus hordea saxis ». Vid. Goetzius de Pistrin. cap. 3, § 12.

21. *Veste lacertos Liberat, et cinctus*, etc. ut expeditior sit ad movenda brachia. Sic apud Ovid. Met. VI, 59, Pallas et Arachne: « Utraque festinant, cinctæque ad pectora vestes Brachia docta movent ». Ed.

22. *Tergore capræ* Scaliger ex veteri scriptura reposuit, quod etiam Aldina editio exhibet. Ex caprarum pellibus pastorum et agricolarum vestes. Casaub. ad Theophr. Char. cap. 4. Et inter vestes familiæ rusticæ *pelles manicatas* refert Colum. I, 8, 9.

23. *Perverrit* plurimæ ed. *Præverrit* MS Helmst. habet, et Pithœus edidit, Aldinam sequutus. Cauda vel peniculo animalis villoso pulverem excutere vel mensas extergere solebant Veteres. Hic lacinias vestis villosæ intelligi nihil impedit, quas etiam peniculamenta vocatas Scaliger e fragmento Ennii probat.

24. *Admovet inde* Aldina et vulgatæ edd. *Advocat* aliæ plures, cum scripto Scaligeri et Helmst. Et sic ediderunt Pithœus et Taubmannus. Barthius distinguit: « Advocat inde manus, operi partitus utrimque ».

Læva ministerio, dextra est intenta labori;
Hæc rotat assiduis gyris, et concitat orbem.
Trita ceres silicum rapido decurrit ab ictu.
Interdum fessæ succedit læva sorori,
Alternatque vices; modo rustica carmina cantat,
Agrestique suum solatur voce laborem.
Interdum clamat Cybalen; erat unica custos,
Afra genus, tota patriam testante figura,
Torta comam, labroque tumens, et fusca colore;

Scaliger *partiri manus* barbarismum putat, et legi ex MS vult *partitus utrique*, scil. opus et munus suum. Fortasse et hoc possis : *partitus utrumque*, sc. opus tum ministrandi, tum rotandi in ambas manus, ita ut altera alteri in utroque succederet e v. 28; quemadmodum Phædr. III, 9, *in ambos caritatem partiens.* Sed tutissimum arbitror, quod Heynius amplexus est, *partitus utrimque*, sc. opus ut ab utraque manu tractaretur. Hoc ei offerebat MS Koeler. et favet scriptum Scalig. *utrique.* Sic etiam MS Helmst. habet ab altera manu.—Wolfius in margine libri distinguit : « Advocat inde manus, operi partitus utrique ». Ed.

26. *Assiduum gyris* Scalig. e MS. Hoc rectius puto, ut ad orbem referatur. Et ita edidit Taubm. Sic Tibull. II, 1, 51 : « agricola assiduo satiatus aratro ». Pro *concitat* Helmst. *concutit.*

27. Scal. e MS et Taubm. *Tusa Ceres.* Pithœus *Tunsa.* Pro *ictu* Scaliger vult *actu.* Et mihi hoc aptius videtur. Petronius, c. 135, *quæ facili vilis rota finxerat actu.* — *Rapido silicum* habet Helmst.

29. *Dehinc rustica* MS Helmst. idem *carmina canit*, vitiose.

30. *Solatur voce laborem.* Molam agentes, laboris levandi caussa, certum carmen decantare solebant, Græcis ἐπιμύλιον ᾆσμα dictum, de quo vid. Perizon. ad Ælian. V. H. VII, 4. Ed.

31. *Interea clamat* habent vulgatæ. *Interdum* præfert Scaliger, et dedit Taubm. quod et ego malo, ut respondeat præcedenti *modo :* nam alternat Simulus cantum et inclamationem, ut inter opus excitet famulam somnolentam. — *Cybele* expressit Willichius cum aliis. *Cybalen* pleræque vett. *Thybale* MS Helmst. Scaliger in scriptis semper invenit *Scybalen*, idque παρὰ τὰ σκύβαλα ridicule formatum nomen putat, ut stercoream et lutulentam notet. Sed Cybele vel Cybale notum antiquitati nomen anile est, quo apud Heliodorum, lib. VIII, p. 330 vocatur anus, nutrix Arsaces et ministra rerum amatoriarum. — Wolfius in margine : *Scybalen, erat unica custos.* Et illi videtur *Scybalen* semper esse legendum; nam *Cybale* non est nomen Græcum. Ed.

32. *Tota figura*, h. e. tota specie et figura corporis, quam deinceps per partes describit. — *Tosta* vult Scaliger, de solo colore intelligens.

33. Intorti et crispi crines, labra turgida, et fuscus color sunt vulga-

Pectore lata, jacens mammis, compressior alvo,
Cruribus exilis, spatiosa prodiga planta:
Continuis rimis calcanea scissa rigebant.
Hanc vocat, atque arsura focis imponere ligna
Imperat, et flamma gelidos adolere liquores.
  Postquam implevit opus justum versatile finem;
Transfert inde manu fusas in cribra farinas,
Et quatit, ac remanent summo purgamina dorso:
Subsidit sincera foraminibusque liquatur

tissimi characteres Afrorum, Maurorum, Æthiopum. Vid. Mart. VI, 39, 6 seqq. Spect. I, 3, 10; Anthol. Burm. III, 162. De simili homine sermo esse Septimio videtur in illo fragmento: *labiumque insigne revellit.*

34. Hæc non solum signa patriæ et generis, sed etiam marcidæ senectutis sunt. Talem describit Horatius Epod. 8, 7 seqq. et Plinius Ep. III, 6, de quodam signo Corinthio, « Effingit senem stantem. Pendent lacerti, papillæ jacent, recessit venter ». — *Pectora lata* præfert MS Helmst. et dedit Willich. sed concinnius et reliquis congruentius est *pectore lata*; et sic Aldina cum aliis.

35. Exilitas crurum inter deformitates, qualis notata in Germanico, Nerone, aliis; vid. Suet. Cal. 3; Ner. 51. Et *Crusculum formicæ* Martiali, III, 93, 3. — *Prodiga* est magna et enormis: sic *prodiga alvus piscis* apud Ausonium in Mosell. v. 104. Ed.—*Spatiosa planta*, longa et multum porrecta. Ovid. Art Am. II, 645: « Omnibus Andromache visa est spatiosior æquo ». Gell. I, 1, « modus spatiumque plantæ Herculis ».—*Spatium* ponitur pro magnitudine. Juven. IV, 39, *Adriaci spatium admirabile rhombi*. Ed.—Contra *exiguum pedem* ut partem pulchritudinis laudat Ovid. Am. III, 3, 7, et Art. Am. I, 622.

36. Nervi et varices exstantes continuos in pede quasi perciso sulcos efficiebant, quod fit in macilentis. Plane aberrat Lindenbrogius, qui hunc versum de rupto calceamento accipit.

39. *Opus versatile*, h. e. molæ circumactio, *implevit justum finem*, plane absolvit, quod agendum erat, ut nihil reliquum esset. Scaliger e membrana: *Postquam implevit opus justo versatile fine*, Simulus scilicet. Quod nescio cur melius existimet vulgato.

40. *Transfert*, h. e. mola effundit in cribrum farinas. Scaliger legere jubet *transfert illa manu*, quasi hoc fiat a Cybale, cujus tamen hic nullæ partes sunt. — Pro *fusas* Wolfius *tusas*. Ed.

41. Pro *et quatit* Scaliger vult *decutit* ex Persio, III, 112, *cribro populi decussa farina*; sed nullus liber suffragatur.

42. *Liquatur*, i. e. percolatur, mundatur. Unde *liquidum* Latinis, quod purum est. Varro de Lingua Latina, VI, 5: « Turbida quæ sunt, deliquantur, ut liquida fiant ». *Vina liquare* quid sit, docuit Gesnerus ad Horat. I, 11, 6.

Emundata ceres. Lævi tum protinus illam
Componit tabula, tepidas super ingerit undas:
Contrahit admixtos tum fontes atque farinas;
Transversat durata manu, liquidoque coacto
Interdum grumos spargit sale. Jamque subactum
Format opus, palmisque suum dilatat in orbem,
Et notat impressis æquo discrimine quadris.
Infert inde foco: Cybale mundaverat aptum
Ante locum; testisque tegit; super aggerat ignes.
Dumque suas peragit vulcanus testaque partes,
Simulus interea vacua non cessat in hora;
Verum aliam sibi quærit opem: neu sola palato
Sit non grata ceres, quas jungat, comparat escas.

46. *Transversat durata manu*, h. e. quæ duriora visa sunt, defectu liquidi, ea transversim manu subigit, liquido miscet et cogit, quæ est pinsendi actio: deinde lego *liquidoque coacta*, ut respondeat τῷ *durata*. *Durare* Virgilius Ecl. VI, 35, usurpat de solidata in primordiis universi terra, secretis aquis. Non valde opus esse videtur correctione Scaligeri: « Transversa durata manu, liquidoque coacta »; neque ista Barthii: *transversat durante manu*. —Wolfius vult « Transversa duratque manu, liquidoque coactos Grumoso interdum spargit sale ». Ed.

48. *Format opus* vulgatæ habent, sed vet. codd. Pithœi, Scaligeri et Helmst. *Lævat opus*, quod recepit Taubm. et Heyn. Mihi vulgatum placet; nam *formandi* verbum vix omitti in hoc negotio poterat, pro eoque *defingere* dicit Cato, loco mox excitando. — Et *fingere liba;* Calpurn. II, 65. Ed.

49. *Impressis quadris*. Panes Romani in quatuor partes dividere, impressa nota, solebant, quæ quadræ, et panes ipsi quadrati vocabantur. Mart. III, 77: *sectæ quadra placentæ*. Vid. Scal. et Weitz. ad h. l. — Hic Wolfius legit: *impressas æquo discrimine quadras*. Ed.

51. Vulgo editum est *testisque tegens super;* sed Aldina cum MS Koeler. quo Heynius usus est, et Helmst. *testisque tegit*, eamque priscam lectionem esse Scalig. testatur. *Testum* masc. genere Cato de Re Rust. c. 74; et *testum* neutro gen. Plinius, XXX, 12, s. 39, et XXXII, 7, s. 26, vocat vas testaceum seu figlinum, unde nomen, deinde et æreum, cui impositæ prunæ, quod subjectum esset, torrerent et coquerent. Cato, c. 74: « Farinam in mortarium indito, aquæ paullatim addito, subigitoque pulchre: ubi bene subegeris, defingito, coquitoque sub testu ».

52. *Vulcanus Vestaque* est lectio vet. edd. cum MS Helmst. sed Pithœus et Scaliger, Aldinam sequuti, *Vulcanus testaque* dederunt, quod et rectius videtur; Vesta enim, nominato Vulcano, abundat.

Non illi suspensa focum carnaria juxta,
Durati sale terga suis, truncique vacabant:
Trajectus medium sparto sed caseus orbem,
Et vetus adstricti fascis pendebat anethi.
Ergo aliam molitur opem sibi providus heros.
Hortus erat junctus casulæ, quem vimina pauca,
Et calamo rediviva levi munibat arundo;

56. *Carnaria* per appositionem exponuntur, in quibus essent *terga suis et trunci*. Carnarium ex hoc Sereni loco videmus fuisse tabulam parieti affixam juxta focum, cum plurimis uncinis, quibus succidiæ, tomacula, lardum ac quævis alia ad victum necessaria suspendi consueverant. Pendebat simul furca levandis et reponendis in carnarium reliquiis parata. Petronius, cap. 135: « Pannum de carnario detulit furca, in quo faba erat ad usum reposita, et sincipitis vetustissima particula ». Ovid. Met. VIII, 649: « furca levat ille bicorni Sordida terga suis nigro pendentia tigno ». *Fumosum tigillum* vocatur in carmine Petron. c. 13, loco valde affini. Vid. et Varro de Re Rust. II, 4. — Marcellus in carm. de Medic. v. 34: *Quod viride hortus habet, vel quod carnaria siccum*. Lucilii versus est apud Nonium v. *Lurcones*, p. 11: *Ut lurcaretur lardum et carnaria furtim Conficeret*. Ed.

57. *Trunci* sunt pernæ, vel pedes cum pulpis suis detruncati: *ungulas trunculosque suum* vocat Celsus, II, 22. — Verbum *vacabant* quam sententiam h. l. obtinere possit, non videre se ait Scaliger, itaque e vett. edd. *rigebant* mavult. Barthius *vacabant* defendit et interpretatur *otiose pendebant*, qui sensus plane alienus ab hoc loco est. *Non illi vacabant*, h. e. non illi præsto erant terga suis et trunci, nec per facultates ei licebat offam carnis paratam habere ad opsonium. Propterea moretum ex herbis hortuli sui parabat. Lucan. V, 327: *quot tela vacabunt*, i. e. aderunt, parata erunt. Sabinus Epist. I, 127, *interque vacantia vina*, ubi interpretor vina apposita et parata ad bibendum. Sic alias patere, servire cui dicuntur, quæ prompta, parata, obvia ei sunt. — Et *vacua* Horatio est, quæ alteri parata et dedita, nec alio amore occupata est; Carm. I, 5, 10, *Qui semper vacuam, semper amabilem Sperat*; et *vacare* pecunia dicitur, quæ præsto est et in arca servatur, non fenori exposita. Ed.

60. *Herois* nomen h. l. significare statæ ætatis hominem, observat Barthius Advers. XXXII, 12, sed parum εὐστόχως. Mihi comicum et festivum videtur istud nomen esse, ut totum hujus carminis εἶδος, quod confectionem placentæ et moreti, quasi egregii et magni operis, describit, adeoque opificem ejus, ut hominem inprimis strenuum et animosum sistit.

62. Vulgatæ edd. *redimita*, nullo sensu idoneo: *rediviva* exhibent MSS et quædam vett. edd. cum Taubmanno, id est, παλιμβλαστής · *recidiva* Scaliger nil aliud esse censet, quam vestigium corruptum priscæ

Exiguus spatio, variis sed fertilis herbis:
Non illi deerat, quod pauperis exigit usus.
Interdum locuples a paupere plura petebat.
Nec sumptus erat illud opus, sed regula curæ.
Si quando vacuum casula pluviæve tenebant,
Festave lux, si forte labor cessabat aratri,
Horti opus illud erat. Varias deponere plantas
Norat, et occultæ committere semina terræ,
Vicinosque apte cura submittere rivos.
Hic olus, hic late fundentes brachia betæ,
Fecundusque rumex, malvæque inulæque virebant;

lectionis. Nempe horto Simuli non sepes densa et arte texta, sed fossa circumducta, in eaque virgulta rara et sponte nata, et arundines calamis succrescentibus quotannis redivivæ, pro limite et munimento erant.

64. *Nil illi deerat* MS Helmst. et versu seq. *multa petebat.*

66. Versus hujus, fortasse corrupti, sensus impeditior præcipue pendere a significatione vocis *regula* videtur, quæ h. l. est caussa, ratio, lex, ordo rei. Opus illud, h. e. hortulus a Simulo cultus, regula erat, non sumptus, sed curæ, quum eum non ad majores sumptus faciendos, aut lautius vivendum invitabat, sed ad majorem curam et labores diligentius disponendos. Hoc amplius declarant, quæ sequuntur, atque hac interpretatione contentus, referre supersedeo, quæ Barthius Advers. XXXV, 8, pro emendatione hujus loci tentavit.

67. *Si quando.* Sic Virgil. Georg. I, 259: *Frigidus agricolam si quando continet imber.* Quod hic de horto juxta agricolationem culto ait, ad hoc respicere videntur verba Ciceronis de Senectute, c. 16: *Hortum ipsi agricolæ succidiam alteram vocant.* Ed.

69. *Disponere plantas* vulgo editum est: *deponere* Aldina præfert et MS Helmst. quod mihi probatius visum est.

71. *Vicinos apte*, hæc conjungenda arbitror; *apte vicini* rivi sunt propter vicinitatem opportuni ad submittendum. Tales requirit Columella, lib. X, 23: *Vicini quoque sint amnes, quos incola durus Attrahat auxilio semper sitientibus hortis.* Vocabula *durus* et *attrahat* curam et laborem ærumnosum in fodiendo ducendoque canali significant. Unde hic Serenus, *cura submittere*, ut opponat rivo ingenuo et naturali. *Submittere* autem de fecundatione usurpat apte, ut Virgilius Ecl. I, 46, *submittere tauros.* Aliter Virgil. Georg. I, 106: « Deinde satis fluvium inducit, rivosque sequentes »; et Calpurn. IX, 35, *irriguis nutrire canalibus hortos.*

73. Post hunc versum in cod. Helmst. inseritur iste: *Plurima crescit ibi surgitque in acumina radix:* eumdem MS Scaligeri alio loco,

Hic siser, et capiti nomen debentia porra;
Hic etiam nocuum capiti gelidumque papaver,
Grataque nobilium requies lactuca ciborum,
Et gravis in latum demissa cucurbita ventrem.

post v. 76 exhibebat hoc modo: *Plurima surgit ibi crescitque in acumina radix*. Describuntur radices, h. e. ῥάφανοι, et quæ in radicem crescunt, ut siser et porrum. Itaque aptiorem locum versus in MS Helmst. habet, quam in Scaligerano, postquam papaver et lactuca intercesserat: quamquam interpolatum, aut minus sanum esse, vocula *ibi* minus conveniens facile ostendat; rectius tamen, quod Scaligeri codex habet, *crescit in acumina* esse videtur, quam *surgit in acumina;* nam de plantis sermo est, quæ in radicem crescunt inferius, et *acumina* igitur pro radicibus ponuntur, sicut apud Ovid. Metam. XI, 72, pro pedibus mulierum in arbores conversarum: « Quippe pedum digitos... Traxit, et in solidam detrusit acumine terram ». Similiter de porro capitato Priapeia: « Crescensque semper in suum caput porrum ».

74. *Hic cicer* et *debentia cepe*, edd. vulgatæ, cum MS Helmst. sed ex veteri scriptura Scaliger, Pithœus, Taubm. Weitzius dederunt *Hic siser* et *debentia porra;* nam siser inter hortensia, non cicer: deinde capiti nomen debet porrum capitatum, quod dicitur, κεφαλωτὸν πράσον, quod in caput nutritur, eoque distinguitur a porro *sectivo*, quod Noster infra v. 83 *sectum*, Juvenalis *sectile*, Martialis *tonsile* vocat; de quo vid. Plin. XIX, 6, s. 33.

75. Hunc versum abesse a cod. suo testatur Scaliger, nec tamen damnat. Præteriri facile a librario poterat, ob recurrentem vocem *capiti*, quæ versu superiori legitur.

76. Ex hoc versu Scaliger apparere dicit, eo tempore, quo scriptum Moretum, Romanos adhuc cœnas suas lactucis clausisse, quibus inchoabant ætate Martialis. Vid. hic lib. XIII, 14, et XI, 53, 5. Sed uter usus lactucæ verbis *requies ciborum* indicetur, finiendi an inchoandi dapes, mihi adhuc dubium videtur. Credebatur lactuca ventrem ciere, fastidium stomachi tollere, appetitum irritare; igitur lactuca sumpta cibi reliqui appetentius recipi, meliusque *sedere*, poterant, ut loquitur Horat. Serm. II, 11, 73, quod est *requies ciborum*. —Alteram tamen interpretationem quodammodo confirmat Virgil. Æn. I, 727: *Postquam prima quies epulis mensæque remotæ*. Ed.

77. *In latum demissa ventrem*, quæ a vertice angustiore in latiorem ventrem procedit, excrescit. — Sic Columella, lib. II, 10, 24: *Napus non in ventrem latescit*. Ed. — Pro demisso *defossum in ventrem propulso pondere tergum* dixit Servastus Lupercus, Eleg. de Cupid. Anthol. lib. III, 74, p. 516; contra *puteum demissum*, pro defosso, Virg. Georg. II, 231. De cucurbita similiter Propert. IV, 2, 43: « Cæruleus cucumis, tumidoque cucurbita ventre »; Colum. X, 384: « globosi Corporis atque utero [illegible] mescit »; [illegible] *bita*, et [illegible] Ju[illegible]

Verum hic non domini, quis enim contractior illo?
Sed populi proventus erat; nonisque diebus
Venales olerum fasces portabat in urbem:
Inde domum cervice levis, gravis ære redibat,
Vix unquam urbani comitatus merce macelli.
Cepa rubens, sectique famem domat area porri,
Quæque trahunt acri vultus nasturtia morsu,
Intubaque, et venerem revocans eruca morantem.
Tunc quoque tale aliquid meditans intraverat hortum;
Ac primum leviter digitis tellure refossa,
Quatuor educit cum spissis allia fibris.
Inde comas apii graciles, rutamque virentem
Vellit, et exiguo coriandra trementia filo.
Hæc ubi collegit, lætum consedit ad ignem,

78. *Contractior*, h. e. parcior, frugalior. Horat. Epist. I, VII, 12: *sibi parcet, contractusque leget*. Propertio, II, 23, 18, *adstrictus pater*.

79. *Populi profectus* habebat membrana Scaligeri, *certisque diebus* Aldina et Scaliger edidit; *notis* vett. edd. cum MS Helmst. inde Pithœus, Scaliger, Barthius conjecerunt *nonis*, idque plane expressum video in edit. Virgilii Seceriana, Haganoæ 1531: intelliguntur autem nundinæ, quibus rustici in urbem proficisci ad mercatum solebant. Vid. fragm. Sereni XVII.

80. Pithœus et Scaliger ex scripto libro volunt *Venales humero;* sed *olerum* vix videtur abesse posse, ut quæ sit res venalis intelligatur. Hieronymus ad Pammach. *olerum fasciculos* dixit, et conferendus plenior locus Columellæ, X, 314.

81. *Cervice levis*, innuit, ipsum portasse humeris olera sua in urbem, et ne asellum quidem aut caballum habuisse, quibus uti olitores ad earum rerum vecturam solebant Virgil. I, 273; Hor. Epist. I, XVIII, 36, « olitoris aget mercede caballum ». — *Gravis ære redibat* expressum est ex Catullo, XX, 13; Virgil. Ecl. I, 36; Colum. X, 310; Ovid. Fast. IV, 787.

82. Vetus scriptura Scaligeri: *Vix unquam urbani vacua mercede macelli*, quam non satis intelligo.

83. *area porri*, porrum ex areola horti sublatum.

87. Vetus scriptura Scaligeri *tellure refusa:* error librarii; paullum laxavit et refodit terram digitis, ut allia educeret — Wolfius tamen melius esse ait *refusa*. Ed.

89. *Rutamque virentem* præferunt pleræque edd. vett. Scaliger in veteri scriptura invenit *rutamque rigentem*, h. e. ἀφροδισιαστικήν · et sic habet ed. Secer. 1531. — *Stupratricem rutam* a Martiale vocari notavit ad hunc locum Wolfius, quod non invenio. Ed.

91. *Lætum ad ignem*, quia luce et

Et clara famulam poscit mortaria voce.
Singula tum capitum numeroso cortice nudat,
Et summis spoliat coriis, contemptaque passim
Spargit humi, atque abicit: servatum gramine bulbum
Tingit aqua, lapidisque cavum demittit in orbem.
Hinc salis inspergit micas; sale durus adeso
Caseus adjicitur; dictas super ingerit herbas,
Et læva vestem setosa sub inguina fulcit.
Dextera pistillo primum fragrantia mollit
Allia; tum pariter mixto terit omnia succo.
It manus in gyrum: paullatim singula vires
Deperdunt proprias; color est e pluribus unus;
Nec totus viridis, quia lactea frusta repugnant;
Nec de lacte nitens, quia tot variatur ab herbis.
Sæpe viri nares acer jaculatur apertas

calore recreat agricolam hiberno die. Focus lucens solitus recreationis et remissionis locus rusticis et vernis. Horat. Epod. II, 65; Mart. III, 58, 22; sic ab Horatio dici puto *renidentes Lares*.

92. *Mortarium* vas rotundum et cavum, in quo herbæ pistillo terebantur, moreto conficiendo, unde nomen; infra v. 96 *lapidis cavus orbis* vocatur.

93. Vett. editiones fere constanter habent *numerosa cortice;* Taubmannus et Rivinus emendant *numeroso;* vetus scriptura Scaligeri exhibuit *nodoso corpore*. Aldina *nodoso cortice;* MS Helmst. *nodoso vertice*, vitiose.

94. Coria nominat summum corticem ceparum, ut interiores tunicæ dicuntur: unde *tunicatum cepe* Horatio, et Statio, Silv. IV, 9, 30: *replicitæ bulborum tunicæ*. Petron. c. 135: « At illa dentibus folliculos perite spoliat, atque in terram veluti muscarum imagines despuit ».

95. Pithœus cum quibusdam vet. editionibus hic expressit, *atque adicit servatum gramine bulbum*, quod omnino vitiosum est: neque enim bulbus diversus a cepis, qui iis adjiceretur, est, sed ceparum caput vel nucleus, qui *servatus gramine*, h. e. fibris vel coriis detractis et abjectis reliquus est.

97. Pithœus in margine *adspergit*, et sic legit MS Helmst. *adesa* alias illa dicuntur, quæ sale adspersa sunt, hic ipsum sal adesum. Sed et corpora dicuntur *vesca*, et ipsum sal quoque *vescum*. Sic Scaliger.

98. *Super inserit*, vett. edd. etiam Haganoensis, 1531.

102. *Vires deperdunt proprias*, h. e. sapor colorque perit singulorum, dum mixtus et communicatus cum reliquis fit omnium.

106. *Jaculatur*, h. e. ferit, pungit. Horat. Carm. I, 2: *sacras jaculatus arces*. — *Spiritus* est odor et

Spiritus, et simo damnat sua prandia vultu.
Sæpe manu summa lacrymantia lumina tergit,
Immeritoque furens dicit convicia fumo.
Procedebat opus: non jam salebrosus, ut ante,
Sed gravior lentos ibat pistillus in orbes.
Ergo Palladii guttas instillat olivi,
Exiguique super vires infundit aceti;
Atque iterum commiscet opus, mixtumque retractat.
Tum demum digitis mortaria tota duobus
Circuit, inque globum distantia contrahit unum,
Constet ut effecti species nomenque moreti.
  Eruit interea Cybale quoque sedula panem;
Quem lotis recipit manibus, pulsoque timore

exhalatio. Gellius, Noct. Att. IX, 4: *spiritu florum naribus hausto.* Acrimoniam *spiritus* e moreto fortasse indicat fragmentum illud Novii apud Non. Marc. III, 182: *lacrymæ cadent, calet pistillus.*

107. *Simo vultu damnat*, hoc est, aversatur vultu contracto, quum propter naturalem ejus habitum, ob quem Simulus dicitur, tum ex nausea odoris. *Simatæ nares* in Luperci Servasti Elegia, Anthol. Lat. tomo I, p. 516; *simare* autem nares idem est ac *corrugare* Horatii Epist. I, v, 23. *Summo vultu* est in quibusdam edd. vett.

109. *Fumum* Scaliger perperam interpretatur τὴν δριμύτητα· nunc enim sermo est de fumo foci, uda haud dubie ligna urentis, ad quem adsistit Simulus (vid. v. 91), qui et ipse *lacrymosus* dicitur. Hor. Sat. I, v, 80; Lactant. Sympos. n. 7; Auson. Epist. IV, 5, *piceo lacrymosa colonica fumo.*

110. Cod. Helmst. hic *nec tam salebrosus*, et in seq. *graviter lentus.* Salebrosus initio ibat pistillus, quum frusta casei integra, et caules herbarum crassiores, comminueret et tereret, sed gravior in lentos orbes, quum comminutæ jam particulæ tenacius adhærescerent pistillo.

113. *Vires aceti*, h. e. acetum acre et mordax; vid. v. 102.

114. *Mixtumque recurvat*, cod. Helmst.

116. Fundo plano erant mortaria Veterum, ita ut intritum posset in medium contrahi. Colum. XII, 55, 1: «Quum contritum fuerit, totum intritam ad medium mortarium contrahito, et comprimito manu plana».

117. De ratione nominis Moreti dixi in prooemio.

118. *Exuit* quædam vett. male: *eruit*, nempe e cinere et testa.

119. Scaliger in membrana vet. legit *Quem lætus recipit*, quod non spernendum: sed *lotis recipit* in omnibus vulgatis est: quædam veteres et MS Helmst. habent *recipit lotis*.— Mihi vero non displiceret *totis*, si qui codices addicerent, quod quidem panis istius magnitudo confir-

Jam famis, inque diem securus Simulus illam,
Ambit crura ocreis paribus, tectusque galero
Sub juga parentes cogit lorata juvencos,
Atque agit in segetes, et terræ condit aratrum.

mat, quæ v. 18 conjici potest. Ed.

120. Quædam veteres habent *Hinc famis*, minus commode.

121. *Ocreæ* erant calceamenti genus, crura ipsa vinciens, quo utebantur, qui opus rure faciebant, agricolæ, venatores. De his et cothurnis, vid. Virg. Georg. II, 8, et Serv. ad Æn. I, 336. Etiam Horatius, Sat. II, III, 234, de venatore, *In nive Lucana dormis ocreatus*. Vid. Vlitius ad Cynegetica Grat. v. 338, et Nemes. 90. — *Galerus* quoque erat rusticum et pastorale capitis tegumentum, propulsando solis calori; de quo vid. quæ notavimus ad Grat. v. 340.

122. *Juga lorata* Vitruvius *subjugiorum lora* vocavit lib. X: *Eadem ratione jumenta, quum juga eorum subjugiorum loris per medium temperantur, æqualiter trahunt onera*. — Cato *subjugia lora* vocat. Lindenb.

123. *Segetes* pro agris, ut Virgilio, Georg. I, 47: *terræ immittit* MS Helmst.

N. B. Iterum monemus, in Virgilii nostra editione, tom. V, pag. 193-212, multa occurrere, quæ diversa lectionibus, notis Heynianis discussa, contrarios Wernsdorfio sensus præbeant: neque inanis opera lectori perdetur, si virum utrumque doctissimum inter se conferat; si præsertim utriusque textum versione Græca Moreti comparata perpendat, in qua Musam Scaligeri ludentem eleganter et fideliter canentem inveniet. Ed.

II.

A. SEPTIMII SERENI
OPUSCULORUM RURALIUM
FRAGMENTA.

E TERENTIANO MAURO.

I*.

JANE pater, Jane tuens, Dive biceps, biformis.
O cate rerum sator, o principium Deorum,
Stridula cui limina, cui cardinei tumultus,

* Hæc e Septimii Opusculis affert Terent. Maurus de Metris, p. 2424 Putsch. Secundum versum, non nominato Septimio, Mar. Victorinus, Art. Gramm. lib. II, p. 2532 Putsch. quartum idem lib. III, p. 2583, quintum ibid. et lib. IV, p. 2594. Retulit Henr. Stephanus inter fragm. poet. vet. Lat. p. 417; Pithœus inter Epigr. vett. lib. I, p. 4; Scaliger in Catal. vet. poet. lib. I, p. 223; Burmannus sec. in Anthol. Lat. lib. I, epigr. 27. Illustravit Boxhornius ad Plutarch. Quæst. Rom. p. 108; Ouzelius ad Minuc. Fel. p. 111; Dempsterus ad Rosin. lib. II, cap. 3.

1. Diis fere omnibus patris nomen additum, sed Jano peculiare est. Arnob. lib. III, p. 117: « Incipiamus solenniter ab Jano et nos Patre, quem quidam ex vobis mundum, annum alii, solem etiam prodidere nonnulli ». Confer. Macrob. Sat. I, 9. — *Jane tuens*, quia et bifrons et pluribus oculis omnia, quæ a tergo et quæ ante sunt, videt. Ovid. Fast. I, 92, 139 seqq. Mart. VIII, 2, 4.

2. *Rerum sator*, ut Mart. X, 28, 1: *Annorum nitidique sator pulcherrime mundi.* — *Principium Deorum* dicitur tum antiquitate, quia esse Chaos putabatur; vid. Festus voc. *chaos*, et Ovid. Fast. I, 103 seqq. tum honore supplicationis, quod invocari primum solebat in sacris. Et fortasse hoc fragmentum Sereni integræ precationis Deorum initium est. Vid. Ovid. Fast. I, 171 seq. Martial. VIII, 8, 3.

3. Jano attributam custodiam mundi, ejusque cardinum, referebant æreæ stridentesque portæ ejus

Cui reserata mugiunt aurea claustra mundi.
Tibi vetus ara caluit Aborigineo sacello.

templi, quod erat Romæ. Vid. Ovid. Fast. I, 119, et Virg. Æn. VII, 607. — *Tumultus* proprie tribuitur cardinibus Jani, quibus apertis bellum incipiebat. Nam tumultus est concurrentium ad arma hominum, et stridor apertarum belli portarum *trucem armorum tumultum*, ut Tacit. Ann. IV, 47, ait, referebat. Conf. Virg. Æn. VII, 621.

4. Victorinus rhetor hic legit *aurea templa mundi*. Dempsterus ad Rosin. lib. II, cap. 3, ex eo citat *aurea cæli templa*.

5. Fortasse intelligit vetus illud et primum Jani templum, quod Romulus, pace cum Sabinis facta, eo loco posuit, ubi Janus putabatur auxilium contra Tatium tulisse. Ovidius hæc memorans versum Septimii explicat, Fast. I, 275 : « Ara mihi posita est, parvo conjuncta sacello; Hæc adolet flammis cum strue farra suis ». Aborigineum sacellum dicit, ut antiquissimum Jani in Italia cultum, et sacella indicet ei excitata ab Aboriginibus, qui Latii primi incolæ habentur.

II *.

Inquit amicus ager domino,
Si bene mi facias, memini.
Pinea brachia quum trepidant,
Audio canticulum Zephyri.

* Carmen compositum e dactylica hephthemimere tome versus heroi, quod ex libro Opusculorum Sereni proferunt Ter. Maurus, p. 2427, et Mar. Victorinus, lib. III, p. 2578. Uterque, ut ostendat, quomodo inde efficiatur versus hexameter, partem reliquam ex ingenio supplet hoc modo : « Inquit amicus ager domino, sere, plurima reddam : Si bene mi facias, memini tibi solvere grates ». Sic suppletos a Terentiano inter fragmenta et epigram. vet. retulerunt, duos priores quidem Pithœus, Scaliger, Burmannus ll. cc. omnes quatuor H. Stephanus Fragm. poet. p. 417. Versus hos, quamquam una positos a Terentiano, non esse unius carminis, nec cohærentes, apparet.

2. Agri fertiles dicuntur respondere votis coloni, reddere fideles, quæ sunt credita; steriles contra mendaces esse, mentiri, fallere, eludere. Hoc solenne poetis. Vid. not. Burm. ad h. l.

3. *Dum trepidant* Victorinus. — *Canticulam* Loensis expressit. Huc pertinet *arguta ilex* Virg. Ecl. VII, 1; *umbræ tremulæ* Calpurn. V, 101; *trepidanti vertice pinus* Petron. cap. 131. Sic plane Ausonius, Epist. XXV, 15, de pinu : « Incubuit foliis quotiens levis Eurus acutis, Dindyma Gargarico respondent cantica luco ».

III*.

Quando flagella jugas, ita juga,
Vitis et ulmus uti simul eant.
Nam nisi sint paribus fruticibus,

* Hoc e Faliscis Septimii adducit Terentianus, p. 2427, et priores duo versus Mar. Victorinus, lib. III, p. 2578, qui tamen primum ita exhibet: *Quando flagella ligas, ita liga;* sicut et Augustinus de Musica, lib. IV, n. 30, qui *Phaliscum* auctorem nominat. Servium quoque in Æn. IV ita scriptum afferre monet H. Stephanus in fragm. poet. Metrum hujus carminis est ex tribus dactylis, accedente ad extimam clausulam pyrrhichio seu iambo. De quo Victorinus l. c. hæc annotat: « Græci Calabrion appellant, usurpatum a pastoribus Calabris, qui decantare res rusticas his verbis solent, quod genus metri Annianus phaliscum carmen inscribit, tamquam: *Carmina per varios dare modos* ». Ut Græci Calabrion vocarunt, sic Romanos puto Phaliscum dixisse, quod a Septimio in Phaliscis frequentatum noverant.— Sed pro *Anniano* in loco Victorini legendum *Terentianus* putat Fabric. Bibl. Lat. lib. IV, cap. 4, sect. 3, ubi de Putschii Grammaticis et Terentiano Mauro. Et sane versus a Victorino prolatus, *Carmina per varios*, etc. est Terentiani, eadem pagina exstans. Sed fortasse ille versus a Terentiano ex ipsis Faliscis sumptus est, atque adeo Annianus pro auctore Faliscorum carminum, et Falisco poeta, quem alias Terentianus appellat, habendus; is scilicet Annianus, quem A. Gellius, lib. VII, cap. 7, memorat fundum in agro Falisco possedisse, eoque solitum esse vindemiam hilare atque amœniter agitare. Cæterum notari meretur, genere eo carminis semel usum esse Boethium Cons. Philosoph. lib. III, metr. 1, ubi et ipsos versus Sereni a nobis propositos respexisse et imitatus esse videtur: « Qui serere ingenuum volet agrum, Liberat arva prius fruticibus, Falce rubos, filicemque resecat, Ut nova fruge gravis Ceres eat, etc. » Ed.

1. Vites ita jungito arbori, ut singulis arboris ramis singula vitis flagella comparentur, ideoque putato ante, quantum sat erit. — *Flagella* sunt summæ vitium propagines.—Ita dicuntur Virg. Georg. II, 299: « Neve inter vites corylum sere, neve flagella Summa pete, etc. » ubi Servius *flagella* exponit *summas arborum partes, quia ventorum crebros sustinent flatus;* et in fragm. veteris poetæ, quod affert Heins. ad Ovid. Met. XIV, 669. Ed. — Varro, lib. I, 31, 3, minorem vitem flagellum, item flabellum vocat; majorem, unde uvæ nascuntur, palmam vel palmitem. — *Jugare*, verbum vinitorium, h. l. de junctione alligationeque vitis ad arborem. Proprie jugatio de applicatione vitis ad juga, quæ distinguuntur a pedamento, cujus species est arbor; vid. Varro, I, 8. Præceptum hoc poetæ de vinea latius exponit Columella, V, 6, 18 et 24, et libro de Arbor. cap. 16, 4.

Umbra necat teneras Amineas.

4. Sic in Laberii fragmento apud Macrob. Sat. II, 7: *Ut hedera serpens vires arboreas necat.* Amineæ vites, frequentissimæ et laudatissimæ in Italia, quales et quot generum fuerint, Columella docet, III, 2, 7 seq. Virg. Georg. II, 97; Plin. XIV, 2; Pallad. III, 9. Origo vocis æque ac scriptio dubia et varia. Vid. Jo. Rhodius ad Scrib. Larg. compos. 64, pag. 123 et 325; Harduinus ad Plin. l. c.

IV*.

Uvæ uva sum, et uva Falerna,
Et ter feror et quater anno.
Undæ unde colonus Eoæ

* Distincti et hujus carminis duo priores versus a posterioribus, nec ejusdem loci sunt, ex uno tamen libro Sereni a Terentiano, p. 2423, citantur, puto e libro Faliscorum, quia poetam Faliscum dicit Serenum. Posteriores duo versus etiam Marius Victor. lib. III, pag. 2579, sine mentione auctoris adducit, et carmen Faliscum appellat, quod constet ex spondeo, duobus anapæstis et syllaba. *Ludicra carmina* Terentianus vocat, e quibus istos quatuor versus profert: « Atque ille poeta Faliscus Quum ludicra carmina pangit ». Id ludicri genus apparere arbitror in vocabulis similiter sonantibus, *uvæ uva* et *undæ unde*, quæ quidem Putschius perperam edidit *uva uva* et *unde unde*. In tertio versu genitivus *Eoæ* necessario requirit *undæ*. Stephanus hoc fragmentum Sereni nulla observatione illustravit.

1. De sensu horum versuum vix quidquam dicere, nisi per conjecturam, liceret. Suspicor Serenum uvæ quoddam genus laudare, quod diutius servatum ter et quater per hiemem mensis apponi, aut in urbem portari ad mercatum solebat. Erant sane uvarum genera, quæ durabant per hiemem, atque aut in vite diutius tolerabant annos, aut in ollis conditæ servabantur ad escam, indeque escariæ vocabantur et ollares. Plin. XIV, 1, s. 3, et c. 3, s. 4, 9; Hor. Sat. II, IV, 71; Mart. VII, 20, 9. In his referuntur maxime præcoces, duracinæ, bumasti, quæ et bimammiæ. Plin. l. c. Colum. III, 2, 1, et XII, 43. Bumasti ita dicebantur, quod grandiores aliis *tumebant mammarum modo, atque non racemos, sed uvas alias gerebant.* Plin. l. c. Virgil. Georg. II, 102. De hac sane dicere potuit Noster *Uvæ uva sum*: potuit celeberrima esse agri Falerni, ut Falerna diceretur. Hæc et serius demessa vite, et servata in ollis poterat ter, quater, amplius per hiemem ad mensas secundas, aut in urbem vendenda deferri. Sic Mart. III, 58, 9: « Hic post Novembres, imminente jam bruma, Seras putator horridus refert uvas ». Eodem sensu idem, lib. I, 44, 3. Et Plin. XIV, 3, s. 4, 9, uvas, quæ forenses vocantur, dicit *portatu faciles*.

A flumine venit Oronti.

4. *Orontis* legit Loensis. Fluvius Syriæ Orontes hic et *unda Eoa* dicitur. Loqui videtur de colono vel villico e Syria empto. Sic copæ plerumque in agris Syræ mulieres. Et videtur innuere Juvenal. Sat. III, 62 et 67 seqq. Syriscus liberti nomen apud Mart. V, 70, 2.

V.

Geritque intus in oppidum
Anhelos Panope greges.

Profert Terentianus, pag. 2441, libro non indicato. Loensis legit *Gerit intus*, sed *geritque* lex metri poscit, quod esse tomen hendecasyllabi, et choriambicum vel bacchicum vocari dicit, in primaque parte spondeum modo, modo iambum habere.—*Panope*, quæ hic nominatur, esse videtur Septimii villica, quam dicit in oppidum gregem ovium ducere ad mercatum. Eadem nominatur fragmento 7. Alias poetis Panope nomen est nymphæ marinæ, aut fluvialis, quæ filia Nerei a quibusdam habetur. Virg. Georg. I, 437, Æn. V, 240 et 825; Albinov. I, 435; Auson. Mos. 176. Sed solenne est poetis, puellas rusticas nominibus veterum heroinarum aut nympharum insignire, ut Galatea, Phyllis, Crocale. — *Gerit intus* paullo insolentius dictum pro ducit, pellit, agit. Nisi forte hæc eodem sensu accipienda sunt, quo dictum adolescentis apud Plaut. Truc. III, 1, 9: «Ego propere minas oves in crumena hac in urbem detuli». Catullus, XX, 10: «Meis capella delicata pascuis In urbem adulta lacte portat ubera».

VI.

Perit, abit avipedis animula leporis.

Versus proceleusmaticus, meris brevibus constans, legitur apud Terentianum, p. 2415, et Mar. Victorinum, lib. II, p. 2546, et IV, p. 2595. Neuter auctorem Septimium nominat, sed Martianus Capella sub Sereni nomine citat lib. V, p. 169, ubi Grotius edidit *Peritavit avipedis*. A Fortunatiano etiam citari, ut Vossius de Poet. Lat. cap. 8, p. 83, opinatur, quærens licet, non inveni. Videtur esse ex opusculo, quod venationem describebat; et exprimitur leporis a venatore agitati, et inter currendum anhelantis velocitas. *Avipedis* vocabulum rarius; *animula* apte dictum de imbelli animali.

E DIOMEDE GRAMMATICO.

VII.

Cede testula irrita, sol occurrit tibi per speculum, Panope. (lib. III, p. 511 edit. Putsch.)

Testula est lucerna figlina, ad cujus lumen lanam ducere, aut opus nocturnum facere solebant puellæ rusticæ. Virgil. Georg. I, 391, *testam ardentem* dicit. Ausonius in Cupid. cruciato v. 22, *fert fumida testæ lumina*. Prudentius Cathem. V, 17, *Seu cava testula Succum linteolo suggerit ebrio*. — Sed *testum* neutro genere erat vas cui imponebantur prunæ. Ed.—Monetur hoc loco villica, ut sole jam orto cedat, exeat cum lucerna sua. Tolle jam, inquit, testulam ardentem, quæ irrita et supervacua est, nam ut vides, jam clarum mane fenestras intrat. Ejusdemque fere sententiæ hic versus esse videtur, ac ille, qui a Servio in Centim. p. 1818 Putsch. adducitur, et forte ipsius Sereni est: « Marcent lucernæ, sol propinquat, non tamen vacas ». Putschius quidem in Diomede excudit *testula trita*, sed Stephani lectio *testula irrita*, merito præferenda. *Sol occurrit tibi per speculum*, i. e. sol affulget tibi per fenestram. Et *speculum* h. l. aut notione fenestræ positum est, aut legendum est *specular*. De quo Symposius n. 67: « Nec me transit hiems, sed sol tamen emicat in me ». Et Martial. VIII, 14: « Specularia puros Admittunt soles et sine fæce diem ». Speculum et specular subinde confundi, docet Salm. ad Solin. p. 771.

VIII.

Animula miserula properiter obiit. (l. c. p. 513.)

H. Stephanus legit: *Anicula tenera propter iter obiit*. Sed hæc offendunt ad metrum proceleusmatici, et *properiter*, quod est celeriter, properanter, exemplis confirmat Nonius Marc. cap. 2, n. 663, qui et alio loco, XI, 63, hunc versum sic citat e Catullo: *Animula miserula properiter abit*. Sed in Catullo hodie non exstat. Ausonius hunc versum imitatus est Parent. 27: *Et amita Veneria properiter obiit*. Priscianus, p. 869 Putsch. hoc fragmentum Livii Andronici adducit: *Cupidius miserulo obito*, quod fortasse respexit Noster.

IX.

Culicellus amasio Tulle. (pag. ead.)

Videtur *Tullæ* legendum. *Culicellus* ὑποκοριστικὸν est formatum e culice vel culiculo. Glossa Cyrilli: *Culiculus* κωνωπεῖον. Forte hic simile quid de culice dixit Serenus, ac Lucianus in encomio muscæ, quam matronarum casta delibare oscula fingit, non exsugendi sanguinis, sed amoris ergo. — Verisimilior est hic sensus, et versus lepidissimus. Ipsa musca apud Phædr. IV, 23, 7: *Et matronarum casta delibo oscula*. Ed.—*Amasiones* apud Prudent. in Romano, v. 182.

X.

Qui navigium navicula aufers Picenæ marginis acta. (l. c. p. 516.)

Margo pro litore feminino genere hoc sæpius dici Charisius docet, lib. I, p. 49. — *Acta* est recessus amœnior litoris. — Sed vox tantum ult. casu singulari a bonis scriptoribus usurpata. Ed.—*Amœna litorum* Tac. Hist. III, 76, 3; Prudent. in Symm. I, 136, *secreti in litoris acta*.

XI.

Pingere collibitum est, graphidem date, promite volarium. (ibid.)

Stephanus corruptissime exhibet: « Pingere calumbicum est, graphidem dare pentenolata ». Quanto melius editio Putschii. Sed et hic *volarium* valde dubium. Posset intelligi tabella lignea, quam volæ impositam pollice inserto tenent pictores, ut in ea colores temperent, si constaret, usitatam eam fuisse antiquis. Vid. Scheffer. de Art. Ping. § 58. Certe hic latere nomen instrumenti pictorii debet. Sed volarium non solum ignotum plane vetustis scriptoribus, sed etiam metro, quod ipse Diomedes dicit esse dimidium elegiaci, non conveniens est. Tentabam e corruptæ scripturæ vestigiis reponere *peniculum*, *tabulam*, vel *promite colobium*, nam in tunica pingebant pictores. Sed nec hoc, nec aliud, quod fingere possem, satis placet. Itaque ἐπέχω.

XII.

Quod si tibi virgo fervens reseret cita claustra puerperii. (ibid.)

Stephanus dedit: « Quod si virgo fervens reseret, curat claustra puerperii ». Metrum, quod priori fragmento simile est, suadere videtur, ut *virgo favens* vel *ferens* legatur; et sermo fortasse de Diana Lucina est, quæ puerperiis, virgo licet, præfecta est. Sic Ausonius in Eclogario de Rat. Puerp. v. 35: « Tardi claustra obluctantia partus ». — Cæterum versus mendosus vix interpretationem admittit. Ed.

XIII.

Vis Ioni meo septuennis cadens. (ibid.)

Sunt duo versiculi, monente Diomede, quorum uterque epitrito pede et iambo constat. De sensu admodum laborare, nil profuerit. Suspicor legendum esse *Vas Ioni meo septuennis cadus*. Athenæus ait libro XI, c. 7, Ionas vas fictile cadum appellare. Et de vase vinario sermonem esse Sereno, credibile est. *Ion* h. l. fortasse servi nomen est. Servum interdum a regione, ubi emptus est, ab Ionia Ionem vocari, monet Varro, lib. VII de Ling. Lat. — Casp. Scioppius Suspect. lect. lib. V, epist. 26, plane aliter de hoc loco sentit; nam divinat legi posse: *Pusioni meo septuenni cadunt*, scil. dentes. Ed.

E NONIO MARCELLO.

XIV.

Aut Zonulam, aut acum, aut ricam. (c. 14, n. 15.)

Ex Sereni Opusculorum libro I hæc verba citat Nonius, qui et reliqua fragmenta ex ejus opusculis adducit, exceptis tantum duobus postremis, ubi librum non nominat. — *Ricam* Nonius esse docet, quod nunc sudarium dicimus. Inter vestimenta muliebria esse, ex hoc ipso loco satis apparet. Festus ricam esse dicit muliebre cingulum capitis, quo Flaminica redimiatur pro vitta: hoc sensu a Plinio et Varr. sumitur. — Etiam *zonam* ad muliebria ornamenta refert Martialis XIV, 131. Ed.

XV.

Labiumque insigne revellit. (cap. 3, n. 120.)

Videtur significare hominem loqui incipientem, turgidis labris insignem, qualem in Moreto Cybalen describit Serenus v. 33. Plin. epist. VI, 17: « Non labra diduxerunt, non moverunt manum ».

XVI.

Callet senium arte vivendi. (cap. 4, n. 66.)

Stephanus dedit *arte bibendi*, idque rectius esse arbitror, tum ratione metri, quod fragmento IV simile est, tum propter sententiam: nam peculiarem senibus bibacitatem tributam, vetus proverbium, *aquilæ senectus*, indicat, apud Terent. Heaut. III, 2, 10.

XVII.

Ad mercatum eo, villice,
Ecquid vis inde vehi aut agi.
(cap. 5, n. 35, et cap. 3, n. 134.)

Duo sunt hi versus, metro fragmenti V. Nonius altero loco ambo versus citat ex *Opusculis*, altero priorem tantum e *Ruralibus*, unde integer libri titulus apparet. In Nonio Gothofredi exstat *inde evehi;* sed *vehi*, quod Stephanus habet, metrum poscit. Servus in urbem iturus ad mercatum interrogat villicum, numquid sibi velit urbanæ mercis emi atque referri. Solebant enim rustici merces rurales urbanis permutare. Vid. Virgil. Georg. I, 273, et quæ notavimus ad Moret. v. 80, 81. *Vehi* respicere videtur onera caballo vel asino imponenda, *agi* pecudem adducendam. — Hoc respicit Horat. Epist. I, 18, 36: *Aut olitoris aget mercede caballum.* Ed. — Nam vehere de eo, qui collo aut humeris quid impositum gestat, latinitatis cadentis est. Vid. Gronov. Observ. III, c. 5, et ad Senec. de Tranquill. animi, cap. 5.

XVIII.

Rure puella vagat virido. (cap. 7, n. 2.)

Hic idem metrum, quod fragmento II. — *Vagat* pro vagatur, quod ipsum hoc versu probat Nonius. Pro *virido* Stephanus *arido*. Sed *virido* ejusdem formæ, ut *hilarus* pro *hilaris*.

XIX.

Occatio occæcatio est. (cap. I, n. 306.)

Occationis proprietatem ex hoc loco Sereni ostendit Nonius. Respexisse Serenum, quamquam non nominatum, videtur Isidorus, Orig. XVII, 2: *Dicta occatio quasi obcæcatio quod operiat semina.*

XX.

Suave sibilum. (cap. 3, n. 200.)

Sibilum neutro genere, numeri singularis, rarissimum, et fortasse unius Sereni. Nonius non alio loco probavit. Sed est neutrum pluralis *sibila* frequens. Charisius, lib. I, p. 61, tribus poetarum locis probat. Et Ovid. Met. XIII, 786: *Senserunt toti pastoria sibila montes.*

E FL. MALLIO THEODORO DE METRIS, CAP. IV, 4.

XXI.

Et nihil est, quod amem Flaminia minus.

Mallii Theodori libellum de Metris una cum quibusdam Cornelii Nepotis fragmentis e bibliotheca Ducali Guelferbytana, suis et Dav. Ruhnkenii viri cl. notis emendatum et illustratum, edidit Jacob. Frid. Heusingerus, Lugd. Bat. 1766. — De quo v. cl. Burmannus Anthol. Lat. tom. I, p. 724, in Addend. et Corrig. hoc elogium habet: « Mallium Theodorum, de Metris, quem nuper Heusingerus in rei literariæ bonum luci publicæ donavit. Ed. — Adducit hunc Sereni versum Mallius ut exemplum dactylici pentametri. Corrupta codicis Guelferb. scriptura *flammiamuni* recte ex codice Parisiensi emendata est *Flaminia minus.* Sermo esse videtur de via Flaminia. Habebat fortasse Serenus villam viæ Flaminiæ proximam, in qua nihil amabat minus, nihil ferebat molestius, quam viatorum et curruum frequentiam et strepitum. Hinc enim villam Julii Martialis commodiorem prædicat Martialis, IV, 64, quod ex ea Flaminiam prospiciat quidem, sed strepitu non turbetur: « Illic Flaminiæ Salariæque Gestator patet, essedo tacente, Ne blando rota sit molesta somno ». — Possis fortasse etiam de Flaminica, nempe uxore Flaminis Dialis, intelligere, cujus *ricam* attigit fragmento XIV, ut dicat cultum et velamina Flaminicæ sibi minus placere. Ed.

E COMMENTATORE ANT. PAP. STATII AD THEB. IV, 502.

XXII.

Inferis manu sinistra immolamus pocula,
Læva quæ vides,147ernæ, Palladi sunt dextera.
(Affert Barthius in Commentar. ad Stat.)

Fide Casp. Barthii, qui in commentatore suo inedito sic invenisse affirmat, Adv. XXXV, 3, et Claud. Ruf. II, 108, hos versus trochaicos Sereno tributos addimus. Et Barthio assentit Burmannus sec. not. ad Anthol. Lat. lib. I, 27, pag. 14. — *Manu sinistra* in sacro Inferorum Tiresias vinum fundit apud Senecam, Œdip. v. 565: «Libat et niveum insuper Lactis liquorem, fundit et Bacchum manu Læva; canitque rursus». Ed.—Lavernam, ut Barthius existimat, Serenus pro Proserpina posuit, a ratione silentii. Sacra enim et preces Lavernæ conficiebant silentio, ut annotat scholiastes Horatii, Epist. I, 16, 60. Silentes autem inferos perhiberi, etiam pueri norunt.

E SERVII COMMENT. AD VIRGILIUM.

XXIII.

Ad Æn. II, 15: *Instar* nomen est indeclinabile, licet Probus *instaris* declinaverit, ut *nectaris;* et caret præpositione, sicut *peregre*, quamvis Serenus lyricus *ad instar* dixerit. —Idem ad Æn. XII, 923: *Instar*, ut supra diximus per se plenum est, nec recipit præpositionem, licet Serenus *ad instar* dixerit, quod in idoneis non reperitur auctoribus. (Conf. ad Æn. VI, 865.)

Fallitur Servius, qui *ad instar* recte dici, et in idoneis auctoribus reperiri negat, quamquam in hoc consentientem habet Agrœtium, pag. 2269, Putsch. Præter Serenum enim sic loquuti sunt Justinus, Apuleius, Solinus; et, si nomen est *instar*, quod ipse Servius et omnes, quotquot inspicere potui, Grammatici veteres affirmant, haud dubie potest admittere præpositionem; neque hoc de *peregre* dici potest.

XXIV.

Ad Æn. V, 116, *remige:* Erit nominativus *remex.* Serenus: *Semiremex Hercules.*

Audacius et insolentius a Sereno, ut Lyrico, Herculis epitheton *Semiremex* formatum videtur: qua caussa et significatione, non succurrit. An fortasse *Semo remex* legendum? quod nomen habuit Hercules, Semo Sancus Fidius vocatus. Aut de navigatione aliqua Herculis loquens Serenus, significare hoc vocabulo voluit, eum remigis quidem cum aliis officio, sed et propugnatoris functum esse. Græci αὐτερέτας vocabant, qui remiges simul et milites essent. Vid. Schefferus de Milit. Navali, lib. II, c. 3, p. 104.

XXV.

Ad Æn. VI, 289: Serenus Gorgones dicit puellas fuisse unius pulchritudinis, quas quum vidissent adolescentes, stupore torpebant: unde fingitur, quod si quis eas vidisset, vertebatur in lapidem.

Fortasse hæc sunt verba Sereni Sammonici, ex libro rerum reconditarum, de quo Macrobius, Sat. III, 9.

XXVI.

Ad Æn. IX, 762: Poples *po* correpta est, sicut in Sereno legitur, sed producitur positione.

Plurima similis prosodiæ exempla sunt: Barthius ad Stat. Theb. IV, 430, in Epigr. quod hoc loco producit v. 2, recte legit *juncta columba cygno est,* ubi prima in *cygno* corripitur exemplo Ovidii, Horatii, Ausonii et aliorum: ita enim apud Nasonem, Epist. XVI, 250, in Vossiano codice haberi notat Heinsius, *Complexo matrem candidiora Cygno;* pro *Jove* quod in vulgaribus est. Horat. Carm. IV, 3, 20: *Donatura cygni, si libeat, sonum.* Auson. Epist. XX, 8: *Quid refert, cornix non ideo ante cycnum.* Sic *Progne* in carmine Modestini quod infra edidi, p. 665, *Colchis et orba Progne,* etc. et Heinsius plura ad locum Ovidii in *Daphne, Tecmesse, Polymnestor* et similia exempla adtulit, quem vide ad Met. XIII, 430; Fast. V, 5, 9; addatur G. Fabricius ad Terentii Andr. act. II, sc. 3, v. 17. Ed.

DUBIA.

XXVII.

Docta Falisca Pheronyme paras. (Servius Honoratus in Centimetro, p. 1824. Putsch.)

Hoc de versu in prooemio egimus. Quum exemplum Falisci generis, a Sereno inventi, dare vellet Servius, videri poterat, id ex ipsis Sereni Faliscis petere. Sed dubium me reddit elogium *docta Falisca*. Quod quum iisdem fere verbis Nostro impertiat Terentianus, Servius potius, vel alius poeta, hoc sumpsisse a Terentiano, quam ipse Serenus sibi tribuisse videtur, quod paullo fuisset jactantius.

XXVIII.

Distractos atque salitos. (Diomedes, lib. I, p. 372.)

His verbis apud Diomedem præponitur Severus. Sed *Serenus* legendum esse, jam notavit Jac. Roverius, referente Burmanno ad Anthol. I, 27. Pro *distractos* forte legendum *duratos*. In Moreto v. 57, *Durati sale terga suis*. — *Salites* citat Burmann. Ed.

N. B. Sequentes versus, qui passim a Grammaticis sine mentione auctoris citantur, Sereni esse suspicatus sum, eo quod fere res exprimant ad culturam agrorum, vitam rusticam et pastoritiam pertinentes, quas Serenus unus omnium maxime in Opusculis suis celebravit; præterea eo metri genere sint compositi, quod lyricum poetam, vario carmine ludentem, qualem Serenum fuisse novimus, facile insinuet. Et alias sæpius e Grammaticis versus Sereni, non nominato eo, citari, ad fragm. I, IV et VI vidimus. —Et hoc confirmat quod scripsit Burmannus, Anthol. Lat. tomo I, pag. 14. Sed in his quæ sequuntur fragmentis, potest ad similitudinem argumenti quod in opusculis tractavisse Serenus perhibetur, accedere, quod Grammatici ea fragmenta iidem omnino protulerint, a quibus certos jam ejusdem poetæ versus in fragmentis præcedentibus allegatos legimus. Cæterum disserere longius, an recte Sereno adscribantur hæc fragmenta, nec ne, haud magni momenti est; at præcipue referebat ne perirent, aut ignota laterent, quod idem fere est. Ed.

XXIX.

Nemus ave reticuit, ager homine silet.
(Mar. Victor. lib. I, p. 2497; II, p. 2523, et 2546. Putsch.)

Proceleusmaticus, Sereno frequens; vid. fragm. VI et VIII. Citatur una cum altero *Perit, abit*, etc. a Victorino, tamquam ex uno carmine. Videtur autem hoc versu meridianum tempus describi, quando æstu solis maxime flagrante, homines pecudesque umbram, quietem et silentium petunt. Callim. in Laud. Pall. v. 73; Ovid. Metam. III, 151; Auson. in Mos. v. 180. Calpurn. XI, 38, « Vocat æstus in umbram: Jam pecudes subiere nemus, jam nulla canoro Gutture cantat avis ».

XXX.

Caduca populi coma glauca jam per agros.
(Mar. Victor. I, p. 2504, et III, p. 2568.)

Coma glauca populi Plinio, XVI, 23, est bicolor, superne candicans, inferiore parte viridis. Virg. Georg. II, 13, « Populus et glauca canentia fronde salicta ». — Hiemem hoc loco videri potest descripsisse. Ed.

XXXI.

Illæ rumpunt teneras uviferæ comas lagei.
(Mar. Victor. II, p. 2523.)

Lageos, vitis. Virgilio, Georgic. lib. II, 93, ubi Abramus λάγειος, leporaria, quia uva pili leporini colorem imitatur. Plin. *Lagea*, XIV, 3.

XXXII.

Tale, quale vere dulce sibilat teres donax.
(Mar. Victor. II, p. 2530; Atil. Fortunat. p. 2693.)

Donax, fruticosissimus calamus, non nisi in aquaticis natus. Plin. XVI, 36. Versus trochaicus, qui cohæsisse videtur cum fragm. XX: « Suave sibilum, Tale, quale vere dulce sibilat teres donax ».

XXXIII.

Pastor ille sæpe mane dulce carmen insonat.
(Mall. Theod. de Metr. cap. 6.)

Similis priori versus, et forte ejusdem carminis.—Inde Bucolica quædam inter Serena ruralia opuscula exstitisse non immerito quis conjiciat. Vide notam quæ supra claudit pag. 645. Ed.

XXXIV.

Tibi nascitur omne pecus, tibi crescit herba.
(Diomed. III, p. 513; Victorin. III, p. 2582; Fortunat. p. 2673.)

Forte pastoris ad alium feliciorem adlocutio. Virg. Ecl. VII, 9, *caper tibi salvus et hædi;* vel παρέλκει, ut in Calpurn. Ecl. VII, 33, et in Sev. Sancti carm. de Mort. Boum, v. 99. In hoc versu citando tres Grammaticos conspiravisse, non nominato auctore, sane mirum est. Ed.

III.

INCERTI COPA.

Copa Syrisca caput Graia redimita mitella,
Crispum sub crotalo docta movere latus,
Ebria famosa saltat lasciva taberna,
Ad cubitum raucos excutiens calamos.
Quid juvat æstivo defessum pulvere abesse,

1. *Copa Syrisca*. Syræ plerumque cauponæ, ut Ambubajæ, qualis Lucilii Sat. III: *Caupona hic tamen una Syra*. Syrisca ἐξουθενητικῶς vilem mulierculam signat. Sic enim plerumque vernularum et mancipiorum nomina efferri solebant. Syriscus, servus et ganeo apud Mart. V, 70, 2. — *Mitella*, vel mitra, est fascia capitis, non anicularum modo, ut contendit Scaliger, sed mulierum quarumvis, maxime autem meretricum barbararum: de his ipsis Juvenal. III, 66, « Ite, quibus grata est picta lupa barbara mitra ». — Quamtumvis patet ex Apollonio Rhodiensi I, 288, *mitram* fuisse signum virginitatis, unde παρθενικὴν μίτρην nominat Moschus, Idyll. II, 73. Ed.—Græca dicitur, quod ejus usus frequens in Græcia, et magna pars Asiæ Græca.

2. *Crispum*, crispatum, vibratum, succussum; *crispos motus* Ausonius, Mos. 194. — *Sub crotalo*, h. e. ad sonitum et modos crotali. Calpurn. VIII, 3: « Incipe, si quod habes gracili sub arundine carmen ». *Crotalum* crepitaculum ex calamo fisso, testa, vel ligno. Martiali *Bætica crumata*, VI, 71: meminit et Juven. XI, 70. Ejus descriptionem vide apud Lamp. de Cymb. I, 4 et 5.

3. *Famosa* taberna, ob quæstum meretricium, ut *meretrix famosissima* Lactantio, III, 15; et *famosus hospes Lacenæ adulteræ* Hor. Carm. III, 3, 25. *Fumosa* quod habet Pricæus ad Apul. Apol. p. 30, minus conveniens: sic tamen et MS Helmst. profertur.

4. Sistitur copa crotalistria, quæ saltans ante tabernam suam, et brachiis gesticulans æreos calamos, raucum sonantes, h. e. crotalum, excutit. Sic recte hoc interpretatur Salmas. ad Vopisci Carin. p. 821, contra Scaligerum, qui falso hic utricularium delineari existimabat. — *Ad cubitum*, i. e. manu utraque ad alterius brachii cubitum alternatim trajecta. Saltantis crotalistriæ statuam videas apud Sponium Miscell. er. ant. Sect. I, art. VI, 43, et Lamp. l. c. p. 268.

5. *Æstivum pulverem* capio de æsti-

Quam potius bibulo decubuisse toro?
Sunt topia et calybæ, cyathi, rosa, tibia, chordæ,
Et trichila umbriferis frigida arundinibus :
Est et, Mænalio quæ garrit dulce sub antro,
Rustica pastoris fistula more sonans.
Est et vappa, cado nuper diffusa picato;
Est strepitans rauco murmure rivus aquæ.

vo itinere, quod pulvere molestum est, sicut pulvis etiam pro bello et exercitatione campestri poni solet. — Hinc *perfusus pulvere mulio* apud Petron. cap. 126, et Propert. IV, 2, 40 : *Sirpiculis medio pulvere ferre rosam.* Ed. — *Abesse*, diutius hærere in via; nam alloquitur copa viatores et, ut divertantur ad se, invitat : *assum Solem* Ciceronis male huc trahit Scaliger.

6. *Bibulus torus*, qui e roscido humentique cespite, gelida in umbra factus; nam opponitur *æstivo pulveri.* — *Decubuisse* de toro humili, in terra strato: ut in Moreto, v. 5, *membra demissa grabato.*

7. *Sunt topia et calybæ*, ita plurimorum codicum auctoritate legendum censent Scaliger ad h. l. et Salmas. ad Vopisci Carin. p. 822, et Bentleius ad Hor. Sat. II, II, 123. Confirmat MS Helmst. in quo *copia et calibes*; alii MSS et editi *sunt cupæ et calices.* Sunt autem *topia* loca ex arboribus flexibilibus opere topiario arcuatim structa, qualia Spartianus, in Hadr. c. 10, cum porticibus et cryptis nominat — *Calybæ* sunt pergulæ et attegiæ, quales in meritoriis tabernis fieri solebant, in quibus ganeones potarent. Hesychius, καλύβη, σκηνὴ, παστάς· calybam aucupis vidimus ad Carm. 3 de Auc. — Hujus tomi Part. I, pag. 191. Ed.

8. *Trichila* jam Aldus edidit, et vett. cod. admittunt. Helmst. habet *triclina umbrosis.* Trichila est pergula arcuata ex arundinibus et vitium, cucurbitarum aut cucumerum, quorum densa sunt folia, jugamento contexta. Inde Græcis ὑπάμπελος dicta. Vid. Colum. X, 378 et 394 : videtur et describi a Propertio, IV, 8, 35, seqq. Plura Salmas. ad Spart. Hadr. pag. 86; Grævius ad Isid. Gloss. p. 54; Gesnerus ad Colum. l. c.

9. *Mænalio quæ garrit*, est descriptio fistulæ pastoritiæ, quam ipse Pan inflare in Mænalo cum pastoribus Arcadicis solet. Vid. Calpurn. X, 13 et 66. Et *garrula silvestri fistula sacra Deo* Tibull. II, 5, 30. — *Pastoris more* recte MSS, et probat Barth. Adv. XXXIII, 22 : *in ore* Scaliger et Weitzius ediderunt.

11. *Vappa* vinum corruptum, evanidum, et quodvis vile, proprie cauponarum. Horatio, Serm. I, 5, 16 : « Multa prolutus vappa nauta atque viator ». Editi plerique *diffusa*, sed *defusa* volunt Scaliger. et Burm. ut Horat. Carm. IV, 5, 34 : *merum defusum pateris*. Vid. Turneb. Advers. I, 1; Oudendorp. ad Lucan. IV, 82, et quæ nos notavimus ad Grat. v. 474. — Ita ad Hor. Epist. I, 12, v. ult. « Italiæ pleno diffudit copia cornu », ubi Wernsd. legi jubet *defudit;* Exc. ad Calp. Ecl. X. Ed.

Sunt etiam croceo violæ de flore corollæ,
Sertaque purpurea lutea mixta rosa;
Et quæ virgineo libata Achelois ab amne
Lilia vimineis adtulit in calathis.
Sunt et caseoli, quos juncea fiscina siccat:
Sunt autumnali cerea pruna die,
Castaneæque nuces, et suave rubentia mala:
Est hic munda Ceres, est Amor, est Bromius.
Sunt et mora cruenta et lentis uva racemis:
Est pendens junco cæruleus cucumis.

13. *Sunt et Cecropio junctæ de flore corollæ*, habent quidam codd. unde Burmannus conjicit *Corycio junctæ de flore*.

15. *Achelois* quælibet Nais est, ut *Acheloia pocula* apud Virgil. Georg. I, 16, quælibet aqua. Nais *vimineis in calathis lilia adtulit ab* alluente *amne virgineo*, quem ipsa virgo purum et intactum incolit, quasi delicato osculo, *libata*, i. e. tincta, humectata, quod poetæ etiam *lambere, mordere* dicunt. Singula verba comparata sunt ad signandam delicatissimorum florum suavitatem, quos delibare et colligere Naiades, et delicias facere amatoribus solent. Virgil. Ecl. II, 45: « Tibi lilia plenis Ecce ferunt Nymphæ calathis, etc. » — Eadem fictionis poeticæ elegantia in Epigram. Alcimi de donis a Lesbia missis. Burm. Anthol. Lat. III, 211. Recte autem virgineum os Nymphæ Acheloidi tribuit, ut virginis ora gerere dicuntur Acheloides Ovidio, Metam. V, 557. Ed.

16. Propert. III, 11, 30: *nunc mixta referre Lilia vimineos lucida per calathos*. Ed.

17. Pro *juncea fiscina* cod. Leid. et edit. Junt. *scirpea fiscina* habent, *sirpea* Ald. sed vulgatum probant Tibull. II, III, 15; Calpurn. VIII, 1, et IX, 33; Colum. XII, 17.

18. *Sunt pruna*, quæ *cerea* atque adeo matura fiunt *autumno*, ut mora rubentia æstate. Propert. IV, II, 13: « Hic autumnalia pruna Cernis, et æstivo mora rubere die ». Sic et Virg. Ecl. II, 53.

20. *Munda Ceres* est panis siligineus. Serenus in Moreto, v. 42, sic vocat pollinem, vel farinam cribro succretam: « Subsidit sincera foraminibusque liquatur Emundata Ceres ».

21. *Mora cruenta*, i. e. rubentia, propter succum cruori similem; unde fabula Pyrami et Thisbes apud Ovid. Metam. IV, 161. Alcimus in Epigr. inter Petroniana: « sanguineo male mora rubentia succo ».

22. *Cæruleus cucumis* etiam Prop. IV, II, 43. Columella, X, 380, « Intortus cucumis, prægnansque cucurbita serpit ». MS Helmst. *Et pendet*, et fere omnes. Ald. *et pendens*. Unde malim sic legere: *Est lentis... et pendens;* ut *pendens* simul ad *uva* referatur et ad *cucumis*: nam intelligitur uva pensilis. In *junco* intelligenda videtur fiscella e junco texta. — Joannes de Janua in Catholico: « Fiscina vas ex

Est tuguri custos armatus falce saligna;
Sed non et vasto est inguine terribilis.
Huc Alibida veni: fessus jam sudat asellus:
Parce illi; vestrum delicium est asinus.
Nunc cantu crebro rumpunt arbusta cicadæ;
Nunc etiam in gelida sede lacerta latet.
Si sapis, æstivo recubans te prolue vitro,
Seu vis crystallo ferre novos calices.

juncis et vimine factus ». Inde diminutivum *fiscella*. Ed.

25. *Alibida* pleræque edd. præferunt; et, cum Turnebo Advers. XIII, 22, exponitur de Sileno, qui asello vehitur, ex loco quodam veteris prologi ad Plauti Bacchides, v. 31, ubi Silenus Asibidam se vocat. Sed in membranis vet. quibus Helmst. accedit, legitur *Calybita*, quod probant Scaliger ad h. l. Salmasius ad Vopisc. Carin. p. 824, Weitzius ad Copam, Gudius ad Phædr. III, 20; et plerique intelligunt de Gallo Matris Deum θαλαμηπόλῳ, et agyrta, a καλύβῃ vel ναΐσκῳ, in quo servabatur simulacrum Deæ. De Sileno vix probabile est, quum mythos et mythica tempora hic non tangat poeta. *Calybita* magis placet, sed malo hoc de quovis viatore et agasone intelligere, qui ad instar famuli Cybeles, asino impositas merces vectat, et in via, in tabernis et cauponis, unde ei nomen, assiduus est. Nam *calybæ* supra, v. 7, sunt pergulæ tabernarum.

26. Facile mihi persuadeo, veram esse lectionem, quam Burmannus h. l. adstruit, præeunte Vossio ad Catull. p. 165, *Vestæ delicium est Asinus*. Probabilis scilicet est ratio, cur parcendum sit asino fatigato, qualis in vulgata *vestrum delicium* vix reperitur. Cur delicium sit Vestæ, ejus rei caussa legitur apud Ovid. Fast. VI, 310, seqq.

27. Nunc meridies est et flagrantissimus æstus, quo cicadæ maxime vocales esse solent. Sic Calpurnius, Ecl. V, 56. — *Rumpunt cantu*, i. e. implent, ut Virgil. Georg. I, 49; III, 328. — Vid. supra annotat. ad Calpurn. Ecl. VIII, 2. Ed.

28. Quidam scripti et editi *Nunc vere in gelida*, vel *vero*; unde Heins. *nunc verna*, Burmannus *nunc viridis gelida*, conjecerunt. *Virides lacertæ* Horat. C. I, 23, 7. Sed Helmst. codex hic optime *Nunc varia in gelida*, quod sane tenendum arbitror. *In gelida sede* est sub rubo vel spinetis, ut Virg. Ecl. II, 9, indicat: « Nunc virides etiam occultant spineta lacertos ». Heinsius hic malebat *in gelida sepe*.

29. *Te prolue* recte Scalig. correxit ex veteri scriptura; vulgati *nunc prolue*. Virgil. Æneid. I, 742: *pleno se proluit auro*. — *Æstivo*, quia vitrum *æstiva supellex*, ut vocat Propert. IV, 8, 37, cujus loci plura sunt hoc poemate expressa; unde ejus auctorem Virgilium vix credere licet.

30. *Crystalli* cod. Helmst. — *Ferre* h. l. est accipere. — *Seu vis ferre*, accipere ad utendum, *novos calices*, e crystallo recens fabricatos, sive nuper admodum comparatos.

Eia age, pampinea fessus requiesce sub umbra,
Et gravidum roseo necte caput strophio.
Formosus teneræ decerpes ora puellæ.
Ah! pereat, cui sunt prisca supercilia!
Quid cineri ingrato servas bene olentia serta?
Anne coronato vis lapide ista legi?

31. *Pampinea umbra* est ipsa, quam versu 8 vocaverat *trichilam*. Similiter Virgil. Ecl. VII, 10, et Calpurn. XI, 46.

32. *Strophium* est fasciola, qua tempora vinciebant potantes ad gravitatem capitis, ex odore vini vacillantis, minuendam. Huic quoniam et flores innectebant, strophium pro ipsa corona dicebatur. Festus in voce *stroppus*. Plinius XXI, 2, «Tenuioribus coronis utebantur antiqui, strophia appellantes, unde nata strophiola». Conf. Paschal. de Coron. lib. I, cap. 11; Lindenb. de Strophio not. ad. Lotich. V, Ecl. ult. 53, et Vulp. ad Catulli Carm. LXIII, 65.

33. *Formosus teneræ decerpes*. Sic reponendum censui auctoritate fere omnium membranarum et edit. quas ad h. l. recenset Burmannus, quibuscum etiam Helmst. facit: *formosum teneræ decerpens*. Nescio cur eam lectionem deseruerint alii, *Candida formosæ decerpes ora puellæ* scribentes. Illud certe multo blandius, et ad ingenium meretriculæ pellicientis expressius. *Decerpes ora*, h. e. carpes, libabis oscula. Sic Statius Theb. VI, 165, *vocis decerpere murmura primæ* dixit; et Catullus in Elegia ad Manlium, v. 127, de columba: «Oscula mordenti semper decerpere rostro». Ed.

34. *Prisca supercilia* sunt severa, tristia. Tale est *conveniens Latio supercilium*, nempe severitati priscæ Latinorum, Priap. carm. I, et *pondus veteris triste supercili*, apud Senecam, Hippol. 796. Pluribus hanc *prisci* notionem adstruit Burm. ad h. l. MS Helmst. hic habet: *Ah pereant quibus hæc prisca supercilia!*

35. *Cineri ingrato*; quia cineri nullus sensus, et quod cineri præstatur, viventium non interest. Sumptum ex Virg. Æn. VI, 213. Pertinet huc etiam illud Æn. IV, 34: *Id cinerem et Manes credis curare sepultos?*

36. *Coronatus lapis* est sepulcralis: nam cippos coronis et floribus ornatos, notum est. Vin' tu hæc serta, hos flores, delicias viventium, te sepulto et lapide coronato demum legi, et ad sepulcrum tuum deferri? Fortasse legendum *coronando lapidi*, ut Virg. Ecl. X, 41: *Serta mihi Phyllis legeret*: sed *coronato lapide* etiam accipi potest de monumento absoluto, et ad coronam perducto; ut *vina coronant* apud Virgilium significat, implent ad summum. Propert. III, 16, 23, «sertisque sepulcrum Ornabit custos ad mea busta sedens». Pro *legi* perperam alii *tegi*.—Hæc interpretatio verissima videtur: sic etiam Apollonius Rhod. Argon. lib. II, v. 920: τύμβου στεφάνην summum sepulcrum dicit; scholiastes explicat τὴν ἄκραν: et apud Latinos corona est summa pars muri vel lapi-

Pone merum et talos: pereat, qui crastina curat!
Mors aurem vellens; Vivite, ait, venio.

deæ structuræ, alias *lorica*. Apud Curtium, lib. IX, 4, occurrit *corona muri angusta*. Ed.

37. *Tali* junguntur vino, quia liberaliores potationes talorum lusionibus diffindebant. Alii *pereant qui .... curant*. Horat. Carm. I, 9, 13: *Quid sit futurum cras, fuge quærere;* multo elegantius.

38. *Vivite*, nempe genialiter, et hodie. Frequens hæc est cantilena poetarum. Apud Petronium Trimalchio, larva argentea in mensam projecta, tamquam simulacro mortis, admonitus: «Ergo vivamus, dum licet esse bene». Tibull. I, 1, 84: «Jam veniet tenebris Mors adoperta caput». Martial. I, 16: «Sera nimis vita est crastina; vive hodie». Et Pers. V, 152: *Vive, memor leti.*—Sed nullus unquam Epicuri discipulus ad vina et ludos, et ad diem lucro apponendum animos vehementiori imagine provocavit. Noster, postquam iis, qui *crastina curant*, diras imprecatus est, adducit ipsam mortem, quæ, sicut Maroni majora Bucolicis canere volenti Phœbus, ita et illis seria vitæ tractantibus aurem vellit, admonetque negotiis occupatos, ut *vivere* properent, quia fatalis hora leti *venit*. Hæc ait ipsa MORS: «Fruamini vita, coram me, quæ vobis hanc raptura venio». De his, et omni Copæ carmine, vide proœmium, textum et notas, tom. V, pag. 183-189 nostri Virgilii. Ed.

IV.

D. MAGNI AUSONII

CUPIDO CRUCI ADFIXUS *.

Aeris in campis, memorat quos Musa Maronis,
Myrteus amentes ubi lucus opacat amantes,
Orgia ducebant Heroides, et sua quæque,
Ut quondam occiderant, leti argumenta gerebant,
Errantes silva in magna, et sub luce maligna
Inter arundineasque comas, gravidumque papaver,
Et tacitos sine labe lacus, sine murmure rivos:
Quorum per ripas nebuloso lumine marcent
Fleti olim regum et puerorum nomina flores,

* Ἔρως βασανισθείς, in margine scribit Adrian. Burm. Ed.

1. *Aeris in campis*, i. e. aeriis, non solidis illis et firmo solo præditis, ut alii, sed quasi in aere fluctuantibus, ut cætera apud inferos aeri, auræ, nebulæ, umbræ similia dicuntur. Respicit Virg. Æn. VI, 886 : « Sic tota passim regione vagantur Aeris in campis latis ».

2. *Myrteus*. Sic ipse Virgilius de campis lugentibus, Æn. VI, 443, *et myrtea circum Silva tegit* : apta vero silva myrtea campis, ubi amantes degunt, quia myrtus Veneri gratissima, Virg. Ecl. VII, 62 : « Populus Alcidæ gratissima, vitis Iaccho, Formosæ myrtus Veneri, sua laurea Phœbo ». Ed.

3. *Orgia ducebant*, chorum, cœtum agebant, non honori alicujus Dei, sed pro more puellarum, ut curas fallant, ludentes cum sociis.

5. *Errantes... sub luce maligna*; Virg. Æn. VI, 451. — *Lux maligna*, parca et obscura, ut Virgilius sæpe. Vid. Æn. VI, 270.

7. *Lacus sine labe*, quem nihil illapsum turbat. Sic Ovid. Met. III, 410, de fonte : « quem nulla volucris Nec fera turbarat, nec lapsus ab arbore ramus ». — *Labes* etiam lapsum desidentis terræ notat. Cic. de Divin. I, 35 : « multis locis labes factæ sunt, terræque desederunt ».

8. *Nebuloso lumine*, obscuro et dubio, ut versu 1 Mosellæ. — *Marcent* flores apud inferos ut Papin. Statius *flores* in Elysio *obtuso pallentes germine* dicit. Ed.

9. *Fleti*, h. e. fletus et gemitus, quibus olim defleti sunt, notas ser-

Mirator Narcissus, et Œbalides Hyacinthus,
Et Crocus auricomans, et murice pictus Adonis,
Et tragico scriptus gemitu Salaminius Æas.
Omnia quæ lacrymis et amoribus anxia mœstis
Exercent memores, obita jam morte, dolores,
Rursus in amissum revocant Heroidas ævum.
Fulmineos Semele decepta puerpera partus
Deflet, et ambustas lacerans per inania cunas
Ventilat ignavum simulati fulminis ignem.
Irrita dona querens, sexu gavisa virili,
Mœret in antiquam Cænis revocata figuram.
Vulnera siccat adhuc Procris, Cephalique cruentam

vantes. Virg. Ecl. III, 106 : *inscripti nomina regum flores*. Quædam edd. habent *nomine*, minus recte.

10. *Mirator*, spectans se in fonte, de quo Ovid. Met. III, 418 : « Adstupet ipse sibi .... Cunctaque miratur, quibus est mirabilis, ipse ». — *OEbalides*, OEbali filius, regis Laconiæ, ab Apolline amatus, qui disco recidente percussus, mutatur in florem hyacinthum : in quem et postea Ajacis cruor conversus. Vid. Ovid. Met. X, 210 seqq. Ausonius in Technop. *Solamen tibi, Phœbe, novum dedit OEbalius flos*.

11. *Crocon* in florem versum breviter memorat Ovid. Met. IV, 283. — *Adonin* vocat *anemonen*, quæ ex ejus sanguine nata memoratur ab eodem, Met. X, 735.

12. Aias Græcis, qui et Latinis Ajax. Scriptus autem Aias in hyacintho, quia literæ αἴ, αἴ, heu, heu, qui hic tragicus gemitus vocatur, in ejus foliis scriptæ credebantur, quas alii pro ipso Ajacis nomine habebant. Videatur Ovid. Metam. X, 215.

13. *Omnia* ista, quæ in campis lugentibus obversantur, infelicis et mœsti amoris documenta, quæ memores dolores, etiam obita morte, exercent, nunc Heroidas quasi in præteritum amissæ vitæ ævum revocant. Quod Gronovius emendare voluit, *experti memores doloris*, non necessarium puto. Barthius in Adv. XII, 7, legi voluit *qua lacrymis et amoribus anxia mæsti*.

16. Vid. Excurs. ad hunc locum.

18. *Fulminis* loco legit *fulguris* Adr. Burm.

20. *Cænis* olim ab Neptuno compressa sexus mutationem impetravit ac Cæneus appellatus est, qui tandem pro Lapithis adversus Centauros pugnans arboreis oppressus trabibus in avem commutatus dicitur. Ovid. Met. XII, 179 seqq. Ausonius eum dicit post mortem pristinæ formæ redditum, Virgilium sequutus, qui Æn. VI, 448 : « Et juvenis quondam, nunc femina Cæneus Rursus, et in veterem fato revoluta figuram ».

21. *Procris*, quam in frutetis latentem pro fera Cephalus maritus interfecit. Ovid. VII, 805 seqq.

Diligit et percussa manum. Fert fumida testæ
Lumina Sestiaca præceps de turre puella;
Et de nimboso saltum Leucate minatur
Mascula Lesbiacis Sappho peritura sagittis.
Harmoniæ cultus Eriphyle mœsta recusat,
Infelix nato, nec fortunata marito.
Tota quoque aeriæ Minoia fabula Cretæ
Picturarum instar tenui sub imagine vibrat:
Pasiphae nivei sequitur vestigia tauri;

22. *Testa*, quod in plurimis legitur, ingratum est propter ὁμοιοτέλευτα in *a*, et præfero ei, quod alii habent, *testæ*, cui et favet quorumdam libr. lectio *fert fumida testem*. Est vero *testa* h. l. lucerna figulina, qua alias puellæ utebantur pensa nocturna trahentes. Vid. Virgilius, Georg. I, 391, et quæ a nobis dicta sunt ad Sereni fragm. VII.

23. *Sestiaca puella* Hero est, ab urbe Hellesponti Sesto, quæ noctu ad se natanti Leandro lucernam solebat e sua turri ostendere, e qua, postea quam Leandrum suum vidit submersum, se in mare præcipitavit. Videantur Musæus, et Ovidius Heroid.

24. *Leucates* saxum vel promontorium Epiri, unde Sappho desiliisse impatientia amoris dicitur. — *Nimbosum* etiam Virgilius vocat Æn. III, 274.

25. *Masculam* Sappho dicit ex Horat. Epist. I, 19, 28, ob virilem animum vel amorem puellarum. — *Lesbiacis sagittis*, amore Phaonis, qui et Lesbius erat, et feminas in sui amorem trahebat, notante Servio ad Virg. Æn. III, 279.

26. *Eriphyle*, Amphiarai uxor, Adrasti regis Argivorum soror, qui quum Amphiaraum vellet ad bellum Thebanum pertrahere, sororem suam oblato monili, quod Harmoniæ olim fuerat, fatali corrupit, ut maritum suum proderet. Hoc monile olim a Vulcano fabricatum eo fato erat, ut exitiale omnibus esset, qui haberent. Et Amphiaraus quidem, ab uxore proditus, bello Thebano periit; ipsa vero a filio Alcmæone, mandato patris, interfecta est. Inde ab Ausonio *infelix nato* et *marito* dicitur, quæ nunc apud inferos nollet illud Harmoniæ monile habere. Legendus Hyginus, fab. 73, et Lactantius ad Stat. Theb. III, 274.

28. *Tota quoque fabula Minoia*, quondam acta in familia Minois, regis *Cretæ*, nunc quasi *aeriæ*, h. e. lusu aeris apud inferos simulatæ et effictæ, *tenui sub imagine*, levibus in simulacris, et *picturarum instar*, *vibrat*, hinc inde movetur, quasi vento acta. Hujus fabulæ Minoiæ personæ in sequentibus nominantur, Pasiphae, uxor Minois, Ariadne filia, et hujus soror Phædra.

30. Pasiphaes infandus amor in taurum notus, refertur a Virg. Ecl. VI, 46. — Vid. Pasiphaes fabula, ex omnibus metris Horatianis (hujus edit. tomo II), v. 17: « Inlicitus gaudet Includi stabulis ». Ed.

Licia fert glomerata manu deserta Ariadne;
Respicit abjectas desperans Phædra tabellas:
Hæc laqueum gerit, hæc vanæ simulacra coronæ;
Dædaliæ pudet hanc latebras subisse juvencæ.
Præreptas queritur per inania gaudia noctes
Laodamia duas, vivi functique mariti.
Parte truces alia, strictis mucronibus omnes,
Et Thisbe, et Canace, et Sidonis horret Elissa:
Conjugis hæc, hæc patris, et hæc gerit hospitis ensem.
Errat et ipsa olim, qualis per Latmia saxa
Endymioneos solita adfectare sopores,

31. *Ariadne licia*, id est, fila *fert glomerata manu*, argumentum et pignus infelicis amoris, quo Theseum olim, Labyrinthum ingressum, servaverat, sed post *deserta* ab eo et in Naxo relicta.

32. *Phædra*, privigni Hippolyti amore capta, *tabellas*, h. e. literas, quas dicitur ad conciliandum sibi Hippolytum scripsisse, *abjectas* præ indignatione, quod nihil effecerant, *respicit* adhuc cum dolore, *desperans* eum vinci posse. Perperam hic quidam legunt *despicit*.

33. *Hæc laqueum gerit*, Phædra, quia se suspendit impatientia amoris: Ariadne *vanæ simulacra coronæ*, quam ei a Theseo relictæ Liber dederat, et postea inter sidera collocavit — Vid. Hygin. II Astronomicon, de Corona. — *Figuræ*, dat Adr. Burm. Ed.

34. *Hanc*, Pasiphaen. — *Latebras juvencæ*, vaccæ ligneæ machinam, quam Dædalus fabricaverat.

36. *Laodamia*, Acasti Thessaliæ regis filia, uxor Protesilai, *præreptas sibi queritur duas noctes*, unam *vivi mariti*, quando confestim cum aliis ducibus in Phrygiam navigavit, ibique primus periit; alteram *functi*, quando audito, eum periisse, Laodamia petiit a Diis, ut vel tres horas revivisceret, quo videre eum et alloqui liceret: quod quidem impetravit, sed postea ipsa se combussit. Hyginus, fab. 103 et 104; Ovid. Her. XIII. — Hanc diem unum petiisse testatur Lucian. in Dialog. mort. Ed.

37. *Strictis mucronibus omnes horrent*, tanquam se denuo interempturæ: Thisbe Babylonia, propter Pyramum; Canace, Æoli filia, propter fratrem; *Sidonis Elissa* vel Sidonia Dido, propter Æneam. Fabulæ omnium ex Ovidio et Marone notæ. — De Canace vid. Vinetus ad Auson. Epigr. 84. Ed.

40. *Per Latmia saxa*, in Latmo, monte Cariæ, ubi Endymionem pastorem Luna, amore ejus capta, noctu consopitum dicitur accessisse, ut dormientem oscularetur. Ovid. Heroid. XVIII, 62, et Plin. lib. II, cap. 9.

41. *Adfectare sopores* h. l. est observare et captare tempus somni Endymionis. Cæterum παρόραμα Ausonii est, qui h. l. Lunam, quæ Dea est, inter Heroidas in inferis agentes recensuit.

Cum face et astrigero diademate Luna bicornis.
Centum aliæ veterum recolentes vulnera amorum,
Dulcibus et mœstis refovent tormenta querelis.
Quas inter medias furvæ caliginis umbram
Dispulit inconsultus Amor stridentibus alis.
Agnovere omnes puerum, memorique recursu
Communem sensere reum, quamquam humida circum
Nubila et auratis fulgentia cingula bullis,
Et pharetram, et rutilæ fuscarent lampados ignem;
Agnoscunt tamen, et vanum vibrare vigorem
Occipiunt; hostemque unum loca non sua nactum,
Quum pigros ageret densa sub nocte volatus,
Facta nube premunt. Trepidantem et cassa parantem
Suffugia in cœtum mediæ traxere catervæ.
Eligitur mœsto myrtus notissima luco,
Invidiosa Deum pœnis: cruciaverat illic

42. *Luna bicornis.* Plane iis verbis describit Ausonius Lunam ad Endymionem accedentem, ut eam figura exhibet antiquæ gemmæ apud Gorlæum, P. II, num. 408. Ed.

45. *Furvæ*, infernæ, ut Horatio, Carm. II, 13, 21, *furvæ regna Proserpinæ.*

47. *Memori recursu*, pro recurrente memoria. Virg. Æn. IV, 3: *multusque recursat gentis honos.*

48. *Communem reum*, h. e. communis infortunii sui ex amore infausto auctorem et propterea reum.

49. *Auratas fulgentia cingula bullas*, sic vulgatæ et priores editiones, quæ lectio potest defendi ut sit ellipsis Græcæ præpositionis κατά. Scriverius scriptum voluit, quod et Tollius edidit, *auratis fulgentia cingula bullis*. Virg. Æn. IX, 359: *aurea bullis cingula.* Prudent. Psychom. 476, *fulgentia bullis cingula.*

51. *Vanum vibrare vigorem Occipiunt*, h. e. videri incipiunt vehementer movere se et in hostem concitari, vano tamen conatu. Sic commotos in somnio describit Virg. Æn. XII, 909, «nequicquam avidos extendere cursus Velle videmur, et in mediis conatibus ægri Succidimus». Scriverius hic conjicit, *manuum vibrare vigorem*, vel *librare*, sed parum εὐςόχως: nam et supra *vanum simulati fulminis ignem*, et v. 29, *vibrare fabulam tenui sub imagine* dixit. Barthius *rigorem* maluit, nec hoc bonum.

52. *Loca non sua nactum*, h. e. loco alieno nec sibi opportuno apparentem, utpote cui nihil negotii est cum inferis.

54. *Facta nube*, i. e. facto globo et concursu, ut alias *nubes* est densa multitudo; sequenti versu dicitur *cœtus mediæ catervæ.*

Spreta olim memorem Veneris Proserpina Adonin.
Hujus in excelso suspensum stipite Amorem,
Devinctum post terga manus, substrictaque plantis
Vincula mœrentem, nullo moderamine pœnæ
Adfigunt: reus est sine crimine, judice nullo
Accusatus Amor: se quisque absolvere gestit,
Transferat ut proprias aliena in crimina culpas.
Cunctæ exprobrantes tolerati insignia leti
Expediunt: hæc arma putant, hæc ultio dulcis,
Ut quo quæque perit, studeat punire dolore.
Hæc laqueum tenet, hæc speciem mucronis inanem
Ingerit; illa cavos amnes, rupemque fragosam,
Insanique metum pelagi, et sine fluctibus æquor.

58. *Memorem Veneris Adonin.* Respicit fabulam, quam Apollodorus refert, lib. III, p. 224, quum Proserpina cum Venere contenderet super Adoni, et Jupiter litem dirimens imperasset, ut de tribus anni partibus unam Adonis apud se ipsum, alteram cum Venere, tertiam cum Proserpina esset, Adonis autem plus declinans in Venerem, huic suam etiam partem tribueret, paullo post Adonin, Proserpinæ invidia, ab apro interfectum esse. Quem eventum hic poeta ita fabulæ suæ accommodat, ut dicat, ex invidia Proserpinæ cruciatum Adonin apud inferos esse in myrto, quod nimium memor Veneris fuisset.

62. Pleræque editiones *adficiunt* præferunt, sed Scriverius maluit *adfigunt*, quod ipse poeta hoc verbum in præfatione usurpavit, et in lemmate suo, quod est *Cupido cruci adfixus*. Idem expressit Tollius et Floridus. Rejicit quidem *adfigunt* anonymus in notis, eo quod suspensum ante dixerat, mihi tamen inscitius dictum videtur *adficere nullo moderamine pœnæ*; et sententiam igitur Scriverii facile admitto. Tollius, qui *Pœnæ* edidit, accepisse hoc vocabulum primo casu pluralis videtur, quasi Pœnæ, i. e. Furiæ ipsæ Heroides vocarentur.

63. Barthius hic legendum censet, *se quæque absolvere gestit*, quum omnes sint sexus sequioris: sed commutandum non esse τὸ *quisque*, et Veterum usu probari, dudum ostendit ad h. l. Mariang. Accursius. Sequenti versu quidam legunt *Transfert et proprias*.

65. *Tolerati insignia leti*, h. e. gladios, laqueos, et alia, quibus se ipsæ interfecerant, hæc *expediunt*, adferunt in medium cum exprobratione suorum malorum.

69. *Cavos amnes, rupem, æquor* ingerunt, non actu quidem, quod fieri nequit, sed visu et imagine: *cavi* amnes sunt vani et inanes, qui congruunt scilicet aeriis campis. — *Sine fluctibus æquor*, ut supra versu 7 *sine labe lacus, sine murmure rivos*, h. e. non veros, sed simulatos, et mox *nullo igne faces*.

Nonnullæ flammas quatiunt, trepidoque minantur
Stridentes nullo igne faces: rescindit adultum
Myrrha uterum lacrymis lugentibus, inque paventem
Gemmea fletiferi jaculatur succina trunci.
Quædam ignoscentum specie ludibria tantum
Sola volunt: stylus ut tenuis sub acumine puncti
Eliciat tenerum, de quo rosa nata, cruorem;
Aut pubi admoveant petulantia lumina lychni.
Ipsa etiam simili genetrix obnoxia culpæ,
Alma Venus, tantos penetrat secura tumultus;
Nec circumvento properans suffragia nato,
Terrorem ingeminat, stimulisque accendit amaris
Ancipites Furias; natique in crimina confert
Dedecus ipsa suum, quod vincula cæca mariti
Deprenso Mavorte tulit; quod pube pudenda

73. *Lacrymis lugentibus:* sic Tollius et quidam alii, quod non omnino ad palatum est. Ex his libris scriptis, qui *vigentibus* habebant, Mariangelus reponere voluit *lucentibus*, assentiente et Scriverio, qui etiam tentavit *urgentibus*; Salmasius voluit *ingentibus*. Mihi fere placet, quod Gabbemæ editio habet, *humentibus*, ut Ovidium respexerit in Myrrhæ fabula, Met. X, 509: *Dat gemitus arbor, lacrymisque cadentibus humet.*

74. *Gemmea fletiferi*, h. e. instar gemmæ lucentia. Scribendum hic *gummea*, id est, gummæ instar defluentia, putat Vlitius ad Gratii 144.

76. *Stylus* hic tenue et acuminatum ferrum, sive acus, nec de scribendi instrumento intelligendum, quo tamen Cassianum martyrem a pueris interfectum narrat Prudent. Perist. IX, 44: *Adest acutis agmen armatum stylis*, etc.

77. *De quo rosa nata:* de hac fabula vide, quæ notantur ad Pervig. Ven. v. 23.— Huj. ed. tomo II. Ed.

80. *Secura*, imprudens et nihil metuens, ut supra v. 46, *inconsultus Amor.* — *Penetrat tumultus*, immiscet se turbæ Heroidum.

81. *Suffragia* accipe pro auxilio vel consensu.

83. *Ancipites Furias* Vinetus vult esse Heroidas infensas Amori, sed adhuc dubitantes an debeant ulcisci. Tollius contra vult esse ipsas Furias, quas ante Pœnas vocaverit, et *ancipites* interpretatur sævas vel sævientes, quæ significatio haud probata Veteribus videtur. Mihi *ancipites Furiæ* dici videntur Heroides, quæ ita irarum Furiis aguntur, ut dubites, Heroidum umbræ, an ipsæ Furiæ sint. Sic alibi Ausonius Epigr. 95: *Ancipites patitur Naiadas Eumenidas.*

85. *Deprensum* Martem *vinculis cæcis*, id est, subtilibus et occulte factis, a Vulcano implicitum una

Hellespontiaci ridetur forma Priapi;
Quod crudelis Eryx, quod semivir Hermaphroditus.
Nec satis in verbis: roseo Venus aurea serto
Mœrentem pulsat puerum, et graviora paventem.
Olli purpureum mulcato corpore rorem
Sutilis expressit crebro rosa verbere, quæ, jam
Tincta prius, traxit rutilum magis ignea fucum.
Inde truces cecidere minæ, vindictaque major
Crimine visa suo, Venerem factura nocentem.
Ipsæ intercedunt Heroides, et sua quæque
Funera crudeli malunt adscribere fato.
Tum grates pia mater agit, cessisse dolentes,
Et condonatas puero dimittere culpas.

cum Venere narrat Ovid. Metam. IV, 189, et Reposianus singulari poemate in Anthol. Lat. Burm. lib. I, carm. 72.

86. *Hellespontiaci Priapi*, qui de Lampsaco civitate, et Liberi Venerisque filius fuisse fertur.

87. *Eryx*, Veneris et Butæ filius, *crudelis*, quod hospites ad cæstuum certamen provocasse, et sic trucidasse dicebatur. Vid. Virg. Æn. V, 402. — *Hermaphroditus*, Mercurio et Venere genitus; ejus et Salmacidis Nymphæ in unum corpus coalescentium fabulam vide libro IV Met. Ovid.

90. *Mulcato corpore*, i. e. percusso et vulnerato: nam *mulcare* est pugnis vel calcibus cædere. Phædr. lib. I, fab. 3: « male mulcatus graculus, Redire mœrens cœpit ad proprium genus ».

91. *Sutilis rosa*, nempe serto ex rosis facto, consuto, intexto. Ed.

94. *Venerem factura nocentem*: ita exemplaria omnia, quæ vidi, præter illud editionis Hag. 1712, quæ dedit *fecere nocentem*, male omnino, quum ista lectio facillima aptissimaque sententia sit. Vindicta major suo crimine videbatur, quia factura erat, ut ipsa Venus, amorum et deliciarum mater, esset nocens. Barthius etiam nulla necessitate mutat: *Venerem facit ira nocentem*.

96. *Malunt adscribere fato*. Solennis hæc ratio apud Veteres, ut fato adscribant, in quo ipsi suam agnoscere culpam verentur. Exemplo satis memorabili hoc exprimit Lucianus in dialogo, quem inter Æacum, Menelaum, Protesilaum et Paridem instituit, tomo IV, p. 37, edit. Basil. Ibi enim Protesilaus, quod vix uxore ducta, ad Trojam occubuisset, calamitatis illius caussam primum in Helenam, deinde in Menelaum, mox in Paridem, denique in Cupidinem confert; sed monitus ab Æaco, suam ipsius gloriæ cupiditatem caussam fuisse immaturæ mortis; tandem omisso Amore, Fato rem tribuit.

98. Gronov. hic scriptum censuit: *Et condonatis puerum dimittere culpis*.

Talia nocturnis olim simulacra figuris
Exercent trepidam casso terrore quietem.
Quæ postquam multa perpessus nocte Cupido
Effugit, pulsa tandem caligine somni,
Evolat ad superos, portaque evadit eburna.

99. *Simulata figuris*, dedit auctor edit. Hag. male et citra auctoritatem. Sensus hujus et sequentis versus esse videtur: Talia simulacra visi nocturni quandoque obversantur in somnio, et trepidam quietem casso terrore turbant: vel, talia quis forte somniare potest, qui de infortunio Heroidum, de quibus loquuti sumus, cogitet. Nempe omnia, quæ hic retulit poeta, ficta et falsa et quasi per somnium acta vult intelligi.

103. *Porta eburna*, sumptum e Virgilii Æn. VI, 894, qui geminas Somni portas fingit, unam corneam, quæ veras umbras, alteram eburnam, quæ falsa somnia emittat; fictio expressa ex undecimo Odysseæ. Vid. Macrob. in priore commentario ad Somnium Scipionis. Idemque commentum ex eo repetit Noster in extrema Ephemeride. Hic porta eburna nominata, falsa et ficta esse, quæ in hoc poematio narraverit, confirmat.

EXCURSUS

AD AUSONII CUPID. CRUCI ADFIXUM,

V. 16 SEQ.

> Fulmineos Semele decepta puerpera partus
> Deflet, et ambustas lacerans per inania cunas
> Ventilat ignavum simulati fulminis ignem.

Hic locus totius poematii vexatissimus, qui varie a variis tentatus est, vix certo sanari et constitui sine librorum auctoritate potest, qui omnes fere vitiosam aut incommodam lectionem tenent. De fabula Semeles fulminatæ, quæ hic respicitur, vide Ovid. Metam. III, 298 seqq. *Fulminei partus* sunt fulmine effecti. Secundo versu vulgati habent *et ambustas latera per inania cunas.* Scriverius voluit: *et ambustis laterum per inania cunis.* Salmasius: *ambustas late per inania cunas Ventilat ignavo simulati fulminis igne.* Boxhornius conjecit: *ambustas iterum per inania cunas Ventilat ignavo simulati fulminis igne.* Tollius et Floridus dederunt *ambustas lacerans per inania cunas.* Denique anonymus in recenti hujus poematii editione Hag. Com. 1712: *et ambusti lateris, per inania currens, Ventilat ignavum simulati fulminis ignem*, quam conjecturam cæteris præferrem, nisi molesti viderentur duo genitivi, *ambusti lateris*, et *simulati fulminis* ab uno nomine *ignem* pendentes. Tollius in notis probat conjecturam Scriverii, et *laterum cunas* accipit pro utero, quod mihi durum et ἀκυρολογὸν videtur: recte tamen facit, quod in sequente versu nihil mutat. Nam *ventilat ignavum ignem* dictum est, ut a Propertio, IV, 3, 50, *ventilare facem: ignavus* vero *ignis* est lentus et debilis, quia *simulati fulminis*, h. e. umbra tantum et evanida imago fulminis, ut omnia apud

inferos vana. Ego tolerabilem puto lectionem, quæ et antiquæ scripturæ maxime convenit, *ambustas lacerans*, h. e. dum cunas, cunabula, sive pannos, quibus infans exceptus erat, quod ignem concepissent, *lacerat*, discerpit, diripit, et *per inania* (1), per auras, jactat, ignem excutere cupiens, hoc magis eum *ventilat* et excitat, ut rursus eo conflagrare videatur.

(1) Virgilius, Georg. IV, 196, cum *per inania* conjunxit substantivum, vel potius adjectivum substantive positum: *His sese per inania nubila librant.* Auson. in initio Mosellæ, v. 58: *Nec placidi prohibent oculos per inania venti*, ubi *inania* pro *liquida* scilicet fluenta accipiendum. Sæpius tamen singulare *per inane* pro *per auras* apud poetas occurrit. Ed.

MODESTINI

DE AMORE*.

FORTE jacebat Amor, victus puer alite somno,
Myrti inter frutices, pallentis roris in herba;
Hunc procul emissæ tenebrosa Ditis ab aula
Circumeunt animæ, sacra face quas cruciarat:
Ecce meus venator, ait, hunc, Phædra ligemus;
Crudelis, Crinem, clamabat Scylla, metamus;
Colchis et orba Progne numerosa cæde, necemus;
Dido et Canace, Sævo gladio perimamus:
Myrrha, Meis ramis; Evadnes, Igne crememus:
Hunc, Arethusa, in aquis; Byblis, In fonte necemus;
Ast Amor evigilans, dixit, Mea penna, volemus.

*Hoc elegans epigramma ejusdem ac Ausonii carmen argumenti, ut brevissimum huic subjicere operæ pretium duxi. Editum est a Burm. Anthol. Lat. I, 31. Ed.

1. *Alite.* Sic Divionenses Schedæ, Salmas. *aside.* Tibull. de somno: *Ille venit tacitus nigris circumdatus alis.* Ed.

6. *Metamus.* Heins. legebat *petamus*, Scyllæ fabulæ minus apte. Ed.

7. *Progne* prima correpta; vide quæ notavimus ad Sereni Fragm. XXVI, supra, p. 644. Ed.

8. *Dido et Canace*, vitium metri: legendum cum Oudendorpio, *Dido ait et Canace.*—Hæ etiam, ut supra in Ausonii carmine videri potest v. 38, pag. 657, conjunguntur. Ed.

10. In *Byblis* ultima male producitur; forte melius cum cl. Oudendorp. *Hunc Arethusa, inquit, Byblisque in fonte necemus*, quia utraque in fontem versa. Ed.

V.

C. CASSII PARMENSIS

ORPHEUS.

Argutæ primum quum plectra parentis, et auro
Distinctam sumpsit citharam Rhodopeius Heros,
Ridebant segnes pulsus, digitosque micantes
Serius, et chordis indoctæ dissona vocis.
Mox pudor exardens, et gloria dulcis honesti
Lusibus avertit puerilibus : omnis et illuc
Perditus incumbens, Musæ pallebat amore.
Et nunc maternis inhiat, nunc ille paternis
Cantibus: hinc illinc discens dependet utrimque.
Nulla Venus faciem cepit mentita dolosis

1. *Argutæ*, h. e. canoræ, *parentis*, Calliopes Musæ: sic Horatio, Carm. IV, VI, 25, *arguta Thalia*, et Epist. II, II, 90, *arguti poetæ*.

4. *Dissona vocis indoctæ chordis*, h. e. discrepantes vocis modos, quæ nondum sciret attemperare se chordarum sono.

6. *Avertit*, avertitur a lusu puer: spernere incipit lusum puerilem, et agnoscit serio accurateque tractandam artem esse. — *Avertit* pro *avertit se* posuit Lucilius Junior in Ætna, v. 150: *flamma avertit, qua proxima cedunt*. Ed.

7. *Perditus*, ultima experturus, et fere desperans, omni opera consumpta. Virg. Ecl. VIII, 87, *Perdita procumbit*.

8. *Inhiat cantibus*, cupide attenteque auscultat, ut plane percipiat et imitetur. *Hiare* dicuntur, qui cupidi mirantesque adspectant vel audiunt, ut pastor apud Calpurn. VII, 37: *stabam defixus et ore patenti, Cunctaque mirabar*. Virgil. in Ciri, v. 132, de Scylla: *O nimium cupidis si non inhiasset ocellis*. Idem Georg. IV, 483: *tenuitque inhians tria Cerberus ora*. — Prudentius, Psychom. 337: *Defixis inhiant obtutibus*. Ed.

10. *Faciem mentita*, blanda et ad alliciendum composita facie fallens. — Bene passivo sensu *mentitus* aliquando sumitur, ut testatur Burm. Anthol. Lat. lib. II, epigramm. 92. Valer. Flaccus, III, 681: *Mentitas sortes*. Ed.—Idem de Orpheo Virg. Georg. IV, 516: *Nulla Venus, non ulli animum flexere hymenæi*.

Compedibus: somni fuerat parcusque Lyæi.
Donec, ridiculus dudum, modulamine silvas,
Evulsosque suis scopulos radicibus egit.
Ausus et ire viam viventibus inconcessam,
Pœnarum oblitos demulsit carmine Manes.
Non levis adscensus, si quis petit ardua: sudor
Plurimus hunc tollit; nocturno exsomnis olivo
Immoritur; jactat, quod mox laudaverat in se,
Qui cupit æternæ donari frondis honore.

12. *Ridiculus dudum*, h. e. postquam diu lusus jocusque fuisset audientibus, qui indoctum ejus carmen et irritos labores deriderent. *Ridiculus* vitiosissimum putat, et varie corrigit Burmannus, sed caussa non satis justa.

13. *Convulsosque* ad Senecæ Herc. OEt. dedit G. Fabricius; et versu seq. rectius, ut puto, *viam mortalibus inconcessam:* sed perperam idem G. Fabricius in illo, quod proxime subsequitur, *Pœnarum oblitus*, pro *oblitos*. BURM. Videtur auctor in his et sequentibus sequutus esse narrationem Virgilii in Cul. 276, seqq.

14. Similiter Seneca in Herc. fur. 547: *Audax ire vias irremeabiles*.

15. *Pœnarum*, quas perferre apud inferos dicuntur, e. c. Ixion, Tantalus, Danaides. Virgil. Georg. IV, 484: *Atque Ixionii vento rota constitit orbis*.

17. *Nocturno olivo*, h. e. studio, et lucubratione. Juven. VII, 99: *petit hic plus temporis atque olei plus*. — *Immoritur*, inhæret ad mortem usque Pers. Sat. V, 62: *At te nocturnis juvat impallescere chartis*.

18. *Jactat, quod mox laudaverat*, ita edidit Pithœus. Fabricius tamen protulit *delet quod mox laudaverat in se*, quomodo etiam dedit Ach. Statius post Sueton. de Clar. Rhet. Burmannus ad Phædr. V, fab. ult. v. 9, sic profert: *jactat modo, quod damnaverat ante*. Heinsius conjecit: *damnat modo, quod laudaverat in se*, quod rectum puto. BURM.

PUBLILII OPTATIANI PORPHYRII

IDYLLIA FIGURATA

ARA PYTHIA

SYRINX

ORGANON

PROŒMIUM

DE VETERUM

IDYLLIIS FIGURATIS

ET DE

PUBL. OPTATIANO PORPHYRIO.

QUUM Idylliis poetarum Græcorum plerumque accenseri adjungique soleant quædam carmina ludicra, quæ certo versuum numero, dimensione, positu, formam aliquam vel figuram efficiunt, et propterea Idyllia figurata nominantur; nonnulla autem hujus generis in Latina antiquitate exstent, quorum auctor locum in poetis minoribus per se meretur, placuit nunc ea carmina huic tomo, qui Idyllia Latina continet, adjungere.

In Græcis sex hujusmodi poematia hactenus reperta sunt, Theocriti *Syrinx*, Simmiæ Rhodii *Ovum*, *Alæ* et *Securis*; denique *Aræ* duæ : una versus XXVII complectens, quam Dosiadæ cuidam, Veteribus memorato, Salmasius adscribit, Licetus alii ignoto, qui sub nomine Nonarii Terrigenæ latere voluerit; altera versibus XVIII constans, quæ in Theocriti editionibus lecta eidemque subinde attributa est, et a Liceto Dosiadæ potius, a Salmasio nulli certo auctori vindicatur. De singulis videri potest Fabricius, Biblioth. Græc. lib. III, cap. 17, § 14, 15 et 16. Edita sunt hæc technopægnia, una Dosiàdæ ara excepta, in plerisque Theocriti editionibus antiquioribus, ab H. Stephano et Jo. Crispino adornatis, cum versione et explicationibus Claudii Auberii in Simmiam, Viti Winshemii in Fistulam, et G. Canteri in

Aram, item in Heinsianis. Singularem vero iis illustrandis operam impendit Claud. Salmasius edita *Explicatione duarum Inscriptionum veterum, Herodis Attici Rhetoris et Regillæ conjugis honori positarum*, cui subjunguntur *Notæ ad Dosiadæ Aras, Simmiæ Rhodii Ovum, Alas, Securim, Theocriti Fistulam. Lutet. Paris.* 1619, *in*-4. Hæc commentaria repetita in Th. Crenii Museo Philologico historico secundo, Lugd. Bat. 1700, in-8. Salmasium in his interpretandis sequutus est, qui tamen multum ab eo dissentit, Fortunius Licetus, et singularibus libellis *Encyclopædiam in Aram mysticam Nonarii Terrigenæ*, 1630, *in Aram Dosiadæ*, Paris. 1637, in-4; *ad Epei Securim a Simmia Rhodio constructam*, Bonon. 1637: *in Alas Simmiæ Rhodii*, Patav. 1640, et *in Theocriti Syringem*, Utini, 1655, in-4, evulgavit. Idem in alia ad Latinam Porphyrii Aram Encyclopædia pag. 61 et 63 utramque Dosiadæ Aram cum explicatione Latina exhibuit (1). Obscura et tenebricosa hæc poematia, difficilesque nugas esse per se patet, quum per tot verborum numerorumque tormenta liber poetæ spiritus fundi nequeat, et eorum auctoribus hoc ipsum propositum fuerit,

(1) Utramque Aram sub Dosiadæ nomine recentissime proposuit Rich. Fr. Ph. Brunckius in Analectis vet. poet. Græc. tom. I, pag. 412 seq. Altera et minor Dosiadæ ara etiam exhibetur et recensetur ab Is. Vossio in Observ. ad Melam, lib. II, cap. 7, pag. 214, et ab Hug. Grotio in notis ad Aratea, p. 67. Ad Ovum Simmiæ Rhodii etiam commentatum esse Fortunium Licetum, a Fabricio non video memorari. Ipse tamen Licetus Encyclopædiam in illud παίγνιον, ut in reliqua, se scripsisse testatur ad Syringa Porphyrii, cap. 5, pag. 78. Præter hæc παίγνια quæ vulgata sunt, alia poematia figurata nominari a veteribus Grammaticis quæ ad nos non pervenerunt, tradunt cl. Salmasius in calce notarum ad Theocriti Fistulam, et ex eo Licetus ad Syringa Porphyrii, cap. 3, pag. 74 sq. ut *Sphæram* quam Eustathius Orpheo auctori vulgo adscriptam, et in honorem Lini compositam refert, *Thronum, Labyrinthum* et *Peplum* Aristoteli adscriptum. In Peplo tamen fallitur Licetus, quod non figuram pepli, sed titulum a peplo habuit, quum duces Græcos et heroas Homericos describeret; idque hodiernum exstat. epigrammata in duces complectens, qui bello Trojano interfuerunt. Ed.

ut perplexo et veluti conglobato sensuum verborumque textu griphorum exempla darent, et in brevi carmine multa enodanda subministrarent. Inde tam copiosæ eruditorum tamque dissidentes interpretationes.

Græcorum hæc dædalea carmina inter Latinos imitatus est Publilius Optatianus Porphyrius, Constantiniani ævi poeta, qui singulari ingenio instinctus ad carmina difficillimi lusus componenda videtur: nam ille Panegyricum Constantino M. versibus contexuit, qui verius complexus et series est plurium minorumque carminum, quæ laudes Constantini decantant, et præmissas habent Porphyrii ad Constantinum, et hujus ad Porphyrium literas. Ea carmina vario difficillimæ structuræ genere, multiplicique artificio ludunt, et literis certo ordine et numero per singulos versus positis, et nunc per initia vel clausulas versuum, nunc per transversos, medios, obliquos decurrentibus, varia nomina, varios versus sensusque efficiunt: quædam etiam certa compositione et mensura versuum in varias figuras formantur, atque ea ipsa sunt, quæ ex eo opere excerpta hoc loco proponere seorsum et explicare volumus: nam carmine II figura *Altaris* composita versibus est, carm. XII *Fistulæ*, et carm. XXIV *Organi hydraulici*. Ob insignem artis, quamvis ærumnabilis, varietatem *volumen insigne* vocat Hieronymus, eoque *ad Constantinum misso Porphyrium exsilio liberatum* memorat in Chron. ad A. C. 328. A Constantino certe laudem singularis epistolæ meruit, quæ ipsi operi adjuncta est: collaudatur præterea a Beda in Art. metr. Rhabano Mauro, de Laud. S. Crucis, in prologo; a Cuspiniano, in Vita Constantini; Gyraldo, de Poet. Hist. dial. IV. Hoc opus repertum Viennæ a Joanne Stabio, et primo editum a Petro Pithœo, inter poemata vet. Paris. 1590, in-12, et Genev. ac Lugd. 1596, in-8. Sed quum is codex, qui primum repertus erat, non omnia illius libelli poematia contineret, certe figurata illa, quæ diximus, Idyllia in eo desiderata videntur; Pithœus altera in editione Lugdunensi quædam

alia ex vetustissimo codice Franc. Jureti addidit, in quibus *Organon* est. Multo locupletius Publilii opus e bibliotheca Paulli Velseri cum interpretatione prodiit, Augustæ Vindel. 1595, in-fol. et ad calcem operum Marci Velseri a Christoph. Arnoldo edit. Norimb. 1682, in-fol. addito spicilegio critico Christiani Daumii, quo Velseriana editio cum Pithœana diligenter confertur. Vid. Fabricii Biblioth. med. et inf. Latin. vol. V, p. 497. Præter hos, quos memoravi, duumviros neminem omnino scio, qui panegyricum illum Porphyrii typis exscribendum curaverit, neque puto futurum facile alium, qui editione nova dignum existimet. Nam propter continuos illos literarum et figurarum lusus ipsis verbis nihil fere recti ingenii et spiritus poetici, quin parum sani sensus inest, et carmina ipsa quum legentibus difficillima intellectu sunt, sensu rerum ubique tot nugis obruto, tot verborum et literarum vinculis illigato, tum minime omnium ad legendum proponi vel commendari merentur. Placet hic apponere judicium Velseri in præfat. ad Henr. Ranzovium : « Carmina « dico patientiæ miserrimæ, temeritatis pæne incredibilis, « certe, quod constet, nullius ante se exempli ; quibus quod « reditum impetravit exsul, satis eo superque pœnarum ex- « pendisse, nec inimicis quidem invidiam ultra debere vide- « tur : nam nulla crux unquam conferenda cum hac cruce ». Post alia pergit : « De reliquo, judicium ferre, lectoris po- « tissimum partes : ausim tamen pronuntiare et ego, Auso- « nianis propemodum verbis, Esse hic quod mireris (id nemo « iniquus adeo negaturus), verum multo magis etiam esse, « paucis literis additis, cujus miserearis, neque æmulari « velis : nam hoc postremum omnes Musarum pueros, per « spem studiorum suorum, oratos volo enixe, etc. » Non aliter de isto Porphyrii opere judicarunt Casp. Barthius, Advers. lib. XXII, 18, et ad Claud. de Cons. Mall. Theod. v. 312, pag. 179; Vossius de Poet. Lat. cap. 4, pag. 54. Equidem vehementer adsentio Velseri judicio, neque adeo consultum puto panegyrico Porphyrii locum aliquem in hac

poetarum collectione tribuere, quamvis in sua tribuerit Pithœus, ne multorum veræ poeseos intelligentium offendam sensum. Id tamen diffiteri nequeo, quæ in eodem volumine occurrunt carmina, positu mensuraque versuum in quamdam speciem, ut Aræ, Syringis, et Organi, formata, ea omnino excusatiora meliorisque notæ videri, et Publilio locum aliquem in poetis sequioris ævi concedere. Etenim quum se Græcæ antiquitatis exemplis, quæ supra memoravimus, et poetarum aliorum imitatione tuentur, tum, præter variantem versuum mensuram, absunt a cæteris puerilibus ineptisque lusibus, quibus alia ejus libelli carmina notantur. Propterea hæc etiam quorumdam eruditorum cura repeti et illustrari meruerunt: nam Fortunius Licetus, quam Græcorum figuratis Idylliis operam, etiam Latinis Porphyrii dicavit, et Patavii an. 1630 Encyclopædiam ad Aram Pythiam edidit, an. 1635 ad Syringa Publilianam commentatus est. In Organon quidem Licetus, quantum mihi rescire licuit, nihil scripsit, at Aug. Buchnerus in Animadversionibus ad Venantii Fortunati Hymnum de resurrectione Domini, pag. 27, id typis repetendum curavit, et nonnullis adnotationibus instruxit. Ex parte etiam interpretatus est Casp. Barthius, Comment. ad Claud. de Cons. Mall. Theod. pag. 178.

Epigrammatum etiam auctorem fuisse hunc Porphyrium statuerunt Gyraldus, de Poet. Hist. dial. IV; Jonsius, Histor. Philos. lib. III, cap. 15, § 5, et Fabricius, Bibl. Lat. tomo III, pag. 268. Nituntur autem testimonio Fulgentii, qui de Contin. Virgil. pag. 759 edit. Staver. hoc Porphyrii epigramma adducit:

Pauxillo Fortuna tibi, res perfida, Quinte,
Extulit in frontem grande supercilium.
Nam, ne aliud credam, puteum puto te quoque, Quinte:
Quanto altus magis es, tam mage despiceris.

Idem Mythol. lib. II, cap. 4, hoc fragmentum epigrammatis Porphyrii allegat: *Nudus, egens, Veneris naufragus in pe-*

lago. Gyraldus citat *naufragus in tabula*. Ambigit Velserus in Præf. an hæc loca Fulgentii ad Porphyrium panegyrici auctorem pertineant, et P. Burmannus in notis ad Anthol. Lat. tom. I, pag. 542 et 555, plane putat Porphyrium epigrammatum auctorem diversi genii et antiquioris ætatis poetam esse, maleque confundi cum Porphyrio Optatiano. Ego vero diversos eos sine ratione satis gravi haberi existimo. Tametsi enim epigramma a Fulgentio relatum paullo melioris notæ esse videtur, quam cæteri Porphyrii lusus, ipsa tamen farrago epigrammatum, quam a Porphyrio scriptam Fulgentius innuit, statim per se poetam prodit, cujus ingenium in lusibus et argutiis totum et assiduum fuerit, neque adeo Publilio absimilem (1). Et exstare præter panegyricum illud alia quædam carmina Optatiani Porphyrii, certo mihi videor posse affirmare. Produxit P. Burmannus Anthol. Lat. lib. III, 89, e schedis Salmasianis et Divionensibus ineditos hactenus *Versus anacyclicos de Amore* inscriptos, quorum initium est:

Blanditias fera mors Veneris persensit amando,
Permisit solitæ nec Styga tristitiæ.

Anacyclici dicuntur versus, quod in cyclum vel orbem circumaguntur, et repetito a fine versuum initio, retrograda lectione pentameter in hexametrum convertitur, hexameter mutatur pentametro, ita ut per duos versus duo alii redeant. Quod genus recentioris artificii Diomedes, lib. III Art. Gramm. pag. 515, ed. Putsch. descripsit. Istorum versuum in schedis Salmasianis titulus erat IORFIRI ANACLICI, sed adscriptum a manu recentiore PORPHIRI. In Divionensibus quidem reperta inscriptio RVFINI VERSUS ANACYCLICI emendatior veriorque visa est Burmanno, ab eoque recepta, sed

(1) Idem sentit Th. Reinesius, Var. Lect. lib. III, cap. 3, p. 384: nempe Porphyrium epigrammatis a Fulgentio citati et Panegyrici auctorem eumdem esse. Ed.

ego falsum potius librarium fuisse existimo, qui ignotiori sibi nomini, eique corrupto, IORFIRI notius Rufini substituit. Et ingenii artificiique Porphyriani hos versus anacyclicos esse, aliud exemplum ejusdem generis ex ejus panegyrico repetendum docet, quod in carmine ejus III legitur, atque etiam a Sirmondo in notis ad Sidon. Apoll. lib. VIII, epist. XI, pag. 91, pro exemplo elegi anacyclici adducitur:

Perpetuis bene sic partiri munera seclis
Sidera dant patriæ et patris imperium.

Omnino igitur tum epigramma illud supra e Fulgentio adlatum, tum hoc anacyclicum de Amore, a P. Burmanno primo editum, Optatiani Porphyrii poematibus accensenda existimo. Atque hoc quidem æque ac illud integrum hoc loco apposuissem pro instituti mei lege, qua unius poetæ singula carmina et carminum fragmenta eodem volumine conjungenda arbitror, nisi viderem hoc carmen æque nugatorium, ac cætera panegyrici, esse, et propter putidum artificium nec intelligi satis, nec placere posse. Equidem inter Petroniana fragmenta quædam esse, quæ Porphyrio tribuant docti viri, refert J. A. Fabricius in Bibl. Lat. lib. IV, cap. 1, pag. 247. Quo fortasse respicit observationem Velseri, qui inter testimonia de Porphyrio refert, in fragmentis Petronii ad illud *Crede ratem ventis*, nescio quem adnotasse: *Nisi sit potius Porphyrii poetæ sub Constantino in exsilium missi, cujus pleraque video Petronio nostro vel a Criticis tribui.* Ego vero præter istud epigramma de mulierum levitate, quod plerumque Q. Ciceroni solet tribui, nihil in Petronianis inveni, quod Porphyrio adscriberetur, neque video qua probabilitate id fieri a quopiam possit, qui, Petronii et Porphyrii quantum distet ingenium et stylus, non ignoret. Sed de reliquiis aut poematibus aliis Porphyrii, si qua forte reperiantur, præter ea quæ commemoravimus, vix tanti erit diligentius quærere. Satis habeamus ea Publilii carmina proponere, quæ figuram Altaris, Fistulæ, Organi

repræsentant (1), quæque haud dubie, si non ob poesin, certe ob gustum, quem præbent, antiquæ historiæ et eruditionis, omnium Porphyrii præstantissima habenda sunt.

Ante tamen, quam hoc aggredimur, pauca de ipso auctore, ejusque fatis præmittamus. Effecisse eum panegyrico suo Cæsari oblato, ut ab exsilio revocaretur, ex Hieronymo supra audivimus. Ipse mulctatum se exsilio vel injuria, vel levi de caussa, testatur, quum in Elegia præmissa, qua Thaliam suam alloquitur:

> Suppliciter tamen ire potes, dominumque precari,
> Squalor et hæ sordes conveniunt miseris.
> Quum dederit clemens veniam, natumque laremque
> Reddiderit, comptis ibis et ipsa comis.

tum carmine VI, quo ipsum Constantinum sic alloquitur:

> Respice me falso de crimine, maxime Rector,
> Exsulis afflictum pœna, etc.

Quo anno libellum obtulerit, ipse haud obscure significat carmine vel pagina XV, ubi in medio corpore paginæ in codice de minio scriptum fuit Avg. XX. Caes. X. quibus indicat, Vicennalibus Augusti et Decennalibus Cæsaris filii scriptum esse, hoc est, A. C. 326. Quoniam vero eadem pagina, prætereaque carmine XX, Crispum Cæsarem adloquitur, multaque in ejus et fratris Constantini laudem pro-

(1) Licetus quidem in comment. ad Aram Pythiam Publ. p. 39, alius poematis, *Navis* figuram referentis, a Publilio elaborati, meminit, eoque respicere ad carmen videtur, quod pag. 4 panegyrici occurrit. Sed hoc minime ad Idyllia figurata referri potest, siquidem non exteriorem formam navis, variata versuum mensura compositam, exhibet, sed ea forma interius, elementorum serie, certos versus efficiente, et per media verba mediasque lineas huc illuc transeunte, minioque picta, delineatur, ita quidem, ut singulæ navis partes, rostrum, prora, puppis, remi, gubernaculum, imposito, mali et antennæ vice, monogrammate Christi, rubrarum literarum tramite signentur, ærumnabili sane et stupendo labore, sed qui ab exemplo et ratione Idyllii figurati abest.

fert; Crispus autem novercæ dolo eo ipso anno, quo Constantinus Vicennalia celebravit, occisus est; hinc necesse est, ante hunc annum scripsisse Publilium, ut Vicennalia celebraturo Constantino gratularetur. Quantum cum his rationibus conveniat Hieronymus, qui revocatum ab exsilio A. C. 328 refert, id nunc latius nolo disquirere. Hoc tantum affirmo, non multo post quam rediit Publilius, etiam honore auctum a Constantino esse. Nam admodum probabilis est sententia Tillemontii in Hist. Imperat. tom. IV, p. 364, esse eum ipsum Publilium Optatianum, quem Præfecturam Urbis anno 329 atque iterum an. 333 gessisse indicat vetus scriptor libelli de Præfectis Urbi. Et dignitate non mediocri fuisse hunc Porphyrium, facile comprobat honos ei a Constantino in epistola habitus, qua eum *Fratrem Carissimum* appellat. Religionem ejus quod attinet, fuerunt etiam inter antiquos qui paganum hominem fuisse crederent, eo quod in poematibus fabulas et familiares poetis ethnicismos minime evitasse videretur, et Beda, de Ratione metrica, cap. de rhythmo, pag. 2379, ed. Putsch. quædam se pagana in ejus volumine reperisse memorat, quæ tangere noluerit. Baronius adeo cum Porphyrio philosopho, qui contra Christianos scripsit, confudit perperam (1), qui tamen ipse errorem suum retractavit ad A. C. 325, et amplius castigatus a Luca Holstenio est, cap. 4 de vita et scriptis Porphyrii. Minime autem alienum a Christi sacris hunc Porphyrium fuisse, quum multa Christianæ pietatis argumenta in ejus carminibus reperiunda, tum in primis demonstrat illa a Juliano in Misopogone irrisa *Chi* littera, et crux Constantiniana omnino integra, cum monogrammate nominis Christi, quod carmini IX manifeste insertum est, addita adeo in-

(1) Quemadmodum Franciscus *de Fogerolles*, in Epistola Porphyrii de Abstinentia libro præmissa, hunc Porphyrium philosophum cum Nostro confundit, eumque dicit misso ad Constantinum Magnum insigni volumine, palinodiam de iis quæ adversus orthodoxos scripserat continente, exsilio in quod pulsus erat liberatum esse. Ed.

vocatione SS. Trinitatis. Quum hoc pacto signum Christianismi a Constantino inventum imitari sollicite et scripto suo inferre voluerit, nolim equidem valde repugnare, si quis hoc adsentationis genus habere, atque inde colligere velit, eum Christi nomen non sincere professum, sed Constantini gratiam captasse, et professione ea faciliorem sibi reditum ad suos quæsivisse. Cæterum et hoc adnotasse juvat, Casp. Barthium, Advers. XXII, 18, suspicari, Porphyrium Africanum hominem fuisse, idque colligere ex quodam loco carminis X, quo Africæ præsentem tranquillitatem accuratius gratuletur :

.................tranquillis carior Urbi
Africa temporibus potitur servata quiete :
Nunc se felicem, nunc se sub nominis arce
Tutam, quod Carthago decus venerabile gestat.

Et sane Optati et Optatiani, quorum memoria exstat, plerique in Africa floruerunt. Videntur et posteri ejus in Africa res et negotia habuisse, quandoquidem Porphyrium Africæ Proconsulem sub Honorio fuisse, Codicis Theod. lege 38, tit. de Episcopis, et l. 41 de Hæreticis, notatur. Carmen XI panegyrici Publilius Basso cuidam dedicavit versu, qui ex literis per lineas sursum deorsumque currentibus colligitur : *Omne genus metri tibi pangens optime Basse.* Hic, judicante Jac. Gothofredo in Prosopogr. Cod. Theod. fuit Septimius Bassus, qui annis 317-319 Consul et Præfectus Urbi fuit, aliis etiam annis ut Præfectus Præt. memoratur in legibus. Quum Bassum Porphyrius patronum et adjutorem fortunæ suæ primarium coluisse videtur, et quoniam non hoc solum, Basso dedicatum, carmen, sed alia plura, in quibus et duo, quæ proponimus, Idyllia sunt, in opere Publiliano comparent, quæ ad laudem Constantini minime pertinent, recte inde videmur colligere, perperam hoc opus, syllogen variorum lusuum poetæ continens, panegyricum Constantino dictum inscribi, aut errore librarii factum esse, ut aliena ei carmina insererentur, quæ quidem auctor cum

reliquis obtulerit Cæsari, discreta tamen ipse esse voluerit. Imitatorem quidem lusuum suorum Publilius inter recentiores habuit Magnentium Rhabanum Maurum, qui pleraque poematia sola elementorum literariorum artificiosa positione construxit, hominum et aliarum plurium rerum, tum naturalium tum artificiosarum, imagines referentia; habuit etiam sæculo X Abbonem, Floriacensem abbatem, qui epistolam ad Ottonem Imperatorem hexametris versibus, et simili artificio, scripsit, e Porphyriano sibi codice exemplar sumens, ut Aimoinus in ejus vita, atque ex hoc Leyserus in Hist. poet. med. ævi, p. 301, scribit: sed tantum abest, ut Rhabani et Abbonis lusus subjungere, et nugamentis hisce diutius immorari velim, ut verear, ne nimium jam operæ Publilii technopægniis tribuerim.

I.

AD PUBL. OPTATIANI PORPHYRII

ARAM PYTHIAM

PRÆFATIO.

Aram Porphyrii post Velserum nemo edidit, nisi Fortunius Licetus. In Pithœi exemplari non exstat. Constat autem versibus XXIV, qui omnes sunt senarii, pedum quidem numero æquales, sed literarum differentes, eaque differentia ita vel extendunt, vel contrahunt, vel æquant lineas, ut adspectui imaginem altaris antiqui repræsentent. Argumentum seu summa poematis hæc est. Ara ipsa inducitur loquens, et initio dicit se dicatam Apollini et a poeta fabricatam, atque in templis locandam, quæ a poetis celebrentur. Deinde loquitur de materia, e qua sit composita; nempe se non ex rupe excisam, non spiculo vel cestro perpolitam coactamque in aræ speciem esse, quæ ipsa a v. 11 ad 18 describitur; sed compositam esse e metris, arte et modo poetico, ita ut versus quidem numerum pedum servent, elementis tamen literarum vel crescant vel decrescant. In fine ipse poeta aram hanc dedicans Phœbo supplicat, ut sibi læto in poetarum choro esse liceat. Ex Græcorum Aris Publilius manifeste eam, quæ Dosiadæ adscribitur, imitatus est. Nam et hujus argumentum vel summa huc redit, ut dicat, non eam esse, quæ victimarum sanguine, aut turis suffimento inficiatur: non esse ex marmore Naxio, aut ex plinthis vel glebis constructam, aut talem, qualem Apollo sibi in Delo struxerit e caprarum cornibus; sed exstrui ab Enneade Musarum

(Εἰνὰς μ' ἔτευξε γηγενής· unde Licetus Nonarium Terrigenam commentus est), invìtarique adeo poetas, qui Hippocrenen potaverint, ut cum aliqua libatione ad eam aram accedant. Comparata utraque Ara, illa Dosiadæ Græca, et hac Latina Porphyrii, vix addubito, quin Latina Græcæ præferenda sit: multo enim hæc planior illa et elegantior est. Græca non solum vario et insolito metrorum genere utitur, sed in versibus etiam dictionem adhibet usu raram, compositione mirificam, sensu intricatam. Unde olim jam Lucianus dixit in Lexiphane, tomo II, pag. 553, edit. Basil. Aram Dosiadæ misero et infelici sermone compositam (1). Contra Publilii Ara eodem versuum genere tota constat, et diversam eorum mensuram solo numero literarum, nunc majore, nunc minore efficit : ipsa formæ suæ rationem planissime exponit ; dictione denique utitur, quæ non nimium difficilis, et nulla parte ænigmatica reperiatur. Brevis tamen et concisa in sententiis est, quod quidem fieri, ut in carmine tot limitibus circumscripto, necesse erat, et propterea vix intelligi a quopiam sine meditata explicatione potest. Cujus quidem nos nunc periculum faciemus, Liceti observationibus, ubi idoneæ videbuntur, usuri interdum, neque minus tamen studium nostrum judiciumque adhibituri. En ipsum carmen.

(1) Inter recentiores Poetas Latinos Hannardus Gamerius Mosæus, Prof. Græcar. liter. Ingolstad. ejusmodi Aram versibus figuratam, qua contemptores sacræ Missæ objurgantur, concinnavit, et Bucolicis Latinis subjectam edidit Antverpiæ, 1568, in-8. Ed.

ARA PYTHIA.

Vides ut Ara stem dicata Pythio
Fabre polita vatis arte musica
Sic pulchra sacratissima gens Phœbo decens
His apta templis quis litant vatum chori
Tot compta sertis et Camenæ floribus
Heliconiis locanda lucis carminum
Non caute dura me polivit artifex
Excisa non sum rupe montis albidi
Luna e nitente nec pari de vertice
Non cæsa duro nec coacta spiculo
Arctare primos eminentes angulos
Et mox secundos propagare latius
Eosque caute singulos subducere
Gradu minuto per recurvas lineas
Normata ubique sic deinde regula
Ut ora quadræ sit rigente limite
Vel inde ad imum fusa rursum linea
Tendatur arte latior per ordinem
Me metra pangunt de Camenarum modis
Mutato nunquam numero duntaxat pedum
Quæ docta servat dum præceptis regula
Elementa crescunt et decrescunt carminum
Has Phœbe supplex dans metrorum imagines
Templis chorisque lætus intersit sacris.

ANNOTATA
AD PUBL. ARAM PYTHIAM.

Titulus *Aræ Pythiæ* non e codice manuscripto est, sed a Fort. Liceto, qui sic inscripsit.

1. *Vides ut ara stem dicata Pythio.* In animo forte habuit Noster initium odæ 9, lib. I Horatii: *Vides ut alta stet nive candidum Soracte.* — *Stare* de collocata dedicataque ara vel statua usitatum. Virgil. Æn. III, 63, *stant Manibus aræ Cæruleis mæstæ vittis;* et Æn. IV, 509, *Stant aræ circum.* De statua Cupidinis dedicanda Virgilius in noto epigrammate: *In morem picta stabit Amor pharetra.* — *Pythio*, h. e. Apollini dicata ara dicitur, quia carminis cujusque compositione colitur Phœbus, poetarum tutelaris, et Porphyrius gratitudinis maxime caussa consecrat, quod eo auspice poetices artem difficillimam adiit. Fortasse etiam usurpare hoc versu vetustum morem voluit, aras, tripodes et alia donaria Diis consecrata epigrammate aliquo inscribendi.

2. *Fabre polita*, artificiose venusteque constructa, *arte* tamen non fabrili, figlina, tectonica et materiali, sed *arte vatis musica*, poetarum propria, qui concentu et numeris verborum delectant, Musarum instinctu et numine agitati.

3. *Sic pulchra sacratissima gens Phœbo decens.* Obscurus et elumbis versus, cujus constructionem vix intelligas, nisi mendum subesse existimes, quod fortasse in verbo *decens* latet. Quoniam cum sequenti versu male cohæret, parenthesi potius includendus et seorsum ponendus videtur, et pro *decens* legendum *docet*, pro *pulchra* scribendum *pulcra*, ut duabus literis major sequente linea, non quatuor, fiat, hoc sensu: *Sic* nimirum *gens Phœbo sacratissima docet pulcra* exstruere. Possis etiam *decent* legere: *Sic* scilicet *pulchra decent* te, quæ *gens es Phœbo sacratissima.* Simili oratione Lactantius Symposium suum orsus est: *Hoc quoque symposium lusi de carmine inepto: Sic tu, Sexte, doces.*

4. *His apta templis quis litant vatum chori.* Ea est ratio hujus aræ, ut non in templis, quibus victimæ et sacrificia offeruntur Diis, locum habere possit, sed in iis, quibus poetarum chori cantu et carminibus litant Apollini: nam hæc ara carminis loco, Apollini dicandi, est. Respicit sine dubio ædem Apollinis et Musarum Romæ, et collegium poetarum, quod in ea convenire et carmina sua recitare solebat. Cujus mentionem facit

Horatius, Sat. I, 10, 38: *Hæc ego ludo, Quæ nec in æde sonent certantia judice Tarpa;* et Epist. II, 2, 93: *quanto molimine circum Spectemus vacuam Romanis vatibus ædem.* Significat igitur Porphyrius, hoc altare, hoc carmen, eo fine confectum esse, ut inferri in ædem Apollinis, recitari et censeri a poetis possit. Propterea et aram Pythiam versu 1 dixit. Etiam Claudianus ædis Apollinis et collegii poetarum a se frequentati meminit in Præf. ad Bell. Get. *Romanis fruitur nostra Thalia choris. Optatos renovant eadem mihi culmina cœtus, Personat et noto Pythia vate domus.* Nihil hic vidit Licetus.

5. *Tot compta sertis et Camenæ floribus.* Aras verbenis et corollis ornari solitas, res est notissima. Publilius aram poeticam comptam floribus hoc magis dicere potuit, quod poetici ornatus florum instar habentur, et poetæ, ut apes, sectari eos in Musarum viridariis dicuntur.

6. *Heliconiis locanda lucis carminum.* Luci carminum hoc loco vix alii possunt intelligi, quam quæ alias silvæ dicuntur poeticæ, quales Pap. Statius nominavit, hoc est variorum carminum congeries. *Lucum* vocat, quia de ara sermo est, et luci Diis sacrati erant, in quibus adeo aræ solebant exstrui. *Heliconii* sunt musici, poetici, docti. Sententia igitur hæc poetæ est: Se altare hoc, vel poemation, componere, ut aliorum carminum collectioni inseri, vel doctorum cœtui promulgari possit.

7. *Non caute dura me polivit artifex.* Non me construxit *caute* vel lapide duro artificiose poliendo et ad amussim aptando. Hoc malo, quam cum Liceto huc referre morem Veterum, quo lutum ex cinere, aqua vel sanguine victimarum subacto, conficiebant, eoque aras tamquam tectorio oblinebant et poliebant; quod lutum quoniam instrumento quopiam duro subigendum erat, id *cautem duram* fuisse probabile putat.

8. *Excisa non sum rupe montis albidi.* Non sum exstructa marmore candido, ex rupe montis lapidosi exciso, qui procul adspicientibus albicare cernitur.

9. *Luna e nitente nec pari de vertice.* Meras nugas hic agit Licetus, dum versum hunc accipit de tempore Lunæ plenæ et decrescentis, quo ligna utilissime cædi dicuntur in fabricam; quasi Ara his verbis abneget ab se materiam omnem ligneam, et dicat, se non esse cæsam *Luna enitente*, h. e. valde nitente, *nec pari de vertice*, h. e. Luna in par apicum vel cornuum extenuata. Atqui hic versus non est nisi continuatio sententiæ prioris, et Luna est oppidum Etruriæ, portu nobile, ut vocat Plinius, lib. IV, cap. 5, cujus montes vicini candidissimo marmore abundabant, et propterea latissime candere et nitere videbantur.—Hujus quoque mentionem facit Statius et *metalliferam* vocat Silv. IV, 4, 23: *Anne metalliferæ repetit jam mœnia Lunæ, Tyrrhenasque domos.* Silius Ital. VIII, 481: *Tunc quos a niveis exegit Luna metallis Insignis portu.* Ed.—Sufficiet huic

versui Porphyrii declarando accommodare luculentam promontorii Lunensis descriptionem, quam habet Rutilius Numat. Itiner. lib. II extr.

> Advehimur celeri candentia mœnia lapsu :
>   Nominis est auctor Sole corusca soror.
> Indigenis superat ridentia lilia saxis ;
>   Et lævi radiat picta nitore silex.
> Dives marmoribus tellus, quæ luce coloris
>   Provocat intactas luxuriosa nives.

Satis hi versus declarant, *nitentem* a Porphyrio vocari *Lunam*, non sidus, sed oppidum, legendumque adeo diviso vocabulo *Luna e nitente*, ut his verbis exemplum ponatur *montis albidi*, qui præcesserat, et *parem verticem*, qui sequitur, de monte alio simili intelligendum. Non sum, inquit, excisa de monte albido, qualis est Lunensis, marmore abundans, et longe lateque nitens, nec de alio montis vertice, marmoris feraci. — Immo potius in *Pari vertice* intelligendum est Parium marmor. Ed.

10. *Non cæsa duro nec coacta spiculo Arctare primos*, etc. Male hic Licetus *spiculum* de cuneo intelligit, quo materia diffinditur. Non de ligno, sed de saxo sermo est, et spiculum est cestron vel cælum, quo saxa inciduntur, poliuntur. *Non*, inquit, cæsa vel accisa sum *duro spiculo*, vel ferramento acuto, *nec* eodem *coacta* sum *arctare*, h. e. in eam formam coacta sum, ut arctiores fierent *primi eminentes*, superiores, *anguli* mei. Ab hoc versu usque ad 18 accurate describitur, quæ sit forma exterior hujus aræ, et qui limites angulorum ejus. Nempe superius arctos esse angulos, quod in duobus primis versibus cernitur; mox inferius sequentes latius extendi dicit v. 12, sed eosdem rursus pedetentim et singulos quidem se subducere et introrsum verti, sinum quemdam vel *recurvam lineam* efficientes, v. 13 et 14; deinde æquatis *ad regulam* angulis *oram quadræ*, vel quadrati, effici, recta linea, v. 15, 16, donec eadem se rursus ad imum usque in latius spatium effundat, v. 17 et 18.

15. *Normata ubique sic deinde regula*, h. e. *Deinde sic ubique normata* sum *regula*, directa et exacta ad regulam, *ut* inde *ora quadræ sit*, figura quadrangula existat, *rigente limite*, extremitate plane recta, æquali, et nusquam inflexa. — Sic hominem *rigidum*, i. e. rectum et stantem, dixit Lactantius de opif. Dei, cap. 8 : *Hunc Deus ad cæli contemplationem rigidum erexit, bipedemque constituit.* Ed.

17. *Vel inde ad imum fusa rursum linea Tendatur :* nempe *linea* extremi anguli, quæ *inde a quadrato* procurrit *ad imum*, *tendatur*, extendatur, *per ordinem*, gradatim. His explicatur figura basis aræ, quæ sex extremos versus comprehendit : qui ea arte invicem se habent ad superiores, ut omnes sint superioribus quidem longiores ; sed tres primi gradatim crescant utrimque, additione unius literæ per ordinem, ac tres postremi similiter sint tertio primorum longiores, inter se tamen æquales.

19. *Me metra pangunt de Camenarum modis.* Ait nunc Ara se compactam esse ex versibus Musarum modos habentibus : nam verum poematium hæc ara est, ex metris constitutum.

20. *Mutato nunquam numero duntaxat pedum.* Dicit, hoc poematium, tantum quod numerum pedum attinet, uniforme et æquale esse; nam constat ex meris senariis.

21. *Quæ docta servat dum præceptis regula*, h. e. *Quæ* metra, æqualia numero pedum, *dum* per totum carmen *servat docta regula*, ars ad regulam metri versus omnes dimetiens e *præceptis* poeseos, *elementa* tamen vel literarum numerus, in æquali *pedum numero*, vel augetur vel minuitur prout ædificii lex requirit.

23. *Has Phœbe supplex dans metrorum imagines.* His verbis ipse Publilius hoc poematium, et alia ab se scripta, imaginem aliquam referentia, Phœbo dedicat, eique supplicat, ut deinceps templis et choris ejus sacris lætus interesse possit, hoc est, ut poematum suorum gratia sibi liceat redire Romam et Romanos inter poetas versari. In *supplex* subintellige *tibi est, Phœbe*, vel supplicat tibi, ut *lætus intersit.*

II.

AD PUBLILII OPTATIANI

SYRINGA

PRÆFATIO.

Syringa Porphyrii post Velserum edidit Commelinus sub finem notarum Jos. Scaligeri ad Theocritum, pag. 29, edit. 1596; deinde Fortunius Licetus cum commentario. A Pithœi editione abest, nec in codice Jureti reperta videtur. *Syrinx* inscribitur Idyllium, quod fistulæ formam refert,

> ......cui semper decrescit arundinis ordo;
> Nam calamus cera jungitur usque minor,

ut canit Tibullus, lib. II, 5, 31. Instrumentum fuisse musicæ agrestis, inter omnes constat. Figuram ejus breviter descripsit Jul. Pollux, lib. IV, 69, et copiosius Achilles Tatius, de Clitoph. et Leuc. Amor. lib. VIII, pag. 475, edit. Salm. in quo loco nonnulla emendavit J. D. a *Lennep*, Animadv. ad Coluth. cap. 16: recentiorum inprimis Jul. Cæs. Scaliger, Poet. lib. I, cap. 4, et Jan. Broukhusius ad Tibull. l. c. Constabat plerumque septem cannis vel calamis, cèra inter se ac lino conglutinatis, in summo, qua inflabantur, æqualibus, in imo, qua exit spiritus, inæqualibus. Et septenarium cannarum numerum exprimit Syrinx Publiliana, quamvis ipsa versibus XV constet. Nam, ut Licetus effigiem Syringis imprimendam curavit, poematium totum ita distinguendum in septem calamos est, ùt singulos bini versus conjuncti efficiant, primo tantùm et grandiori tres versus assignentur. Sæpe tamen ampliores fistulas,

et ex pluribus cicutis compactas fuisse, nonnulla Veterum monumenta demonstrant. Casp. Bartholinus, de Tibiis lib. III, cap. 6, pag. 378, exempla fistularum cum novem et cum undecim calamis producit, et gemma apud Gorlæum, Dactyl. P. I, n. 31, Pana cum fistula exhibet multo majore calamorum numero instructa. Polyphemo Ovidius, ut enormia omnia, ita fistulam centum arundinum tribuit, Metam. XIII, 786. Theocritus Syringem suam decem calamis instruxit, quos totidem versuum paria referunt, atque, ut Salmasius in notis ad illud Theocriti poematium judicat, eo respexit ad decem (1) numero Idyllia sua, quæ rustica sive pastoralia censentur. Quum Theocriti Fistula uno et viginti versibus constet, quidam existimant, primum versum, quasi titulum et inscriptionem, a reliquo carmine separandum, nec ab ipso auctore appositum esse, ita ut decies bini versus formandis decem calamis fistulæ relinquantur. Ego vero idem in Theocriti, quod in Publilii Syringe observatum esse arbitror, atque unum versum ab auctore supra numerum cannarum adjectum, ut prima grandiorque canna tribus versibus designaretur (2). Theocriti Fistula ex eo genere carminum est, quo, qui artem aliquam desierant, instrumentum artis suspendebant et dedicabant Deo. Est enim nihil aliud, quam epigramma vel inscriptio Syringis, quam peracto jam Idylliorum opere dedicat Pani, eique gratias agit; quemadmodum ipsi pastores subinde facere dicun-

(1) Quam Theocritus observasse rationem videtur in numero Idylliorum pastoralium ad consuetum numerum cannarum in fistula pastoritia accommodando, eadem Calpurnio obversata videtur, ut, quum fistula alias e septem, alias ex undecim cannis confici soleret, idem primo septem Eclogarum seriem ederet, mox eamdem augeret ad undecim.

(2) Aliter sentit Fort. Licetus ad Syringa Porphyrii, p. 16, *Quum Theocriteæ Fistulæ versus unus et viginti numerentur, et Publilianæ tantummodo quindecim, utriusque totidem sunt calami: nam et Theocritus Fistulam suam efformavit septem cannis, quarum singula tres versiculos continet; et Publilius propriæ Syringi septenas dedit cicutas, quarum prima omnium maxima tres versus complectitur, aliæ singulæ seorsum binos.*

tur. Sic Virgil. Ecl. VII, 24, *Hic arguta sacra pendebit fistula pinu;* et Calpurn. VIII, 17, *Jam mea ruricolæ dependet fistula Fauno.* Porphyrii Fistulæ paullo diversa est ratio. Nam ea est fistulæ, quasi jam suspensæ in arbore et dedicatæ, descriptio; atque ejus forma, usus in silvis, choris, orgiis, ejus inventor et celebres pastores, qui ea usi sunt, indicantur. Quamquam palam est, Porphyrium in Syringe componenda Theocriti imitatorem fuisse, quænam tamen alteri præferenda sit, Græca an Latina, id difficile ad judicandum est. Theocritus ut carmen ad figuram fistulæ conformaret, diversos numerorum et versuum modos adhibuit, et liberiorem adeo minusque coactam componendi rationem sequutus est, ut planum et dilucidum poematium efficere posset, si vellet. Sed idem de industria obscurum reddidit, et adhibitis crebris metalepsibus rusticis, brevibus et obscuris allusionibus ad historias ac fabulas, concisis item sententiis, et mutilis constructionibus, operam dedisse videtur, ut mirabile et ænigmaticum totum epigramma efficeret. Porphyrius contra minime affectasse obscuritatem et ænigmata videtur, sed legem sibi compositionis et structuræ tam morosam et difficilem dixit, ut necesse esset obscuriorem, quam ipse vellet, fieri. Nam uno metri genere, hexametro inquam, per totum poematium, quamvis decrescente versuum mensura, usus est, et breviores lineas imminuto literarum numero effecit (1). Unde numerandis cujusque versus elementis difficillima electio verborum fuit, quæ si apta numero literarum erant, non erant simul sensui implendo. Hinc angustatæ et constrictæ iis limitibus sententiæ, breves et concisæ sunt, nusquam fere satis explicatæ, non cohærentes. Nos operam dabimus, ut, quæ difficiliora sunt, in subjecta annotatione dilucidemus.

(1) *Artificium Publilii in eo consistit, quod quum omnes versus pariter hexametri sint, semper tamen inferior quilibet superiore suo brevior est una literula, ut ultimus admodum longa mensura, scilicet tredecim elementis, a primo superetur.* Ita Fortun. Licetus ad Syringa Porph. p. 17.

SYRINX.

Praecelsae quercus frondenti in vertice pendens
Testor templa loci Faunos celebrare frequentes
Disparibus compacta modis totidemque cicutis

Dulcisono Panum oblectans modulamine silvas
NaiadumDryadumque chorosarcanaque Bacchi

Orgia et heuvantes Satyros per musica Tempe
Me Pan ad thiasos docuit modulamine cantus

Et variata sonis vinxit consortia primus
Attis almus amans tua maxima cura Cybele

E roseo terit ore Deus mollique labello
Accenditque tuos Idaeos mater amores

In me felices animavit carmina musas
Me judex formae alta gestavit in Ida

Me laeti sociam voti vicina marito
Eoo lucis canit invitata sub ortu

ANNOTATA
AD PUBLILII SYRINGA.

1. *Praecelsae quercus frondenti in vertice pendens.* Sistitur Fistula dicata Fauno, et pro signo pendens in primaria arbore sacrarii ejus. Quod Porphyrius syringem in quercu suspensam dicit, quodque ejus quercus altitudinem et frondium honorem laudat, in eo mysticas significationes quærit Licetus, quas certe non cogitavit Publilius, qui non alia quam metri et artificii sui ratione adactus est, ut hanc arborem, non aliam, hoc epitheton, non aliud, poneret. Quercus tamen nominatæ non vana ratio afferri potest. Alias quidem in pinu suspendere pastores fistulas suas solent, ut monumenta quædam vetera, et Maronis versus supra allatus Ecl. VII, 24, docet. Sed hic non otii caussa fistula suspensa a pastore est, sed pendet, tamquam signum sacri luci, in maxima arbore ejus silvæ, in qua sacrarium Panos est, et conventus pastorum. Ad sacra Panos vel Fauni maximas umbrosissimasque arbores eligere solebant, inprimis quercus, ilices, fagos, æsculos. Apposite ad hunc locum Tibullus, lib. II, 5, 27:

> Lacte madens illic suberat Pan ilicis umbræ,
> Et facta agresti lignea falce Pales;
> Pendebatque vagi pastoris in arbore votum,
> Garrula silvestri fistula sacra Deo.

2. *Testor templa loci Faunos celebrare frequentes.* Ego pendens, inquit fistula, testimonio vel signo sum, Faunos hunc locum, ut templum suum, frequentes celebrare solere. Nam fistula delectantur Fauni, iidemque frequenter versantur in lucis. Quæ vero secretiora sunt loca silvarum, vel antra densis obumbrata et cincta arboribus, ea Fauni templa vel sacraria vocari solent. Descripta ea vide apud Calpurn. Ecl. I, v. 9, seqq. ad quem locum plura notavimus. Sic et Propert. IV, 4, 5, *Sylvani ramosa domus.*

3. *Disparibus compacta modis*, h. e. ita composita, ut diversos modos vel sonos, graves et acutos, edat *totidem cicutis*, quæ dispari magnitudine et totidem numero sunt, quot soni efficiendi.

4. *Dulcisono Panum oblectans modulamine silvas.* Me sæpe Panes, silvestres Dii, sumere, et dulce carmen modulari, eoque oblectare silvas, h. e. homines silvestres agrestesque solent. *Modulari* et *modulamen* de

fistula et carmine pastorali, quasi proprie usurpatur. Calpurn. IV, 45, *Irrita septena modularer sibila canna;* et v. 63, *Hyblæa modulabile carmen avena.* Valer. Flacc. IV, 386: *Advenit et leni modulatur carmen avena.*

5. *Naiadum Dryadumque choros.* Pergit commemorare, ubi et quos Panos fistula oblectare soleat: non solum silvas, pastores, caprarios, bubulcos, sed et Nymphas. Hæ enim non solum choros agere ad sonum fistulæ, Faunis et Satyris immixtæ, sed etiam pastoribus fistula canentibus adesse et auscultare dicuntur. Platonis quoddam epigramma a Natali Comite, Mythol. lib. V, cap. 6, et ex hoc a Liceto producitur, ubi Pan inducitur canens fistula, et circumstans ei chorus Nympharum:

> Αἱ δὲ πέριξ θαλερεῖσι, χόρον ποσὶν ἐστήσαντο
> Ὑδριάδες νύμφαι, νύμφαι ἀμαδρυάδες.

Similiter Ovidius, Metam. XI, 153:

> Pan ibi dum teneris jactat sua carmina Nymphis,
> Et leve cerata modulatur arundine carmen.

Canenti pastori apud Calpurn. II, 14, *Adfuerunt sicco Dryades pede, Naiades udo.* — *Arcanaque Bacchi Orgia.* Etiam in orgiis Bacchi, quæ per agros et silvas a viris mulieribusque furore concitatis aguntur, usus est fistulæ, sicut et crotali, tibiæ, tympani, quia hæc, maxime inter pastores et agrestes recepta, Bacchi comitatum et triumphum referunt, in quo Bacchæ, Nymphæ, Panes et Satyri visuntur. — *Arcana* dici orgia puto propter arcanam vim et significationem, quam habere arma et instrumenta in orgiis usurpata credebantur, ut thyrsi, vites, hederæ, tympana, pelles et vellera; vel propterea quod noctu plerumque celebrari solebant, atque ea divulgare nefas erat. Describit Ovid. Metam. VI, 587:

> Tempus erat, quo sacra solent Trieterica Bacchi
> Sithoniæ celebrare nurus: nox conscia sacris:
> Nocte sonat Rhodope tinnitibus æris acuti;
> Nocte sua est egressa domo regina, Deique
> Ritibus instruitur, furialiaque accipit arma, etc.

6. *Et heuvantes Satyros per musica Tempe.* Satyros inprimis oblectat fistula, qui in comitatu et orgiis Bacchi *evantes* sunt, h. e. *Evan* vel *Evoe* clamantes, quæ vox erat solennis in sacris Bacchi, qua se sensu numinis tactos et lætitia exsultantes significabant. Vid. Horat. Carmen II, 19, 5 et 7; et Ovid. Metam. VI, 597: *Exululatque Evoeque sonat.* Virgil. Æn. VI, 517: *evantes orgia circum Ducebat Phrygias.* — *Per musica Tempe* interpretor per loca amœna et silvestria, quæ cantu bacchantium et musicis instrumentis personant, vel his choris musicis agendis destinata sunt. *Nemora avia* hoc in ritu dicit Virgil. Æn. VII, 580: *Tum quorum attonitæ Baccho nemora avia matres Insultant thiasis.*

7. *Me Pan ad thiasos docuit modulamine cantus.* Dicit Pana primum docuisse fistula canere, dum cantum vel sonum ejus modularetur, certis

modis, vel certa spiritus moderatione temperaret, *ad thiasos*, ad saltationes chori Bacchici. *Thiasus* proprie est turba quæ sequitur Bacchum, in ejus honorem exsultans et tripudians. Sic usus est Virgil. loco paullo ante adducto. Idem Ecl. V, 29:

Daphnis et Armenias curru subjungere tigres
Instituit, Daphnis thiasos inducere Bacchi,
Et foliis lentas intexere mollibus hastas.

In codice Velseri expressum fuit *thyasos*, quod rectius *thiasos* scribitur. Licetus etiam pro variante lectione *thriasos* apposuit, quod mendosum est, quamquam θρίασιν vocari poeticum furorem Suidas auctor est, ad voc. θρίαμβος.

8. *Et variata sonis vinxit consortia primus*, h. e. vinxit, compegit calamos, consortes quidem unius instrumenti, sed variantes sonis. Nihil aliud hoc versu dicit, quam Virgil. Ecl. II, 32: *Pan primus calamos cera conjungere plures Instituit.* Fabulam, quomodo Pan invenerit fistulam et compegerit e cannis palustribus, in quas mutata fuit Syrinx nympha, ab ipso amata, narrat Ovid. Metam. I, 705 seqq. et Achilles Tatius, lib. VIII, p. 476 seqq. Tertullianus, de Anima, cap. 14, *commercia modorum* vocat, de organo hydraulico loquens.

9. *Attis almus amans tua maxima cura Cybele.* Post Pana, pastorum Deum, et syringis inventorem, ad nobilitatem ejus ostendendam memorat ex heroibus vel Divis pastores quosdam insignes, qui fistula usi fuerint. *Attis*, pastor Phrygius, amoribus Cybeles, Deum Matris, e fabulis notus; quem *almum* vocat, quod ab Arnobio, Macrobio, aliis pro Sole habitus est, qui lumine et calore vivifico creat et alit omnia.

10. *E roseo terit ore Deus mollique labello.* Inconcinne dictum *terit e roseo ore*. Sententia requirebat *me roseo terit ore*, sed impediebat definitus numerus literarum: *roseum os*, ob juventutem et pulchritudinem, quæ fuisse dicitur Attinis: *Deum* vocat, ut hoc magis adstruat dignitatem syringis ab eo usurpatæ. Cæterum phrasis est e Virgil. Ecl. II, 34, petita: *Nec te pœniteat calamo trivisse labellum.* Lucret. V, 1406: *Et supra calamos unco percurrere labro.*

11. *Accenditque tuos Idaeos mater amores.* Mater intelligitur Deorum, Cybele, quæ et Mater Idæa dicebatur, ut multa monumenta, et Lucret. II, 611, testantur. Itaque et hoc loco non abesse debebat *Idæa* a nomine matris; contra *Idæi amores* minus commode dicuntur; unde suspicor Porphyrium scripsisse *Accenditque tuos, Idæa o mater, amores.* Cæterum de insano amore, quo Cybele deperiisse Attinem dicitur, legi inprimis meretur Arnobius, lib. V, p. 159 seq.

12. *In me felices animavit carmina Musas.* Obscurus versus. Dicitur, quisquis is est, in fistula animasse carmina, reddidisseque Musas felices. Fortasse hoc vult, fistulæ cantu animatum, excitatum eum esse ad

felicius pangenda carmina. Sed de quonam sermo sit, vix intelligitur. Suspicor legendum esse *carmine*, unde facilior sensus redit, ipsumque versum referendum esse ad Paridem, qui sequitur, quique dici potest felices habuisse Musas, quod judex a Deabus electus præmium referre meruit.

13. *Me judex formae alta gestavit in Ida.* Attini a Dea Magna dilecto, et divinis etiam honoribus culto, subjungit Paridem, regis Priami filium, et tanto in honore a Diis habitum, ut, dum pastoralem vitam ageret in Ida monte, judicium formæ ei a tribus Deabus, de pulchritudinis excellentia contendentibus, deferretur. At quo hoc ipsum mandatum ei esse tum, quum fistulam gerens armenta sua cantu demulceret, observavit Coluthus, in Rapt. Hel. v. 112 seqq. Ex lege metrica hic legendum erat *Me formæ judex alta;* sed in codice sic exstitit, ut dedimus.

14. *Me laeti sociam voti.* Hæc Licetus de OEnone nympha, Paridis conjuge, intelligit, quam Publilius dicat fistula, quasi voti sui socia, usam, quum ipsa vicina marito suo Paridi, fistula canenti, assideret, a quo in pascua summo mane invitata esset. Ego vero nullum indicium OEnones hic reperio, et si tale quid Publilius referre de ea Nympha voluisset, puto idem Ovidius in epistola OEnones ad Paridem attigisset. Existimo potius, sermonem esse de cujusvis pastoris amica vel conjuge, quæ primo mane, ubi greges suos in pascua compulerunt, invitatur a pastore, ut secum residens carmen invicem canat fistula, quæ propterea *læti socia voti* est, quod pastori vota sua amoresque decantanti succinit et respondet. Morem hunc frequentem pastorum fuisse, passim Eclogæ bucolicæ Veterum demonstrant, et sigillatim, quod ad tempus matutinum attinet, quo canere incipiebant, id pastor apud Virgilium, Ecl. VIII, 17, probat:

> Nascere, præque diem veniens age, Lucifer, almum;
> Conjugis indigno Nisæ deceptus amore
> Dum queror.

III.

AD PUBLILII OPTATIANI

ORGANON

PRÆFATIO.

Hoc Idyllium Publilii et memorabili argumento, et compositionis facilitate reliquis ejus poematiis palmam videtur præripere. Hinc etiam frequentius edi cæteris, et plurium observationibus illustrari meruit. Ediderunt integrum post Marcum Velserum Petr. Pithœus, in Poem. vet. ex codice Franc. Jureti, et Aug. Buchnerus, in comment. ad Venantii Fortunati Hymnum paschalem, pag. 27. Adduxerunt partim et illustrarunt Casp. Barthius, ad Claud. de Consul. Mallii, v. 312, et ad Claudian. Fescenn. in Nuptiis Honor. p. 780; Laur. Pignor. de Servis, p. m. 88; Cangius, in Glossar. Latino; Lampius, de Cymbalis, lib. III, c. 17; Andreas Rivinus, in Commentar. ad Pervigilium Veneris, v. 48, et Tristanus, Comment. histor. tomo I, pag. 218 seq. Fere affirmare de hoc Idyllio Porphyrii licet, quod olim de septima Calpurnii Ecloga diximus, ob argumentum, et luculentam rei, qualis vix alibi reperiatur, descriptionem, in præstantioribus haberi posse; eaque descriptio satis feliciter auctori cessit, ut, quamvis impedientibus angustiis et limitibus, quibus carmen suum adstrinxit, clara tamen ipsa nec valde impedita esset. Quapropter hoc ei elogium impertit Casp. Barthius l. c. *Quantum Porphyrii ingenium fuerit, facile hinc elucet, quod tam ineptè anxiis angustiis adstrictus, potuerit tamen tam eleganter et clare hæc proponere.* Organon hydraulicum

describi, ipsum carmen indicat. Habuerunt autem Veteres duo genera instrumentorum, quæ proprio organorum nomine insignire solebant, pneustica, quæ follibus inspirantur et solo vento aguntur, et hydraulica, quæ concitatione aquarum concipiebant auram, unde ederent sonum. De pneustico elegans et luculentum epigramma Juliani desertoris exstat Anthol. epigr. Græc. lib. I, cap. 86, p. 118 H. Stephani; et sunt, qui id genus organa Juliani ætate primum nata velint. Sed multo antiquius testimonium reperio in verbis Manilii, lib. V, v. 329, quæ certe, uti a Scaligero et constituta et intellecta sunt, organon aere inflatum significare videntur:

Hinc venient vocis dotes, Boreæque sonantis,
Garrula quæ modulis diverse tibia format,
Et quodcumque manu loquitur, flatuque movetur.

Celebratiora autem apud Veteres hydraulica fuerunt, quæ Vitruvius lib. IX, c. 9, et Plinius lib. VII, c. 37, a Ctesibio Alexandrino, Tertullianus ab Archimede Syracusano inventa dicit. Artifices eorum *hydraulæ* dicti, quorum meminere Petronius, Suetonius, Sidon. Apollinaris. Ipsum organon præter Porphyrium describunt Vitruvius lib. X, c. 13; Corn. Severus, in Ætna, v. 295 seq. Athenæus lib. IV, c. 24; Tertullianus, de Anima, cap. 14; Claudianus, de Cons. Mall. Theod. v. 315 seq. Eadem tamen hydraulica non unius generis, et variata subinde artificio fuisse, patet ex loco Suetonii, in Nerone, cap. 41, ubi refert, Neronem summo in periculo *partem diei per organa hydraulica novi et ignoti generis circumduxisse.* Ex locis Veterum allegatis rationem et structuram ejus instrumenti declarare, adnisi sunt Turnebus, Advers. lib. II, c. 22; Jos. Scaliger, in not. ad Corn. Sev. l. c. Casp. Barthius, ad Claud. l. c. Salmuthus, ad Pancirol. de reb. memor. et deperd. tit. 40; Athan. Kircherus Musurg. lib. II, pag. 330; Is. Vossius, de Poem. cantu et vir. rhythmi, p. 99, seqq. Tristanus, Comment. hist. tom. I p. 218; Petr. Burmannus, ad Petron. c. 36; J. M. Gesnerus,

ad Chrestom. Plin. pag. 403; et A. L. F. Meisterus, de Veterum hydraulo, in Novis commentar. Societ. Scient. Gœtting. ad ann. 1771, p. 158 seq. qui de hydraulicis Veterum luculentissime egit, eaque e doctrina Heronis et Vitruvii accurate descripta, cum organis recentioris ævi contulit (1). Etsi vero scriptores veteres, Vitruvius maxime et noster Publilius, structuram rationemque ejus satis luculenter descripserunt, nummi etiam veteres exstant, a Pantino in Thes. numism. pag. 158, et Tristano l. c. prolati, et a P. Burmanno ad Petronii l. c. repetiti, qui speciem organi exprimunt, unde valde illud simile fuisse pneumaticis, quibus hodie in templis utimur, apparet; totam tamen ejus describendi *rationem non esse facilem*, *neque omnibus expeditam ad intelligendum*, ipse Vitruvius loco allegato fatetur. Satis igitur habebimus structuræ et partium ejus præcipuarum brevem deformationem dare, eamque reliquæ substernere explicationi, quam ad ipsum Porphyrii poematium dabimus. Summam veluti ejus paucis versibus exhibet Claudianus de Cons. Mallii, v. 315:

Et qui magna levi detrudens murmura tactu,
Innumeras voces segetis moderatus ahenæ,
Intonat erranti digito, penitusque trabali
Vecte laborantes in carmina concitat undas.

Nimirum fuit arca, sive, ut Turnebus legere apud Vitruvium mavult, ara ex ære fabricata, in basi de materia compacta, cui aquæ infusæ vecte aliquo agitari intus ad spiritum sonumque excitandum poterant. Hanc arcam hexagonon quandoque fuisse, apparet ex nummis Tristani, sed rotundam fuisse indicare Athenæus videtur, qui aræ rotundæ persimile hoc instrumentum affirmat. Supra tabulam arcæ

(1) Secundum Vitruvii descriptionem delineatum organon hydraulicum dedit Casp. Schottus, in Mechanica hydraulico-pneumatica, Parte secunda, classe III, p. 412. Add. Sigeb. Havercampus, Dissert. de nummis contorniatis, p. 70 et 126 seqq. Ed.

est κανὼν μουσικὸς, in cujus longitudine sunt canales sive calami ex ære facti, ordinatis in transverso foraminibus insistentes. Vitruvius canona organi ad summum octochordon, vel octo canalium prodit: totidem vel novem tibiarum est in nummis: quindecim cicutis aheneis instructum memorat Pseudo-Hieronymus, epistola ad Dardanum, cujus locum profert Barthius ad Claud. l. c. e fistulis sex et viginti quandoque factum esse, docet Optatiani carmen; et multo e pluribus etiam componi potuisse, facile credat, qui Claudianum cogitet *segetem ahenam* et *innumeras* ejus *voces* memorare. Inter tabulam et canona Vitruvius dicit regulas esse interpositas, quæ plectra quadrata vocantur a Porphyrio, et digitis percussæ multiplices modorum et vocum varietates excitabant. Plura ad intelligendam hujus instrumenti rationem idonea notare ad ipsum carmen, collatis Vitruvii verbis, licebit. Illud tantum hoc loco addendum existimo, hydraulicum organon a Corn. Severo *cortinam* vocari, in Ætna v. 295:

> Carmineque irriguo magni cortina theatri
> Imparibus numerosa modis canit arte regentis,
> Quæ tenuem impellens animam subremigat undam.

Scaliger quidem *cortinam* hoc loco interpretatur tholum theatri, nec aliter sentire Lipsius, ad dial. de orat. cap. 19, videtur, qui Severum putat cortinam pro theatri incurva parte dixisse. Hi enim viri, quod cortinam sciunt proprie lebetem esse, ut ostendit Scaliger ad Varronis lib. VI de Ling. Lat. p. 127, propterea putant a rotunda forma lebetis subinde cortinam vocari fornicem aliquem aut concameratum vel incurvum locum ædificii. Ego vero etiamsi concedam partem aliquam ædificii cortinæ nomen accepisse, in eo tamen non cortinæ vel lebetis formam rotundam spectari puto, sed usum cortinæ illius, quæ sedes et locus oraculorum erat. In hac enim quod vatum responsa magna voce edebantur, hinc cortinas appellatas existimo ædes vel partes ædium, quæ unius vel plurium vocibus personarent, eique

usui dicatæ essent. Hoc sensu omnino usurpare videtur auctor dialogi de orat. cap. 19, nisi ibi *corona* potius pro *cortina* legendum est: « At hercule, inquit, pervulgatis jam « omnibus, qûum vix in cortina quisquam adsistat, qui « elementis studiorum etsi non instructus, at certe imbutus « sit, etc. » Loquitur enim de loco judiciorum, ubi actiones caussarum et crebræ orationes audiebantur. Etsi vero eamdem ob caussam non diffiteor partem aliquam theatri cortinam dici potuisse, eum tamen sensum vocabuli in Severi versu plane locum habere nego. Manifeste enim *cortina* distinguitur a theatro, non ut pars ejus, sed ut supellex vel instrumentum theatri, eaque dicitur *imparibus numerosa modis*, h. e. numerosis instructa tibiis, quæ impares modos efficiunt: dicitur ipsa *canere carmine irriguo*, h. e. quod efficitur undæ irriguæ sonore, et quidem *arte regentis*, illius scilicet, qui ad numerum movet et moderatur voces. Quæ plane est descriptio organi hydraulici. Cortina igitur a Severo vocatur ipsum organon in theatro collocatum, idque fieri arbitror per metaphoram sumptam a cortina Apollinis vel Sibyllæ, quam alias usurpare poetæ solent pro tripode, seu potius operculo tripodis rotundo, quod Græci proprie ὅλμον vocant, unde oracula edebantur. Ea cortina, in oraculis dandis, mugire et vocem reddere dicitur, vento subterraneo e specu, cui imposita est, surgente, ut enuntiavit Virgil. Æn. III, 92, *mugire adytis cortina reclusis;* et Ovid. Met. XV, 635, *cortinaque reddidit imo Hanc adyto vocem.* Sic instrumentum grande pneumaticum dici cortina poterat, quod tibiis aræ rotundæ insistentibus sonos modosque edebat, flatu intus excitato impleta. Et in sono ejus describendo eadem vocabula a poetis, quæ de Phœbados aut Sibyllæ voce et profatu adhibentur: mugire, murmurare, intonare dicitur. Utriusque enim cortinæ vox spiritu afflatuque excitari creditur. ὅλμοι et ὑφόλμια a Polluce et Hesychio dicuntur quædam partes tibiarum, quæ vocabula de ipsa cortina usurpantur. Animadverto etiam, inter partes vel ornamenta organi a Vitruvio

delphinos nominari; qui quidem quid rei fuerint, et quem locum usumque habuerint, ipse non satis intelligo, quamvis explicare laboret Turnebus Advers. II, 22; sed videtur tamen his inesse ratio aliqua, cur eæ machinæ cortinæ adsimulari potuerint. Nam cortinæ etiam delphino superposito conspiciuntur in nummis quibusdam, ut notæ sacerdotum Apollinis, sive Quindecimvirum; vid. doctorum virorum annotationes ad Val. Flaç. lib. I, 5. Delphinus autem sacer Apollini est, et propterea tum oraculorum, tum musicæ grande instrumentum signat (1). Musicæ quidem hac maxime de caussa, quod delphinus, ut Plinius, lib. IX, c. 8, tradit, *musicæ arti amicum animal, symphoniæ cantu et præcipue hydrauli sono mulcetur;* oraculorum autem, quod delphinus generatim aquarum, vel oræ maritimæ symbolum in nummis est, et oracula plerumque in locis irriguis vel mari proximis edebantur. Documento sunt Sibyllæ Cumææ et Tiburtinæ sedes, fontes item Albuneæ et Clitumni, unde sortes et oracula petebantur; vid. Virg. Æn. VII, 83; Tibull. II, 5, 69; Plin. Epist. VIII, 8, 5: nam ipse aquarum strepitus magnam vim habere ad percellendos et lymphandos animos credebatur. Unde facile apparet ratio, cur instrumento musico, quod commota ex aquis aura inspiratur, et cortinæ nomen impositum, et delphini signum adjunctum fuerit. Progrediendum nunc paullo, ut, quibus usibus servierit olim organon hydraulicum, paucis ostendamus. Publicum ejus usum præcipue

(1) Aliam rationem cur delphinus Apollini sacer sit adducit Servius ad Æn. III, 332. Memorat Icadium, Apollinis et Lyciæ Nymphæ filium, quum Italiam peteret, facto naufragio, delphini tergo exceptum, et prope Parnassum montem delatum, patri Apollini templum constituisse, et a delphino locum Delphos nominasse. Hinc ergo et delphinum inter sacrata Apollinis receptum ejusque rei vestigium esse, quod hodie Quindecimvirorum cortinis Delphinus in summo honore ponatur, et, pridie quam sacrificium faciant, velut symbolum delphinus circumferatur, ob hoc scilicet quia Quindecimviri librorum Sibyllinorum sunt antistites; Sibylla autem Apollinis vates, et delphinus Apollini sacer est. Hactenus Servius. Ed.

fuisse in theatris, e Cornelii Severi loco, quem modo explicavimus, apparet, puto ad choreas et voces histrionum moderandas, addo etiam in Circo, ad pugnas athletarum et gladiatorum suis numeris temperandas. Colligo hoc ex verbis Petron. c. 36: *Putares essedarium hydraule cantante pugnare.* Burmannus per hydraulen intelligit tibicinem, qui fistula, cujus canales aqua implebantur, canebat, et essedarium quasi classico incendebat. Et *cave,* inquit, *capias de organis illis, quæ nostris, quorum usus in templis, similia sunt. Quomodo enim talia instrumenta in arenam possent deduci, et essedarium pugnantem et vage discurrentem comitari?* At vero si tali instrumento in pugna gladiatorum opus fuit, quod eum vage discurrentem comitari, et quasi classico incendere posset, equidem non video, cur hydraulos vel tibia adhibenda fuerit, non ipsa tuba, cujus in bello et vera pugna usus erat. Scilicet tantæ pugnantium diversis in partibus turbæ non sufficiebat tuba vel tibia, nec omnino comitari singulos pugnantes sine impedimento poterat, sed requirebatur majus et sonantius organum, quod sejuncto loco positum longissime audiri, magnum etiam hominum strepitum vincere sono, et pluribus diversa in parte Circi pugnantibus signa numerosque pugnæ edere posset. Tantum vero sonitum magnis spatiis sufficientem fuisse cortinæ vel machinæ hydraulicæ, edocet Porphyriani carminis ultimus vs. *Jamque metro et rhythmis præstringere quidquid ubique est.* Hieronymus libello ad Dardanum, quem allegat Barthius, organon describit tam fortis soni *in modum tonitruum concitati, et per mille passuum spatia sine dubio sensibiliter, utique et amplius, audiatur.* Eum igitur hydraulen apud Petronium intelligo, qui cortinam seu magnum organon pulsaverit, cujus boatu omnem Circi strepitum vincente, gladiatorum pugnæ regerentur. Et ludis solennibus, in quibus pugnæ et choreæ edebantur, inserviisse hoc instrumentum, ipse Porphyrius suo carmine significat, quum versu 18 seqq. profitetur, se eo tempore, quo pro victoriis Augusti *vota publica reddan-*

tur theatris et choreis, ipsum absentem sua vota *sonare versu:* carmen autem suum dum in formam organi hydraulici componit, eo ipso indicat, hoc instrumentum votis publicis in theatro solvendis tum maxime adhibitum. Quod etiam similibus ludis destinatum a Nerone fuisse Suetonius memorat, cap. 54, ubi eum *sub exitu vitæ palam vovisse* tradit, *si sibi incolumis status permansisset, proditurum se, partæ victoriæ ludis, etiam hydraulam, et choraulam, et utricularium,* etc.(1). Apud privatos ejus usus deinceps valde adeo invaluit, ut conviviorum delicium omnisque luxuriæ instrumentum esset: Constantii temporibus Ammianus Marcell. lib. XIV, cap. 6, hoc inter alia degenerantis Romæ vitia refert, quod domus non paucæ, studiorum seriis cultibus ante celebratæ, nunc organis hydraulicis resultent. In conviviis luxuriosis hydraulica admissa docet Sidonius Apoll. lib. I, epist. 2, ubi Theodoricum Regem, quod non admiserit, laudat. In aula Byzantina usum hujus organi fere perpetuum in omni solennitate fuisse, e libris Cæremoniarum Constantini apparet, Lipsiæ an. 1751 editis (2). In Occidentis regnis hydrau-

(1) In theatro et ludis usum organorum olim fuisse, hic etiam locus Senecæ probat, Epist. 84, p. 351, edit. Gronov. *Quum omnes vias ordo canentium implevit, et cavea æneatoribus cincta est, et ex pulpito omne tibiarum genus organorumque consonuit, fit concentus ex dissonis.* Et auctor veteris epigrammatis de Pyrrhica, quod Salmasius ad Spartiani Hadrian. cap. 19, et Burmann. Anthol. lib. III, 184 edidit, dicit organa saltantium virorum et mulierum discursus rexisse et finiisse: *Nam remeare jubent organa blanda pares.*

Maxime autem organorum usum publicum in Circo et theatro probant nummi contorniati, in quibus solis conspiciuntur figuræ hujus organi. Hos enim in celebratione ludorum publicorum cusos, athletis et aurigis victoribus donatos, et propterea figuris rerum ad spectacula publica pertinentium signatos esse Sigeb. Havercampus in Dissert. de nummis contorniatis passim notavit. Ed.

(2) Jacob. Reiskius in Commentar. ad Constantini Porphyr. Cærim. aul. Byzant. p. 44, affirmat hæc organa eadem fuisse ac quæ hodie ita dicuntur. Ed.

licorum usus intercidisse mature, pneumaticorum mansisse, certe magis cognitus et celebratus videtur. Prudent. Apoth. v. 389, ed. Elzev.; Cassiodor. Variar. I, epist. 45; Isidor. Orig. III, cap. 8, id genus organorum describere videntur, quod follibus inspiratur (1). Diserte idem indicat Epithalamium Laurentii, a P. Burmanno, Anthol. Lat. tom. II, p. 633, editum, v. 64: *Jubila folligenis exclamant organa bombis.* Sic enim pro vitiosa codicis scriptura, quæ ibi exstat, legendum existimo. *Bombi* proprie sunt soni organorum, ut declarat Servius ad Virg. Æn. VII, 23: *folligenæ,* sunt qui a follibus oriuntur. Suspicor tamen, hydraulica ipsa Veterum non semper ita fuisse comparata, ut sola aquarum concitatione personarent, sed hausisse etiam aera follibus per aquas immissum. Ex ipso Publilii poematio v. 46 id videtur posse colligi: et in nummis Tristani, imaginem hydraulici præferentibus, ad basin arcæ adhæret figura similis foliorum arboris, quam, quin pro follibus habeam, nulla ratione impedior (2). Vulgo quidem existimant, quod primum in Occidente visum sit organon, idque pneumaticum, Pipino Francorum Regi ab Imperatore Orientis Constantino dono missum esse; vid. Hospinianus, de Templis lib. II, cap. 23; idemque Notkerus, de vita Caroli M. lib. II, cap. 10, memoriæ prodidit, cujus locum adducit Barthius ad Claud. Cons. Mall. l. c. Sed hoc fortasse de majore aliquo et nobilioris artificii organo intelligendum est. Nam et ante cognitum, et aliis locis usitatum fuisse, quum Pseudo-Hieronymi ad Dardanum, aliorumque vetustiorum, quos supra nominavimus, testimonia,

(1) Describit etiam organon pneumaticum Theodoretus, de Provid. orat. III, p. manuscr. 513 tomi IV, de ore et lingua hominis loquens: Ὀργάνῳ γὰρ ἔοικεν ἀπὸ χαλκῶν συγκειμένῳ καλάμων, καὶ ὑπ' ἀσκῶν ἐκφυσουμένῳ, καὶ κινουμένῳ ὑπὸ τῶν τοῦ τεχνίτου δακτύλων, καὶ ἀποτελοῦντι τὴν ἐναρμόνιον ἐκείνην ἠχήν. Ed.

(2) Follem omnino ad arcam organi applicatum in nummo magno Valentiniani, qui organi hydraulici figuram exhibet, agnoscit Havercampus, ad nummos contorniatos, p. 131. Ed.

tum inprimis Prudentii Trecensis locus, a Barth. in Advers. lib. XLIV, cap. 9, memoratus, satis evincunt. Quibus tamen nondum conficitur, in templis etiam usum eorum receptum fuisse, quod quidem falso ex loco Venantii Fortunati, ad quem commentatur, Aug. Buchnerus colligit, quum per *organa* ibi nominata non illa instrumenta majora, de quibus nunc agimus, sed avium guttura musica, quæ cannis pastoritiis se adsociant, intelligenda sint, ut latius docet Burmannus ad Petron. l. c. Affirmamus potius, idque rationibus satis certis constare arbitramur, organa majora, sicut nec alia instrumenta musica, in templis Christianorum vix ante sæculum XIII exaudita esse. Cf. Jos. Bingham. Orig. eccles. lib. VIII, cap. 7, § 14 (1).

Deveniendum nunc est ad ipsum Porphyrii Organon carmine descriptum, ut ejus argumentum et compositionem ostendamus. Hoc reipsa duobus e carminibus diversi metri constat, sicut etiam a Velsero duobus sub numeris XXIV et XXV propositum est. Prius illud versibus iambicis dimetris 26 continuatur, et præfationem auctoris continet, qua declarat, quum ob victorias Augusti solennes ludi instituantur Romæ, ipseque per iniquam sortem adesse iis nequeat, voluisse se vota sua versu composito reddere. Inter hoc et alterum carmen a summo ad imum ductus versus legitur : AVGVSTO VICTORE IVVAT RATA REDDERE VOTA. Alterum carmen priori ad latus positum in tabula, sed a nobis propter angustiam spatii separata in pagina ponendum, totidem versibus, sed hexametris, constat, eoque auctor tum propositum suum, carminis per continua versuum incrementa componendi, aperit, tum ipsius organi,

(1) Wilh. Zepperum in Explanatione legum Mosaicarum, lib. IV, cap. IX, ubi de musica instrumentali et organis in templis disserit, et Constantini Hugenii de Organorum in templis usu et abusu dissertationes, Lugd. Bat. 1640, citat Th. Crenius, Animadv. Philol. P. XV, p. 213. Huc etiam pertinet Casp. Calvoer de Musica, ac sigillatim de Ecclesiastica, eoque spectantibus organis. Lips. 1702, in-12. Ed.

per istam compositionem formandi, figuram, partes et usum describit. Hæc carmina duo, si argumentum spectes, eo ordine, quo hactenus retuli, legenda sunt; sed si formam adspicere organi velis, tabula ita collocanda est, ut prius carmen, iambicum, inferiore loco, alterum superiore conspiciatur. Hoc situ, quod superius est, speciem cannarum 26 imparium sensimque crescentium præbet. Interjectus per medium versus *Augusto victore*, etc. canonem organi, de quo supra diximus, designat; inferior vero pars, brevioribus constans versibus, epitoniorum vel plectrorum, singulis cannis respondentium, instar obtinet. Artificium ipsum ab auctore adhibitum, uti a Pithœo ex ipso codice describitur, hoc est. Superioris partis, heroico metro scriptæ, primus versus 25 literarum est, et inde singuli per ordinem incrementis singularum literarum ad quinquaginta usque perveniunt; cujus numeri est ultimus versus, qui duplicat numerum literarum primi, quum sit pari metro. Inferioris partis versus omnes sunt literarum octodecim. Carminis textum dabo ad exemplar P. Pithœi. In notis id conferam cum Velseriana editione. Addam etiam, quæ Barthius et Buchnerus ad versus quosdam adnotarunt.

Post Martios labores,
Et Caesarum parantes
Virtutibus per orbem
Tot laureas virentes,
Et Principis tropaea;
Felicibus triumphis
Exsultat omnis aetas,
Urbesque flore grato,
Et frondibus decoris,
Totis virent plateis.
Hinc ordo veste clara
Cum purpuris honorum
Fausto precantur ore,
Feruntque dona laeti.
Jam Roma culmen orbis
Dat munera et coronas
Auro ferens coruscas
Victorias triumphis,
Votaque jam theatris
Redduntur et choreis.
Me sors iniqua laetis
Sollemnibus remotum
Vix haec sonare sivit
Tot vota fonte Phoebi
Versuque compta solo
Augusta rite saeclis.

AVGVSTO VICTORE IVVAT RATA REDDERE VOTA

O si diviso metiri limite Clio
Una lege sui, uno manantia fonte
Aonio, versus heroi jure manente
Ausuro donet metri felicia texta,
Augeri longo patiens exordia fine,
Exiguo cursu, parvo crescentia motu,
Ultima postremo donec fastigia tota
Ascensus iugi cumulato limite cludat,
Uno bis spatio versus elementa prioris
Dinumerans, cogens aequari lege retenta
Parva nimis longis, et visu dissona multum
Tempore sub parili, metri rationibus isdem,
Dimidium numeroMusis tamen aequiparantem:
Haec erit in varios species aptissima cantus,
Perque modos gradibus surget fecunda sonoris
Aere cavo et tereti, calamis crescentibus aucta.
Quis bene suppositis quadratis ordine plectris
Artificis manus in numeros clauditque aperitque
Spiramenta, probans placitis bene consona rythmis,
Sub quibus unda latens properantibus incita ventis,
Quos vicibus crebris juvenum labor haud sibi discors
Hinc atque hinc animaeque agitant, augetque reluctans
Compositum ad numeros, propriumque ad carmina praestat,
Quodque queat minimum ad motum intremefacta frequenter
Plectra adaperta sequi, aut placidos bene claudere cantus
Jamque metro et rythmis praestringere quicquid ubique est.

ANNOTATA
AD PUBLILII ORGANON.

1. *Post Martios labores, Et Caesarum parantes*, etc. Martios labores pro *Martis* dixit, hoc sensu, post Martis et Cæsarum labores. BUCHN. *Martii labores*, ut *certamen Martium* apud Horat. Carm. IV, 14, 17, sunt bella. — *Armiferos labores* vocat Statius, Silv. I, 2, 96. *Opus Martium* Ammianus Marcell. XX, 5: *Quo tempore* (hieme) *terræ ac maria opere Martis vacant*. Ed. — Series verborum sic explicanda: *Post Martios labores*, post varia bella gesta, quæ *et Cæsarum virtutibus tot per orbem laureas virentes, et Principis tot tropæa pararunt*. Intelligit maxime bellum cum Licinio gestum, quo victo Constantinus a continuis fere bellis quievit, quibus et Cæsares, ejus filii, variis terrarum partibus laureas meruerunt, præcipue Crispus, qui Francos pepulit, et postremo Amandum, præfectum classis Licinii, prælio navali ad Callipolim vicit. De quo Excerpta auctoris ignoti de Constantino Chloro et Constantino Magno annexa libris Ammiani Marcellini. Ed.

2. Velseriana editio habet *Et Caesarum perennes*; quod minus probo.

3. Velserus edidit *tropaea*, recte : Pithœus *trophaea*, in quo litera una pro legitimo numero abundat.

6. *Felicibus triumphis Exsultat omnis aetas*, h. e. triumphare et exsultare gaudio videtur. Velserus sic : *Felicibus triumphis Augusta rite saeclis Exsultat*, etc., et versum adeo interserit, quem Pithœana editio ultimum hujus carminis facit. Sed neque hoc, neque isto loco recte positus ille versus, omninoque sua sede exturbatus videtur. Ego locandum post versum quintum censeo : *Et Principis tropaea Augusta rite saeclis*.

8. *Urbesque flore grato, Et frondibus decoris*. Tangit vetus honoris genus, quo honorari victores solebant. Nam quacumque incederent, flores in eos jaculabantur, iisque consternebant vias : de qua re plura Casaubonus ad Suetonii Neronem, et alii viri docti annotarunt. Ovidius, lib. IV, Trist. El. 2, de Augusto triumphaturo :

> Quaque ibis, manibus circumplaudere tuorum,
> Undique jactato flore tegente vias.

Fuit iste mos vetustissimus; nec Græcis tantum atque Romanis, sed etiam Barbaris usitatus. Q. Curtius, lib. V de dedita Babylone et ingressuro in eam Alexandro victore loquens : *Plures obviam progressi sunt*.

Inter quos Bagophanes, arcis et regiæ pecuniæ custos, ne studio a Mazæo vinceretur, totum iter floribus coronisque constraverat. Sic quum Susis nuntiatum esset, Xerxem Athenis potitum, tantum ex ea re Persas concepisse gaudium, ut vias omnes myrto sternerent, odoresque per vicos incenderent, Herodot. lib. VIII memoriæ prodidit. BUCHN.

10. *Totis plateis* est, omnibus; qua ratione hoc nomine præcipue usa est sequior ætas. Porphyrius infra in heroicis, *fastigia tota*. Sidonius: *Ambitiosus Hymen totas tibi contulit artes*. BUCHN.

11. *Ordo* pro senatorio κατ' ἐξοχὴν ponitur. BUCHN. Et *veste clara* pro toga alba vel candida. Velserus legit *Hac ordo veste clarus;* sed Pithœi lectio melior.

12. *Purpuras honorum* dixit, quia purpuræ dignitatum et magistratuum insignia. Unde Claudiano *purpura* quævis eminens dignitas dicitur, lib. III, de Laud. Stil. v. 119. Senatores autem et magistratus, quum triumphus ageretur, festo solennique cultu incedebant. Eo respexit. BUCHN.—Hinc Statius, Silv. II, 7, 46: *eloquente Cantu purpureum trahes Senatum*. ED.

15. Velserus hic legit, *Jam alma culmen orbis*.

16. *Dat munera et coronas.* Intelligit coronas aureas, vel aurum coronarium, quod occasione victoriæ et triumphi Cæsaribus offerri solebat a provinciis, hic ab ipsa Roma oblatum Porphyrius indicat. Videri de eo ritu potest Jac. Gothofredi Comment. ad Cod. Theod. lib. XII, tit. 13 de auro coron.

18. *Victorias triumphis*. Pro *victorias* videtur legendum *victoriae*, alias sensum non video. BUCHN. At hoc necesse non est. *Victorias* potius referendum ad præcedentem versum: *Victorias auro coruscas ferens triumphis*, h. e. Victoriarum simulacra aurea una cum coronis offerens triumphorum caussa, vel ad triumphum ornandum. Victoriarum aurea simulacra Valentiniano ob imperii primitias a Tripolitanis oblata per legatos, memorat Amm. Marcell. lib. XXVIII, cap. 6. Idem a Romanis Constantino factum ob victorias, hoc loco indicat Publilius.

19. *Votaque jam theatris*. Media in *votaque* producitur, more illius ævi, quo producebant syllabam, ubi prosodia esset. Sic alteram in *utraque* productam Ausonio notat Scaliger, lib. I, Auson. Lect. c. 29. Talia apud Prudentium pluribus locis, Paulinum Benedictum, Corippum, et alios, observare licet. BUCHN. *Theatris*, i. e. ludis scenicis et musicis, in quibus usum organi hydraulici fuisse, ex loco Corn. Severi probavimus. Hinc ratio, cur auctor organon formare versibus voluerit, ex his verbis maxime colligenda est.

21. *Me sors iniqua*, respicit exsilium suum. Velserus: *iniqua tantis*.— Barthius ad Claud. de Nuptiis Honor. pag. 801, pro *remotum* imprimi curavit *removit*, quod tamen sequentia non permittunt. ED.

24. *Fonte Phoebi.* Alludit fortasse ad ipsum vas hydraulicum, idque sibi, quasi cortinam Phœbo sacram, aut Hippocrenes fontem, carmen suppeditaturum esse significat.

26. *Augusta rite saeclis.* Notavi jam supra, not. ad v. 6, in Velseri exemplari hunc versum septimum esse. Hoc loco sane alienus est.

27. *O si diviso.* Versus primus heroicorum, quorum Buchnerus vix unum et alterum attigit, quamvis interpretatione maxime indigebant. Constructio verborum hæc est: *O si Clio ausuro* mihi *donet, diviso limite,* separato ordine versuum, *metiri,* numero literarum, *metri felicia texta, una sui lege, uno fonte Aonio manantia, manente versus heroi jure.*

28. *Una lege sui,* h. e. una eademque ratione in versibus componendis observata, ut versui sequenti semper una litera adjiciatur, et sic ex primo versu, tamquam *uno fonte,* omnes sequentes *manent,* et ad extremum procedant, *manente* tamen ubique *metro heroico.*

31. *Patiens,* siquidem patiatur vel permittat, *augeri exordia,* primos versus carminis, *longo fine,* longioribus versibus iis, qui ad finem usque procedunt.

32. *Parvo crescentia motu,* parvo incremento, nempe unius literæ.

33. *Donec postremo ultima fastigia tota,* extremos omnium versuum apices, *cludat,* finiat vel ad summum perducat, *ascensus iugi,* argumentum versuum continuo quasi clivo ascendens, *cumulato limite,* exaggerato et altius educto.

34. *Ascensus iugi :* τὸ *iugi* per dialysin trium syllabarum est. Neque enim primam produxisse existimandus est. Calpurnius, Ecl. VI, v. 49: *genus est, ut scitis, equarum Non jugale mihi.* Neque enim ibi scripturæ vitium subesse arbitror, uti credidit acutissimus Barthius. BUCHN. Velserus hoc versu legit *Ascensu iugi* et *claudat.* Hac lectione *jugi* esset a *jugis,* continuus, et modum legitimum syllabæ longæ teneret. At necessario legendum est cum Pithœo *Ascensus iugi:* alias sententia suo subjecto vel nominativo caret. Neque dubito *jugum* prima producta usurpare solitos sequioris ævi poetas, unde in loco Calpurnii a Buchnero allegato nihil ipse mutare volui, fortasse quia *jugum* et *iugis, juge,* vocabula unius fontis existimabant. Immo nequeunt hoc loco duæ breves in *iugi* accipi, ut quidem Buchnerus vult, quia brevis syllaba in *Ascensus* præcessit.— Id autem, ut opinor, non officit, quia ævi sequioris poetæ breves syllabas in cæsuris solent producere. Ed.

36. *Cogens aequari lege retenta :* nempe lege unius ejusdemque metri perpetuo servata.

37. *Parva nimis,* pro valde, more recentioris latinitatis. Vid. Nemes. Cyneg. 22, 113, *et visu dissona multum,* quæ visu apparent valde disparis esse magnitudinis, paria tamen sunt tempore et metro.

39. *Dimidium numero* refero ad *cogens*, v. 36, cogens versum, qui *dimidius* tantum *numero* literarum est, *tamen æquiparantem*, vel æqualem reliquis esse, *Musis*, i. e. metro et rhythmo.

40. *Haec erit.* Hactenus auctor modum et legem formandæ e versibus figuræ organi exposuit, nunc ipsum, cujus ista figura est, organon describere aggreditur. *Haec species,* inquit, hoc organon, quod speciem hactenus descriptam habet, erit aptissimum in varios cantus.

41. *Perque modos*, vel sonos varios, quorum capax et *fecunda est, surget*, altius procedet, *gradibus*, quos tubi *sonori* faciunt, ab acutis ad graviores. Pro *sonoris* Velserus legit *canoris*.

42. *Aere cavo et tereti*, e quo confecti sunt tubi vel canales. Hinc Claudianus *segetem ahenam* vocat, cui alludit epigramma Juliani: Hieronymus ad Dardanum *cicutas aheneas*. — *Calamis crescentibus*, ut in fistula pastoritia, cui *crescit arundinis ordo*.

43. *Quis* vel queis, sc. calamis, quum *supposita ordine* sint *plectra quadrata*, tabellæ quadratæ, Vitruvius regulas vocat, quibus tactis cietur sonus calamorum. Vitruvius: *Inter tabulam et canona regulæ sunt interpositæ, ad eumdem modum foratæ et oleo subactæ, ut faciliter impellantur, et rursus introrsus reducantur.* Julianus in Gr. epigr. κανόνας dicit συμφράδμονας αὐλῶν, regulas tibiis respondentes.

44. *Artificis manus.* Severus *artem regentis* dicit. Julianus: καί τις ἀνὴρ ἀγέρωχος, vir regendi peritus, ut vertit Gesnerus. Claudianus: *detrudens murmura tactu Innumeras voces segetis moderatur ahenæ*.

45. *Spiramenta.* Ducebantur spiramenta illa vel follibus elephantinis, ut ex Pseudo-Hieronymo modo annotatum, vel ventis conceptis ad impellendas undas, juncto ad numerum humano labore. BARTHIUS ad Claud. l. c. Minus recte intelligit spiramenta Barthius. Sunt foramina, epistomia, aperturæ, ut vocat Vitruvius, quibus apertis admittitur spiritus in canales. Hinc Noster: *clauditque aperitque spiramenta.* Et Vitruvius: *Inter tabulam et canona regulæ sunt interpositæ,.... quæ obturant ea foramina, pleuritidesque appellantur, quarum itus et reditus alias obturat, alias aperit terebrationes.*—*Probans placitis,* etc. h. e. probans spiramenta eosdem sonos reddere, quos ipse voluerit. Male hic Velserus edidit *placidis*.

46. Ex hoc versu colligitur et folles adhibitos hydraulicis organis, quibus aquæ concitarentur. BUCHN. Aquæ erant inclusæ arca, quæ subjecta cannis. Hæ ut spiritum conciperent, vel vento per folles immisso excitari, vel vecte aliquo torqueri agitarique solebant. Folles indicare videtur Porphyrius: apertius Julianus, ταυρείην σπήλυγγα, taurinam speluncam, vocans: eosdem in nummo Tristani supra exposito reperire videor. Vectis meminit Vitruvius et Claudianus; nec aliud significat Severus hoc versu: *Quæ tenuem impellens animam subremigat undam.* Athenæus, IV, 23: « Organum rectius dicetur inspiratum, quoniam ab aqua

spiritum accipit : nam in aquam obversæ sunt fistulæ; et aquam agitante aliquo juvene, axibusque per instrumentum pervadentibus, inflantur fistulæ et gratum edunt sonum ». Ed. Utroque igitur modo, et folle et vecte instructas cortinas antiquitus exstitisse reor, etiamsi utræque essent hydraulicæ.

47. *Quos vicibus crebris juvenum labor.* Aperte significat, utrimque adstitisse juvenes, qui *crebris vicibus*, et certo numero, *hinc atque hinc* follibus inspirarent ventum, atque ii manifeste apparent in nummo Pantini. In Athenæi loco unius tantum mentio fit. Quin factum fuisse subinde, ut idem qui regulas impelleret, etiam pedibus vectem moderaretur, Barthius ex loco Claudiani colligit, ubi recte legere doctos observat, *pedibusque trabali Vecte laborantes*, etc. Idem Severus innuere videtur versu allegato.

48. *Hinc atque hinc animaeque agitant.* Animæ spiritus sunt, sive ventus de follibus prospirans. Sic Horatius ventos *animas Thracias* appellavit. Varro de tibia: *Phrygio per ossa cornu liquida canit anima*. BUCHN. Sic animæ vocabulum usurpavit quoque Severus: *Quæ tenuem impellens animam*. At vitiosa lectio Pithœi videtur *animaeque agitant*, et melius convenit sententiæ ista, quam Velserus dedit: *Hinc atque hinc animatque agitans, augetque reluctans*.

49. *Compositum ad numeros.* Emaculandum *compositum ad numerum*. Nam ab *numeri* voce sic posita dependent omnia. BARTH. Ego vero, hæc emendatio quid juvet, non video. *Praestat* referendum ad *unda latens*, versu 46, hac sententia: *Unda incita ventis, quos agitat juvenum labor, haud sibi discors*, respondens sibi invicem, et numerum observans, *praestat*, efficit, *compositum* aliquod instrumentum *ad numeros* edendos, et *proprium ad carmina*. Aliter vix intelligo.

50. *Quodque queat*, h. e. *Et quod*, sic compositum instrumentum, *queat plectra adaperta frequenter*, celerrime, *sequi*, statim edere sonos, quibus plectra adaperta viam fecerint, ubi *minimum ad motum intremefacta* sint. — *Intremere*, de sono instrumenti musici usurpatur. Petronius de bello civ. v. 271: *Intremuere tubæ*. Ibid. v. 134 quidam legunt: *et tuba Martem sideribus tremefacta ciet*. Ed. — Paullo clarius hæc Vitruvius: *Itaque quum pinnæ manibus tactæ propellunt et reducunt continenter regulas, alternis obturando foramina, alternis aperiundo, ex musicis artibus, multiplicibus modulorum varietatibus sonantes excitant voces.* Fortasse *quod* in principio versus melius accipitur pro *ut*, ex more sequioris latinitatis de quo egi Excursu VI ad Calpurn. Velseri exemplar hoc versu habet *intremefacta sequentia*, nescio an errore librarii.

52. *Jamque metro et rythmis.* Ingeniose auctor fortissimum longissimumque organi sonitum longissimo omnium versu expressit. *Praestringere*, percellere et attonare, tamquam fulgure et tonitru: *quidquid ubique est*, sc. hominum, quacumque in parte audientium. Similiter A. Gellius, lib.

XI, cap. 13: *Ne vos facile perstringeret modulatus aliquis currentis facundiæ sonitus;* ubi forte melius *præstringeret* legitur. — Claudianus, Epigr. 73 de equo Honorii, v. 6: *Seu læta solebas Thessaliæ rapido perstringere pascua cursu.* Ed.

Atque hæc sufficiant illustrando Porphyrio, quæ vereor, ne pro merito ejus fortasse nimia videantur. — Idem sentiet lector, si experto loqui licet, qui ad Publilii versus tantummodo animum adjiciet, et curam perdet in istis; non vero si doctissimas Wernsdorfii elucubrationes meditatur, et hoc duce res antiquitate temporum obscuratas curiosus investigare cupit. Ideo etsi eadem qua Wernsdorfius diffidentia anxii, hæc Porphyrii Idyllia, tamquam appendicem huic tomo subjecimus. Ed.

TABULA

RERUM QUÆ IN HOC PRIMO VOLUMINE CONTINENTUR.

FINIS TOMI PRIMI.